



9/18/76

11

ATN  
3620

195

Juan de la casa ocho  
 Juan Baptista ochoa quatro  
 Juan de Igo tres y se le den un cinco quaxillos  
 Goria cinco y medio y se le den un y qu.  
 Alonso con cordero y tres quaxillos  
 Juan de Zabelea den un y qu.  
 el vicario den un dos d.  
 Matias Roncal uno y los d. y unata la  
 de el de Igo con d. y tres baxas

Toma Maria de Igo setenta reales  
 Valanza veinte y dos reales  
 Adame de Igo diez y seis reales  
 Aquereta de Igo cinco reales  
 Del negro de Igo tres reales

que si adbiere uno que de hacer una cosa  
necesaria, o licita, y honesta naturalmente  
a de require polucion (y esto a cerca de la  
distilacion es mas llano) la qual el no quiere  
ni pretende de manera alguna no tiene  
obligacion de abstenerse de tal accion, con  
tal que no sea peligro de suienta en el  
deleite. por que al que usa de su derecho  
no se le impura el efecto que de el  
se sigue por accidens y fuera de su inten-  
to.

M. 46823  
R. 27127

R. P. P. Fr. FRANCISCI

# DE ALCHACOA

REGIJ ORDINIS B. MARIE DE MERCEDE

Redemptionis Captivorum Theologica studia Almi  
Divæ Eulaliæ Pampelonensis Regalis  
Conventus, Regentis.

S V M M A.

# C A T E N A T A

THEOLOGICÆ MORALIS

Selectioribus Doctorum Sententijs contexta.

Ad D. D. Bernardum de Vrsua, Archidiaconum Sanctæ  
Gemma Pampelonensis Ecclesie Dignitatem.

*Este libro me entregue  
Don Martin Marti-  
nez y quicno, se le  
entregue al Sr. Dn.  
de la Carra de Salu-  
na.  
Don In. Petrye  
de Nissa.*



*para este libro y para  
que me dio Martin  
Martinez de Nissa  
por orden de Nra  
Señalada de Salu-  
berdora del dñe  
de otros libros.*

P A M P E L O N E

Apud JOANNEM MICON Typogr. & Bibliopol. 1685.  
Cum Privilegio.

Vendense en la Merced.



# CAPELLA

DE... MORALIS

...



Die...  
...

...

LAMPIONE

...



F. FRAN. DE ALCHACOA

Regij Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemp-  
tionis Captivorum D. D. BERNARDO

DE VRSUA Archidiacono Sanctæ

Gemmæ, Sanctæ Ecclesiæ Pam-  
pelonensis Dignitati V. P. S.



XIMIA tua benevolentia, Colen-  
dissime Domine, cuius arētissimis vin-  
culis meus animus cum tuo copulatus  
est, nec cogitandi dedit locum cui mu-  
nus hoc dicarem; cum statim ac inter-  
derim edere in lucem hanc summam Catenatam Theo-  
logiæ Moralis, ōenti, & voluntati occurreris stipatus



*favoribus quibus abunde profecutus es me. Enim vero non tam gratitudine equare tua in me beneficia intendo, quam gratitudinis signa ostendere. Illud nanque meas superat vires; in hoc autem libenter propendit voluntas. Suscipe ergo munus hoc, grati animi memoriale. Vt id nobilitates, ut tuteris, ut tuo clarius reddatur patrocinio. Hoc ad viros claros spectat inter quos non parum emines, ut pote ex antiquissimo Palatio de Ursua veniens celebri scilicet nobilium virorum, & illustrium scaturigine: de quibus melius, & dignius quam ego tonabit Triton Serpenti in se revoluti circumplexus, Quippe ut quidam ait.*

*Alc. emb.*  
132.

Fama viros animo insignes, præclara quæ gesta  
Protequitur: toto mandat, & orbe legi.  
Ex hac ergo gloriosa stirpe datus orbi D. Petrus de  
Ursua qui non semel, sed repetitis feliciter navigatio-  
nibus Navarchum egit industrium, & onustas indicis  
divitijs naves per maria incolumes traduxit. In quo  
summa cum fidelitate, & amore Catholico inservi-  
vit Regi. Insuper ille Vandalia illustrem domum  
Comitum de Ferena instituit; eiusque filij, Patri per  
quam similes Regio sunt addicti Servitio. Alter enim  
paternum arripiens iter, Nobilissimus Ferena Comes,  
non vitam in otio ducere, imo Regio insistit servitio,  
Classum Regalium Hispanicarum ad remotissima Pe-  
ruana Regna destinatus Praefectus. Alter litteris in-  
cumbens in celeberrimo Salmantino Lycao, veteris,

Maioris que D. Bartholomei Coliega, Vespertinus  
que Sacrorum Canonicum Moderator, nunc Vallisso-  
leti Senatoris fungitur munere. Denique, ex hac per  
antiqua, & splendida domo, Romana processit Vr-  
sinorum familia, tot florens Ducibus, Magistratibus,  
Dignitatibus, atque Honoribus, quot est per orbem  
decantata laudibus. Et ni mea me fallit Opinio dum  
Vrsuana familia nobilitatis stemma perscrutor, &  
tres video in deaurata planitie loquaces Picas, que  
olim com Musis ausa sunt contendere, quasi augurari  
incipio, nunquam de hac gente non loquendum, imo Metapl.  
1. 5.  
tantam eximietatem ubique gentium celebrandam,  
celoque extollendam. Tu autem InclYTE Bernarde,  
Ecclesie addictus, dignitate Archidiaconali fungens  
in Alma Pompelonensi Cathedrali Ecclesia, novam  
addis tuorum, & tua nobilitati gloriam, Aeternae,  
& caelesti consequende insistens, virtutibus tuis, &  
moribus optimis. Vale.





## CENSURA,

REVERENDI P. M. Fr. PETRI OLANO;  
Ex Commissarij Generalis semel atque iterum Insule  
Sardinie Commendatoris Pompelonensis Monaste-  
rij S. Eulalie Regij, ac Militaris Ordinis  
B. M. de Mercede Redemptionis  
Captivorum, Et Generalis  
Electoris &c.

**D**E Mandato ad modum Reverendi Patris N. M.  
Fr. Francisci Femades in hac prima Provincia Ara-  
gonie Regalis Ordinis Redemptorum B. M. de Mer-  
cede Provincialis, vidi, & perlegi librum, cuius titu-  
lus est, *Summe Catenata* elaborata à P. M. Fr. Franc. de  
Alchacoa eiusdem Ordinis Professore, & Regalis Con-  
ventus S. Eulalie in Pompelonensi civitate studiorum  
Regente. Qui ut suo instituto corresponderet fabrica-  
vit Catenam, ut veritates quæ erant in tenebroso car-  
cere quasi oblitæ, ad pristinam libertatem lucis exeant,  
sua que dexteritate iterum fulgeant. Jam audivimus,  
& credidimus veritatem esse Catenatam. *Cum audisset*  
*Ioannes in vineis opera Christi*. Math. 11. Nunc qui  
hunc librum legerint, oculis agnoscent similiter veri-  
tatem esse in Catenâ. Magno tamen discrimine; nam  
Tyrannus Rex illam ligavit, ut tenebræ suam haberent  
Principatum, Iste, ut lux veritatis totum illuminet or-  
bem. Gloria istius Regni est Catenâ, Coronâ Autho-  
ris erit Summa Catenata: & quia Catenâ ex Provin-  
tia Cantabrica suum trahit Originem, Iste Cantaber  
nunc deaurat istam fulgentissimam Catenam. Ex auro

mundissimo fabricata est Catena Rationalis Exod. 28.  
n. 22. *Facies in Rationali Catenas sibi invicem coheren-*  
*tes ex auro purissimo.* Aurum juxta Cervariens. verb.  
*Aurum* significat charitatem: sic que iste, sive chari-  
tatis, sive Redemptorum filius fabricavit catenam ut  
rationales discursus ad veritatis tramitem coadunaret.  
Non nova in lucem edit, quia *nil novum sub Sole*, &  
iste tanquam generosa Aquila de radijs Aquinatis lucē  
spargit, & potius ut proficuum vult inflammare: erit  
*que ardens & lucens.* Si nova quæris, non invenies,  
nam ut dixit Chrysostomus Homil. 5. in Joan. *Ideo An-*  
*gelus nuncupatus est à Propheta dicente Ecce ego mitto An-*  
*gelum meum: Angeli enim virtus est nihil proprium di-*  
*cere.* Et ut dixit Cassiodorus l. 3. Epistolarum, epist.  
13. *Decreta ergo nostra Priscorum resonent instituta, que*  
*tantam suavitatem laudis inveniunt, quantum saporem ve-*  
*tustatis assumunt.* Ideo censeo digna, ut typis manderur.  
In hoc Regali Pompelonenfi Conventu S. Eulaliæ Or-  
dinis B. Ma. de Mercede Redemptionis Captivorum.  
Decembris 6. an. 1684.

FR. PETRVS OLANO,

FACULTAS ORDINIS.

FR. Franciscus Femades Sacre Theologiæ Magis-  
ter humilis Provincialis Aragoniæ Regij Ordinis B.  
Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum in Regnis  
Aragonum Chataloniæ, Navarræ, & Sardinia, &c.  
Tenore præsentium copiam facimus, & facultatem  
concedimus tibi Patri Presentato Fr. Francisco de Al-

mundissimo fabricata est Catena Rationalis Exod. 28.  
n. 22. *Facies in Rationali Catenas sibi invicem coheren-*  
*tes ex auro purissimo.* Aurum juxta Cervariens. verb.  
*Aurum* significat charitatem: sic que iste, sive chari-  
tatis, sive Redemptorum filius fabricavit catenam ut  
rationales discursus ad veritatis tramitem coadunaret.  
Non nova in lucem edit, quia *nil novum sub Sole*, &  
iste tanquam generosa Aquila de radijs Aquinatis lucē  
spargit, & potius ut proficius vult inflammare: erit  
*que ardens & lucens.* Si nova quæris, non invenies,  
nam ut dixit Chrysostomus Homil. 5. in Joan. *Ideo An-*  
*gelus nuncupatus est à Propheta dicente Ecce ego mitto An-*  
*gelum meum: Angeli enim virtus est nihil proprium di-*  
*cere.* Et ut dixit Cassiodorus l. 3. Epistolarum, epist.  
13. *Decreta ergo nostra Priscorum resonent instituta, que*  
*tantam suavitatem laudis inveniunt, quantum saporem ve-*  
*tustatis assumunt.* Ideo censeo digna, ut typis manderur.  
In hoc Regali Pompelonensi Conventu S. Eulaliæ Or-  
dinis B. Ma. de Mercede Redemptionis Captivorum.  
Decembris 6. an. 1684.

FR. PETRVS OLANO,

FACULTAS ORDINIS.

FR. Franciscus Femades Sacre Theologiæ Magis-  
ter humilis Provincialis Aragoniæ Regij Ordinis B.  
Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum in Regnis  
Aragonum Chataloniæ, Navarræ, & Sardinia, &c.  
Tenore præsentium copiam facimus, & facultatem  
concedimus tibi Patri Præsentato Fr. Francisco de Al-

sint vulnera peccatorum, quod ut fiat in lucem posse  
prodire iudico in hoc Imperiali Franciscano Conventu  
die vigesima Mensis Februarij an. 1685.

*Fr. IOSEPH DE FALCES,*  
*Primarius Lector, & Guardianus.*

---

**LICENTIA ORDINARII.**

**N**Os Dominus Joannes Grande Santos de S. Pe-  
dro Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus  
Pampilonensis, Regiusque Consiliarius &c. Visa appro-  
batione supradicta ( facta ex Commissione nostra ) li-  
bri inscripti Summa Catenata Theologiæ Moralit &c.  
compositi à P. P. Fr. Francisco de Alchacoa Regij Or-  
dinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum ;  
Concedimus licentiam imprimendi eum. Dat. in nostro  
Palatio Episcopali Pampilonensi die nona Martij an.  
1685.

*Ju. Obispo de Pamplona.*

*De Mandato Domini mei Episcopi*  
*D. FRANC. DE VELASCO.*

---

**CENSURA R. P. M. Fr. IOSEPHI DE PEREDA**  
*Ordinis B. B. Virg. Mariæ de Monte Carmeli, Con-*  
*ventus Pompelonensis olim Dignissimi Prioris.*

**D**E Mandato Supremi Senatus Regni Navarrae ad  
manus usque meas opus pervenit inscriptum *SUMM*

sint vulnera peccatorum, quod ut fiat in lucem posse  
prodire iudico in hoc Imperiali Franciscano Conventu  
die vigesima Mensis Februarij an. 1685.

*Fr. IOSEPH DE FALCES,*  
*Primarius Lector, & Guardianus.*

---

**LICENTIA ORDINARII.**

**N**Os Dominus Joannes Grande Santos de S. Pe-  
dro Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus  
Pampilonensis, Regiusque Consiliarius &c. Visa appro-  
batione supradicta ( facta ex Commissione nostra ) li-  
bri inscripti Summa Catenata Theologiæ Moralit &c.  
compositi à P. P. Fr. Francisco de Alchacoa Regij Or-  
dinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum ;  
Concedimus licentiam imprimendi eum. Dat. in nostro  
Palatio Episcopali Pampilonensi die nona Martij an.  
1685.

*Ju. Obispo de Pamplona.*

*De Mandato Domini mei Episcopi*  
*D. FRANC. DE VELASCO.*

---

**CENSURA R. P. M. Fr. IOSEPHI DE PEREDA**  
*Ordinis B. B. Virg. Mariæ de Monte Carmeli, Con-*  
*ventus Pompilonensis olim Dignissimi Prioris.*

**D**E Mandato Supremi Senatus Regni Navarrae ad  
manus usque meas opus pervenit inscriptum *SUMM*

sint vulnera peccatorum, quod ut fiat in lucem posse  
prodire iudico in hoc Imperiali Franciscano Conventu  
die vigesima Mensis Februarij an. 1685.

*Fr. IOSEPH DE FALCES,*  
*Primarius Lector, & Guardianus.*

---

**LICENTIA ORDINARII.**

**N**Os Dominus Joannes Grande Santos de S. Pe-  
dro Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus  
Pampilonensis, Regiusque Consiliarius &c. Visa appro-  
batione supradicta ( facta ex Commissione nostra ) li-  
bri inscripti Summa Catenata Theologiæ Moralit &c.  
compositi à P. P. Fr. Francisco de Alchacoa Regij Or-  
dinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum ;  
Concedimus licentiam imprimendi eum. Dat. in nostro  
Palatio Episcopali Pampilonensi die nona Martij an.  
1685.

*Ju. Obispo de Pamplona.*

*De Mandato Domini mei Episcopi*

*D. FRANC. DE VELASCO.*

**CENSURA R. P. M. Fr. IOSEPHI DE PEREDA**  
*Ordinis B. B. Virg. Mariæ de Monte Carmeli, Con-*  
*ventus Pompilonensis olim Dignissimi Prioris.*

**D**E Mandato Supremi Senatus Regni Navarrae ad  
manus usque meas opus pervenit inscriptum *SUMM*



*ma Catenata Theologiae Moralis &c.* fulgenti lima elabaratum per R. P. M. Franciscum de Alchacoa Regalis Ordinis B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum. Pervenit, inquam, ut Censuris multis obirem. Enimvero dum eam vel ipsis contrectarem manibus, potenti me captivavit, obstrinxit que Catena. Diu enim ut aiebat Seneca ad Lucil. *Vna est Catena qua nos alligatos tenet amor.* Quid ergo nova intellectus catena faceret nisi voluntati amoris catena obligatae intellectum altera religare catena? Pervenit ergo catena pervenit que liber, sed alteris liber, quia ab ignorantiae compedibus liberat, mihi catena, quando quidem non liberum, sed nouo me vinculorum fœdere obstrinxit.

Jam vero ad librandum librum noui Catonis Catenam descendendo. Obtemperaturus ergo Regali Decreto à primo ad vltimum vsque annullum eam decreui recolere, feci, nec me pœnitebit fecisse. Rep. ri in ea *Angelum descendentem de Cælo Cællæ suæ, & animarum zelo è humilitatis suæ strato ascendentem habentem, quia Sacerdotem, Clavem cæli, & abyssi, & quia Religiosum Ordinis Redemptionis Captivorum, Catenam magnam in manu sua.* Ut doceret quos delictorum catena constringit libri sui Catena à peccatorum vinculis, & misera vitiorum captivitate liberari. Vidi in ea alterum Angelum Raphaellem qui Dei medicina nuncupatur, ministrantem animorum ægrotantium morbis salutis æternæ aphorismos, ut apprehendentes Dæmones, eos que in Ægypto umbræ mortis religantes, feliciter possint animarum mederi vulneribus; quis non tanta Catena prehendetur? Hæc est Catena qua iustus de angustia liberatus est, cum qua iustitia rectorum liberabit eos, & in insidijs suis capientur iniqui. Cum & vitiorum, & virtutum mire a fœbre que concatenata inveniatur doctrina.

Ap. 20.

Tob. 8.

proy. 11.  
8. 6.

Dum Rationale hoc opus Catenæ titulo inscriptum  
conspicerem, memini summi Sacerdotis Rationalis.  
Erat quidem Rationale iudicij opere polymito constru-  
tum diversis gemmarum fulgoribus intextum, & in  
quo Doctrina, & veritas conscriptæ cernebantur Præ-  
cepit Deus Moyfi dicens. *Factes in Rationali catenas sibi  
invicem coherentes ex auro purissimo.* Ad quid in Ratio-  
nali Catenæ? Ut cum humerali pretiosis se amplexibus  
innectendo, & ab humeris se in præceps ferendo, ceu  
in lumina Catenata teneret inter radiantes lapidum ig-  
nes doctrinam, & veritatem in pectore Sacerdotis. *Pones  
autem in Rationali iudicij doctrinam, & veritatem qua  
erunt in pectore Aaron.* Memini inquam, huius Ratio-  
nalis iudicij cum iudicio meo Rationale hoc opus per-  
pendendum tantum præcepit imperium. Bene utique  
Rationale iudicij quando quidem tot, tanta que per  
difficilia intricata que puncta suus Author mature ex-  
tricat ratione limat, atque iudicij sui sententijs, ratio-  
nabilia firmat, minus Catholicis moribus consona im-  
pugnat. Rationale sane opere polymito egregie contex-  
tum, ecquidem quaestiones doctorum pretiosis fragmen-  
tis assutas atque Sanctorum sententijs quasi perlucidis  
gemmis assitas in omnium profectum disponit. Ratio-  
nale merito nuncupandum, etenim non verborum in-  
tilium farragine factum, non laciniosis factum,  
disputationibus, sed in doctrina sana, & veritate  
purissima perfecit argumentum. Et ut hoc Rationale Aa-  
ronici similitudinem gereret Rationalis, Catenam ful-  
gentem ex auro purissimo Doctorum, atque Sancto ñ  
compinxit: ad quid sane nisi ut ab humeris suspensum  
Rationale, tenentem cum ipso in pectore doctrinam  
portent, & veritatē Sacerdotes. Subjiciat profecto ama-  
tor veritatis sinceræ, qui que cupit in doctrina morali

perfectum facere. *humeram suam, & portet Catenam aeli. 28.*  
tanti Magistri, *Decor enim vita est in illa, & vincula illius alligatura salutaris.* In ea quippe asportabit disputationes morales ad incudem Alex. VII. Et Inn. XI. elaboratas. Habebit pretiosum separatum à vili, veritatem discrete disertam à mendacio, nihil que quod vel suæ non satisfaciatur cupiditati, vel in quò non suaveoleat sui artificis ingenium, & subtilitas. Et ut vno comprehendam verbo.

Ut cito te expedias nec multa volumina quæras

Hanc facio Summam Lector amice tibi.

Niz. in  
cōp. ap. lib.

Nihil in hac Summa Caten. Moral. cum totam perlegissem reperi Decretis Summorum Pontificum contra nites, bonis moribus non delerent, aut regalibus immunitatibus non conformes: Immo multa ob quæ meretur sibi impertiri facultatem, ut Orbi litterarum exposita in omnium manibus luci data videatur. Sic sentio in Conventu Regali Carmelitarum antiquæ Observantiæ. Pompelone Kalendis Aprilis an. 1685.

Fr. IOSEPHVS DE PEREDA,  
Theologiae Magister.





*Licencia, Tassa, y Privilegio del Real Consejo  
de Navarra.*

**D**Oy fee, y testimonio yo Joseph Martinez Secretario del Consejo Real de este Reyno de Navarra que por parte del P. P. Fr. Francisco de Alchacoa de la Orden de N. Señora de la Merced Redencion de Cautivos, se presentò ante los Señores del Real Consejo del dicho Reyno vn Libro, que habia, compuesto, intitulado Suma Catenata de Theologia Moral, pidiendo se le concediera Licencia para que se pudiesse imprimir, y habiendolo remitido al Padre Maestro Fray Joseph de Pereda, de la Orden de N. Señora del Carmen de la Observancia. Dio su Aprobacion, y habiendola presentado en el Consejo se hizo la Impresion del dicho Libro, y se remitió al Muy Ilustre Señor Don Diego de Yzaguirre, del Real Consejo del dicho Reyno, para que le viesse, y por haver constado que concuerda con el Original, se le ha concedido Licencia, y facultad por el dicho Real Consejo al dicho P. P. Fr. Francisco de Alchacoa, para que pueda imprimir, y vender el dicho Libro por tiempo de diez años, con prohibicion que otra ninguna persona lo pueda imprimir, ni vender sin su licencia, durante el dicho tiempo; y se ha Tassado cada pliego à cinco maravedis, como todo lo sobre dicho consta de los autos que quedan en mi oficio, a que me remito, y firme en la Ciudad de Pamplona, à 5. de Septiembre de 1685.

JOSEPH MARTINEZ.



# P R Æ F A T I O

AD STUDIOSVM LECTOREM.



**S**CRIPSERAM hoc opus Morale, Amicè Lector, privato calamo, vt memet instruerè, non vt alios docerem: non enim tam alte sapio, nec de me adeo grandem potui vmquam concipere opinionem. Sed cum Amicis viris quidem prudentibus, quibus nihil Amici occultum debet esse, meas lucubrations ostenderem: expertus sum id quod vates Naso prædixerat.

*Scribentem iubat ipse favor, minuit que laborem.* Nam ita dignanter amplexati sunt meum laborem, ac studiũ, vt luce publica putarent donandum: Ne ergo eorum contempserim iudicium, frequentes que preces quibus me impellebant vt juris publici facerem quod meis laboribus natum erat: proposui in lucem edere hanc moralem Catenatam Summam: in qua Haud ignoro nihil novum haberi, sed aliqualem methodum, & connexionem inter materias, & res morales. Et revera in hoc totus incubui, nec alio respiciebam quam vt Ordinem servarem doctrinæ studiosis facilem, ac placidum. Quippe vt bene inquit. N. Præclarus Doctor, Inclytus Martyr ac Illustrissimus Giennensis Episcopus Divus Petrus Paschasius. Quando liber vndequaue est recte dispositus, tunc melius, & facilius qui legit potest intelligere

In l. con.  
Jes. M. v. ho.

## PRÆFATIO.

Quidquid in eo est doctrinæ. Considerans igitur vix pertransibilem silvam Theologiæ Moralis deterrentem multos a studio huius scientiæ, & defatigantem ingenia multitudine ac varietate voluminum de hac materia agentium, statui parare mihi aliquem facilem modum, & viam ad Theologiam Moralem in promptu habendam: qua propter plures perlegens ac revolvens libros, curavi selectiora Magistrorum placita ordinate & concinnenectere, eis que contexere hanc Summam Catenatam. Quam libenti animo studiosis offero. Quia tamen seriem Catenæ quandoque difficere videbam, cum non semper assuere dicta dictis commode possent; imo aliquoties impossibilem adverterem nexum, opus habui meam mentem, & manum apponere, meque ipsum inter Doctores inserere sub hoc nomine (Franciscus) ut concatenatio dictorum, & Authorum artificiosè fieret. In dictis autem Authorum referendis, quandoque ipsorum vtor verbis: quandoque vero sensum sequor verborum, nonnullis vel additis, vel demptis verbis maioris claritatis & methodi gratia. Accipe ergo benigne, Amice Lector hanc Summam Catenatam in tres Libros distributam. Et Faxit Deus ut meus labor aliquem Ecclesiæ pariat fructum, & cedat in utilitatem communem, qui solum mihi ut decreveram profuturus erat.





# LIBER PRIMUS

DE PRÆCEPTIS

## DECALOGI.

QUESTIO PRIMA

*Quid sit Decalogus?*



**S**ANCTUS Augustinus. Deus famulo suo Moyfi in monte duas tabulas dedit in quibus conscripta erant decem præcepta legis: tria in vna tabula ad Deum pertinentia: septem in altera ad proximum.

*Libr. de  
10. chor-  
dis cap. 6.  
tom. 9.*

Divus Thomas. Hæc sunt decem verba de quibus dicit Dominus Math. 19. Si vis ad vitam ingredi serva mandata.

*opusc. 7.  
in fin.*

Franciscus. Decalogus ergo est lex continens decem, præcepta quæ Deus servanda proposuit populo Israel Exodi 20. & iterum eadem ipsa tradidit Moyfi conscripta digito Dei in duabus tabulis lapideis Exodi 31.

QUESTIO II.

*Num præcepta Decalogi convenienter numerentur.*

**D**. Thomas. Convenienter. Nam sicut præcepta 1. 2. 9. 100 legis humanæ ordinant hominem ad humanam

Communitatem, ita præcepta legis divinæ ordinant hominem ad quandam Communitatē, seu Rempublīcā hominum sub Deo. In Communitate autem ut homo bene commoretur, debet bene se habere ad principem Communitatis, & ad Consocios Communitatis. Oportet igitur quod in lege divina primo ferantur quædam præcepta ordinantia hominem ad Deum: & alia præcepta ordinantia hominem ad proximos cum quibus vivit sub Deo.

Principi autem Communitatis debet homo Fidelitatem, Reverentiam, & Famulatum. Fidelitas constitit in eo ut honorem principatus non det alij: & sic est primum præceptum. Non habebis Deos alienos. Reverentia consistit in eo quod nihil injuriosum in Principem fiat; & sic est secundum præceptum. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Famulatus autem debetur Domino in recompensationem beneficiorum quæ ab ipso percipiunt subditi; & sic est tertium præceptum de Sanctificatione Sabbati, in memoriam creationis rerum.

Ad proximos autem aliquis bene se habet & specialiter, & generaliter. Specialiter ad Parentes quos tenemur honorare: & sic est quantum præceptum. Honora Patrem tuum, & Matrem tuam.

Generaliter autem quantum ad omnes ut nulli nocumentum inferatur neque opere, neque ore, neque corde. Opere fit nocumentum proximo vel in propriam personam quantum ad consistentiam personæ: & hoc prohibetur in 5. præcepto Non occides. Vel in personam conjunctam quantum ad propagationem proles: & hoc prohibetur in 6. Non mœchaberis. Vel in rem possessam quæ ordinatur ad utrumque: & hoc prohibetur in 7. Non furtum facies. Nocumentum autem Oris prohibetur in 8. Non loqueris contra proxi-



num tuum falsum testimonium. Nocumentum autem cordis prohibetur in præcepto nono & decimo. Non concupisces domum proximi tui. Nec desiderabis uxorem eius.

Franc. Convenienter ergo numerantur hæc decem decalogi præcepta, per quorum tria prima quæ sunt primæ tabulæ eruditur homo ut bene se habeat ad Deum. Et per reliqua septem quæ sunt secundæ tabulæ, ut bene se habeat ad proximos.

D. Thom. Sciendum tamen illa præcepta esse decalogi quorum notitiam homo habet per se ipsum à Deo: & hæc sunt quæ statim & principijs communibus primis cognosci possunt modica consideratione. Et iterum illa quæ statim ex fide divinitus infusa innotescunt. Unde non computantur in decalogo præcepta prima & communia scripta in ratione naturali: sicut quod homo nulli debet male facere, & similia. Nec etiam numerantur in decalogo præcepta quæ per diligentem inquisitionem sapientum inveniuntur rationi convenire: Sicut, Honora personam senis, & similia. Hæc enim proveniunt à Deo ad populum mediante disciplina sapientum. Prima tamen præcepta scripta in ratione naturali quasi per se nota continentur in decalogi præceptis, sicut principia inconclusionibus proximis: illa vero quæ per sapientes cognoscuntur, sicut conclusiones in principijs.

Huc spectant etiam illa duo magna præcepta de dilectione Dei, & proximi quæ habentur Math. 22. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde &c. Diliges proximum tuum sicut te ipsum, quæ sunt radices principales omnium mandatorum, & prima, & communia præcepta legis naturæ per se nota rationi humana vel per naturam, vel per fidem: & ideo omnia præcepta decalogi ad illa duo referuntur sicut conclusiones ad principia communia.

Franc. Denique notanda sunt duo: 1. quod omnia quæ sunt contra Deum & non habentur expresse in decalogo, intelliguntur prohiberi in præceptis 1. tabulæ. & quæ sunt contra proximum, & non exprimentur in decalogo, intelliguntur prohiberi in præceptis 2. tabulæ quò pertinent reductive.

2. Quod in quolibet genere peccati contingit peccare corde, & opere: licet solum in furto, & adulterio prohibeatur seorsum peccatum operis, & seorsum cordis ut constat in 6. 7. & 9. atque 10. præcepto. Atamen in omnibus præceptis intelligitur prohiberi peccatum tam operis, quam oris, & cordis. Ratio autem cur in furto, & adulterio & non in homicidio, & falso testimonio seorsum prohibitum est peccatum operis, & cordis ea est. Quia delectatio adulterij, & utilitas divitiarum sunt propter se appetibilia in quantum habent rationem delectabilis, vel utilis.

D. Thom. & propter hoc oportuit in eis prohiberi non solum opus, sed etiam concupiscentiam: sed homicidium, & falsitas sunt sm se ipsa horribilia (quia proximus, & veritas naturaliter amantur) & non desiderantur nisi propter aliud: & ideo non oportuit circa peccatum homicidij, & falsi testimonij prohibere peccatum cordis, sed solum operis.

### QUAESTIO III.

*Num præcepta Decalogi pertineant ad legem naturam?*

Part. 6.  
tra. 1. in  
decal. disp.  
vic. 9. 5.

**L**Eander de Santissimo Sacramento. Præcepta decalogi sunt juris naturalis, & juris divini positivi. Istius quia legislator qui ea posuit est Deus: illius, quia pertinent ad bonos mores qui dicuntur ad rectam rationem.

Franc. Esse autem aliquod præceptum de lege divina positiva nihil est aliud quam pertinere ad legem, sive Directionem hominibus à Deo datam ad consequendū ultimum finem æternæ gloriæ. Constat autem præcepta decalogi dirigere ad hunc finem: pertinent ergo ad legem divinam.

Rocafull. Esse autem aliquid de lege naturali nihil aliud est, quam esse ratione naturali cognitum, ita ut ratio naturalis per synderesin, id est per habitum primorum principiorum practitorum dicet aliquid esse faciendum, vel omittendum.

D. Thom. Præcepta enim moralia sunt de illis quæ secundum se ad bonos mores pertinent quorum principium est ratio: unde de moribus humanis illi dicuntur boni qui rationi congruunt, mali autem qui à ratione discordant. Cum autem rationis humanæ iudicium aliquantulum à naturali ratione derivetur: necesse est quod omnia præcepta moralia pertineant ad legem naturæ.

Vel absolute, ut Honora Patrem. Non occides. Non furtum facies. & similia. Quæ statim ratio naturalis per se diiudicat esse facienda vel non. Vel mediante sapientum instructione, ut, coram cano capite consurge, & alia huius modi. Vel mediante instructione divina per quam erudimur de divinis, ut, Non facies tibi sculptile. Non assumes nomen Dei tui iuravum.

## QUAESTIO IV.

*Num præcepta Decalogi sint dispensabilia?*

D. Thom. Præcepta decalogi mutari per dispensationem non possunt. Tunc enim in præceptis debet fieri dispensatio, cum occurrit casus particularis in quo si verbum legis observaretur, contrariaretur inten-

*Li. 1. de  
decalog in  
commun.  
c. 13. n. 9.*

*1. 2. q.  
100. a. 1.*

*idid. a. 8.*

tionis legislatoris. Huius autem intentio ordinatur primo ad bonum commune. Secundo ad ordinem iustitiæ & virtutis, in quem bonum commune conservatur & ad ipsum pervenitur.

Præcepta ergo continentia conservationem boni communis, vel ordinem iustitiæ, & virtutis sunt indispensabilia quia continent intentionem legislatoris. Ut, quod nullus destruat Rempublicam. Nullus prodat civitatem hostibus. Nullus faciat aliquid iniuste, vel male. Quæ præcepta sunt indispensabilia. Sed si darentur alia præcepta ordinata ad ista, quibus determinantur aliqui speciales modi, in eis dispensatio posset fieri in casibus in quibus non fieret præjudicium primis præceptis. Ut si ad conservationem Reipublicæ statueretur quod de singulis vicis aliqui vigilarent ad custodiam civitatis obsessæ, posset cum aliquibus dispensari propter aliquam maiorem utilitatem.

Præcepta autem decalogi continent ipsam intentionem legislatoris scilicet Dei: nam præcepta 1. tabulæ quæ ordinant ad Deum, continent bonum commune & finale quod est Deus. Præcepta autem 2. tabulæ continent ordinem iustitiæ inter homines observandæ: ut scilicet nulli fiat indebitum, & cuiuslibet reddatur debitum: in hanc rationem sunt intelligenda præcepta decalogi, & ideo sunt omnino indispensabilia.

Franc. Videtur tamen dispensabilia esse. 1. Quia Ecclesia celebrat profesto diem dominicum, & non sabbatum, cum tamen in decalogo præcipiatur Sanctificatio Sabbati. 2. Quia homo potest dispensare in lege à se lata. Ergo Deus in decalogo à se instituto, & etiam Prælati Ecclesiæ qui vice Dei funguntur in terris. 3. Dispensatur in homicidio cum malefactores & hostes occiduntur. Dispensavit etiam Deus filiis Israel Exod, 11. ut res proprias Agyptiorum acciperent. Cum Abraham Ex. 22.

vt occideret filium suum Innocentem Isaac. Cum Osea  
 vt acciperet vxorem fornicationum Osee 1. 4. Macha-  
 bai dispensaverunt in sabbato quando cogitaverunt labo-  
 rare in festo pugnando in sabbato contra quemcunque  
 venientem adversus eos in sabbato vt habetur 1. Machab  
 2. Tandem Ecclesia dispensat in imaginibus Christi, &  
 Sanctorum: cum tamen dicatur in primo præcepto.  
 Non facies sculptile, neque omnem similitudinem. Vi-  
 detur ergo præcepta decalogi non esse indispensabilia.

Sed contra est & ad 1. dicendum quod præceptum de  
 sanctificatione sabbati est scilicet in aliquid, morale, in  
 quantum scilicet per hoc præcipitur quod homo aliquo  
 tempore vacet rebus divinis, & in hoc inter præ-  
 cepta decalogi computatur: non autem quantum ad  
 taxationem temporis, quia in hoc est ceremoniale.

Mart. Navar. Vnde adhuc decalogus in nova evan- *In Ency-  
 rid. cap.  
 11. n. 2.*  
 gelica lege perseverat servandus excepta sanctificatione  
 sabbati.

Franc. In sabbato enim in veteri lege vacabatur rebus  
 divinis in memoriam beneficii communis creationis  
 rerum à quo opere requievit dicitur Deus Gen.  
 2. septima die, idest sabbato. At vero observatur in  
 nova lege dies Dominicus, & non sabbatum, non ex  
 vi præcepti legis, sed ex constitutione Ecclesie, & con-  
 suetudine populi Christiani, & sic sabbatum quod signi-  
 ficabat primam creationem rerum, mutatur in diem do-  
 minicum: in quo commemoratur nova creatura inchoa-  
 ta in resurrectione Christi.

D. Tom. Ad 2. dicendum, quod Deus fidelis per- *1. 2. 7.  
 100. 4. 8.  
 ad 2.*  
 manet, negare se ipsum non potest vt dr. 2. Tim. 2. Ne-  
 garet autem se ipsum si ordinem suæ justitiæ auferret,  
 cum ipse sit ipsa sua justitia, & ideo in hoc Deus dispen-  
 sare non potest vt homini liceat non ordinate se habere  
 ad Deum, vel non subdi ordini justitiæ eius etiam in his  
 in quibus homines ad invicem ordinantur.

*Ibid. ad 3.*

Ad 3. dicendum quod occisio hominis prohibetur in decalogo sicut quod habet rationem indebiti: sic enim præceptum continet ipsam rationem iustitiæ: lex autem humana non potest concedere, ut licite homo indebite occidatur: sed malefactores occidi, vel hostes rei publicæ, non est indebitum & contrarium præcepto decalogi.

Et similiter si cui auferatur quod suum erat, si debitum est quod ei auferatur, hoc non est furtum vel rapina quæ præcepto decalogi prohibentur: unde filij Israel quando tulerunt Ægyptiorum spolia, non fuit furtum, quia hoc eis debeatur ex sententia Dei.

Similiter & Abraham cum consensit occidere filium non consensit in homicidium indebitum, quia debitum erat cum occidi per mandatum Dei qui est Dominus vitæ, & mortis.

Et similiter etiam Oseas accedens ad uxorem fornicariam vel mulierem adulteram, non est moechatus, nec fornicatus, nam accessit ad eam quæ sua erat sicut mandatum Dei qui est auctor institutionis matrimonij.

Sic igitur præcepta decalogi quantum ad rationem iustitiæ quam continent immutabilia sunt: sed quantum ad aliquam determinationem per applicationem ad singulares actus (ut S. hoc vel illud sit homicidium, furtum, vel adulterium aut non) hoc quidem est mutabile quandoque sola auctoritate divina in his S. quæ à solo Deo sunt instituta, sicut in matrimonio, & in alijs huiusmodi quandoque etiam auctoritate humana, sicut in his quæ sunt commissa hominum jurisdictioni: quantum enim ad hoc gerunt vices Dei, non quantum ad omnia.

*Ibid. ad 4.*

Ad 4. dicendum quod illa cogitatio magis fuit interpretatio præcepti quam dispensatio: non enim intelligitur violare sabbatum, qui facit opus quod est necessarium ad salutem humanam, sicut Dominus probat Math. 12. Ad

Ad vltimum dicendum quod neque in veteris legis tabernaculo, seu templo: neque etiam nunc imagines in Ecclesia in stituuntur vt eis cultus latriæ exhibeatur: sed ad quandam significationem, vt per huiusmodi imagines mentibus hominum imprimatur & confirmetur fides de excellentia Angelorum, & Sanctorum. Secus autem est de imagine Christi cui ratione diuinitatis latria debetur.

2. 2. 9.  
94. 4. 2.  
ad 1.

QUAESTIO V.

*Num præcepta Decalogi obligent sub pecca. mortali?*

**L**eander de SS. Sacram. Transgressio cuiusvis præcepti decalogi ex se est pecc. mortale nisi vna istarum trium causarum excusetur. 1. defectus deliberationis vt in actibus subito nos surripiuntibus. 2. Parvitas materiae in eo genere peccati in quo potest reperiri parvitas vt in furto. 3. Defectus pleni vsus iudicij, & rationis vt accidit in ebrijs & semidormientibus.

P. 6. trat.  
1. in decal.  
disp. vnic.  
q. 8.



DE PRIMO PRÆCEPTO DECALOGI.

QUAESTIO VI.

*Num bene tradatur primum Decalogi Præceptum?*

**F**ranc. Bene, sic enim traditur Exod. 20. Nō habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile neque omnem similitudinem quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles. Ego sum Dominus Deus tuus.

Hic enim jacitur fundamentum religionis per quam homo debite ordinatur in Deum : & excluduntur veræ religionis impedimenta quorum præcipuum est inhæ- rere falso Deo. Et ideo bene ponitur primum decalogi præceptum per quod excluditur cultus falsorum Deo- rum vel sine eorum simulachris. Et hic cultus prohibe- tur cum dicitur. Non habebis Deos alienos. Vel sub imaginibus. Et ideo opportune prohibetur & ipsarum imaginum institutio cum dicitur. Non facies tibi sculp- tile. Et ipsarum imaginum cultus cum dicitur. Non co- les ea &c.

2. 2. 9.

121. 2. 2.

ad 3.

D. Thom. Reliquæ etiam omnes superstitiones ultra Idolorum latriam cum procedant ex aliquo pacto cum demonibus in toto tacito vel expresso, intelliguntur pro- hiberi in hoc primo præcepto, ibi. Non habebis Deos alienos.

## QUAESTIO VII.

### *Quid sit superstitio.*

D. Thom. Superstitio est Religio supra modum ser- vata. Sive vitium Religioni oppositum (scilicet) exces- sum. Non quia plus exhibeat in cultum divinum quam vera Religio : sed quia exhibet cultum divinum vel cui non debet : vel eo modo quo non debet.

In Enchyr.

c. 11. n. 12.

Mart. Nav. Nam sicut virtus Religionis inclinatur nos, & ordinat ad Deum debito modo colendum, & ado- randum tanquam primum principium supremumque gubernatorem qui nos creavit, & regit. Sic è contra- rio vitium superstitionis, seu falsæ Religionis inclinatur ad Deo reddendum cultum perniciose, aut superflue. Vel etiam ipsi creaturæ tacite, vel expresse.



## QUAESTIO VIII.

*Quotuplex sit superstitio?*

**F**RANC. Loquendo generalissime ex parte objecti duplex est superstitio. 1. Quæ habet pro objecto Deum cui tamen exhibet cultum indebite. v. g. si quis coleret Deum falsis ceremonijs, eo modo quo in questione sequenti dicetur. 2. Quæ exhibet cultum divinum cui non debet scilicet cuicunque creaturæ. v. g. Dæmoni, Soli, Lunæ &c.

**D.** Thom. Et hoc secundum superstitionis genus dividitur in multas species sive diversos fines divini cultus. 2. 2. q. 92. 4. 2.  
 Ordinatur namque primò divinus cultus ad reverentiã Deo exhibendam: & sive hoc prima species huius generis est Idololatria quæ divinam reverentiam indebite exhibet creaturæ. 2. Ordinatur ad hoc quod homo instruat a Deo quem colit: & ad hoc pertinet superstitio divinatoria quæ Demones consulit per aliqua pacta cum eis inita vel tacita vel expressa. 3. Ordinatur divinus cultus ad quandam directionem humanorum actuum sive instituta Dei qui colitur: & ad hoc pertinet superstitio quarundam observantiarum.

## QUAESTIO IX.

*Num in cultu veri Dei possit esse aliquid perniciosum?*

**D.** Tom. Potest esse. Nam mendacium maxime perniciosum est quod fit in his quæ ad Christianam religionem pertinent. Est autem mendacium cum aliquis exterius significat contrarium veritati. Sicut autem aliquid significatur verbo, ita etiam aliquid significatur

facto; & in tali significatione facti consistit exterior religionis cultus. Et ideo si per cultum exteriorem aliquid falsum significetur, erit cultus perniciosus.

Hoc autem contingit dupliciter. 1. ex parte rei significatæ à qua discordat significatio cultus: & hoc modo tempore novæ legis, peractis jam Christi mysterijs perniciosum est vti cæremonijs veteris legis quibus Christi mysteria figurabantur futura: sicut etiam perniciosum esset si quis non confiteretur Christum esse passum. 2. Potest contingere falsitas in exteriori cultu ex parte colentis: & hoc præcipue in cultu communi qui per ministros exhibetur in persona totius Ecclesiæ. Sicut etiã falsarius esset qui aliqua proponeret ex parte alicujus quæ non essent ei commissa: ita vitium falsitatis incurrit qui ex parte Ecclesiæ cultum exhibet Deo contra modum divina autoritate ab Ecclesia constitutum, & in Ecclesia consuetum.

Disp. 3. q.  
5. p. 1.  
n. 2. tom. 2.

Bonacina. Accidit etiam cultus falsus quando quis divino officio admiscet turpia tanquam divini officij partem: aut quando fidem nr̄am falsis miraculis contendit confirmare aut quando falsa miracula prædicat: aut falsas reliquias proponit adorandas, aut formam, vel materiam sacramentorum mutat. Et hic cultus est peccatum mortale ex genere suo, quia gravem infert irreverentiam in Deum.

PAR. 6. tra.  
9. disp. 1.  
q. 10.

Leander de Santissimo Sacram. Peccat etiam mortaliter qui fingit se esse aliquem sanctum v. g. Divum Petrum, vt alios fallat. Quia revera miracula falsa publicat: secus esset si ex joco id faceret & haberet intentionem & animum statim eos qui sua fictione deceperit, admonendi de suo joco.

Franc. Hic autem sciendum Vniuersalem Ecclesiam habere diversas consuetudines in particularibus Ecclesijs in cultu divino. Græci enim vtuntur pane fermentato

rate, Latini Azimo ad Eucharistiam. Utensilia in Ecclesia Latina sunt diversi modi persolvendi divinum officium diversique ritus celebrandi missas. Alij enim utuntur Breviario, & Missali Romano, secus alij ut Religiosi Dominicani. Quia tamen hæ diversæ consuetudines in nullo veritati repugnant, ideo sunt servandæ, & præterire eas illicitum est.

## QUÆSTIO X.

*Num in cultu Dei possit esse aliquid superfluum?*

**D.** Thom. In cultu divino potest esse superstitio 2 2 9 93.  
 ex aliqua superfluitate. Aliquid autem dicitur superfluum dupliciter. 1. sm absolutam quantitatem: & sm hoc non potest aliquid superfluum esse in cultu divino: quia nihil potest homo facere quod non sit minus eo quod Deo debet. 2. Potest esse aliquid superfluum sm quantitatem proportionis quia scilicet non est fini proportionatum. Finis autem divini cultus est ut homo det Deo gloriam, & ei se subijciat mente, & corpore.

Et ideo quidquid homo faciat quod pertineat ad Dei gloriam, & ad hoc quod mens hominis Deo subijciatur, & etiam corpus per moderatam refrenationem concupiscentiarum sm Dei, & Ecclesiæ ordinationem & consuetudinem eorum quibus homo convivit, non est superfluum in divino cultu.

Si autem aliquid sit quantum est de se, non pertinens ad Dei gloriam, neque ad hoc quod mens hominis feratur in Deum, aut quod carnis concupiscentiæ moderate refrenentur: aut etiam si sit præter Dei, & Ecclesiæ institutionem, vel contra consuetudinem communem (quæ sm Augu. pro lege habenda est) totum hoc reputandum est superfluum, & superstitiosum: quia in ex-

terioribus solum consistens, ad interiorē Dei cultum non pertinet.

*ib: sup.  
n. 4*

**Bonacina.** Cultus superfluous contingit, quando præter Ecclesiæ usum ponitur religio in ijs rebus aut circumstantijs in quibus non est ponenda, vt in numero, colore, situ &c. Vnde qui putat tot candelas adhibendas esse, & non plures, aut debere potius esse albi quam flavi coloris: aut debere potius in hac parte poni quam in alia, committit peccatum superstitionis, seu superflui cultus.

Idem dicendum est quando variantur ceremoniæ ab Ecclesia præscriptæ, vt si quis variet ceremonias in Missa relictijs his quas Ecclesia instituit, vt si dicat bis Alleluia, vbi semel tantum dicendum est, aut si dicat Gloria, vel Credo, vbi hæc non sunt dicenda, aut si faciat signū Crucis vbi faciendum non est.

Hæc tamen variatio vt plurimum non est plusquam veniale peccatum. Ratio est, tum quia fit ex bono animo, & intentione, tum quia non videtur includere gravem irreuerentiam. Secus si magna sit inversio in ceremonijs magni momenti ex præcepto vel consuetudine debitis, vt si magna in ceremonijs Missæ inversio contingat: tunc enim materia videtur gravis, & Deo valde iniuriosa, nisi adsit aliqua circumstantia excusans.

## QVÆSTIO XI.

*Num. Idololatria sit species superstitionis?*

*In 2 de  
dote. C. 7.*

**A**ugu. Superstitiosum est quidquid institutum est ab hominibus ad faciēda, & colēda idola, vel pertinens, ad colēdum sicut Deum, creaturam, partē ve vllam creaturæ.

*2 2. 94. 1.*

**D. Thom.** Ad superstitionem pertinet excedere debi

tam modum divini cultus: quod quidem præcipue fit quando divinus cultus exhibetur cui non debet exhiberi: debet autem exhiberi soli summo Deo scilicet increato. Et ideo cuicunque creaturæ divinus cultus exhibetur, superstitiosum est. Huiusmodi autem cultus divinus sicut creaturæ insensibili exhibebatur per aliqua sensibilia signa, puta sacrificia, ludos, & alia huiusmodi: ita etiam è converso exhibebatur creaturæ representatæ per aliquam sensibilem formam, seu figuram quæ idolum dicitur.

Franc. Nomen autè Idololatria ex communi consuetudine qua creaturas quascunque colebant Gentiles sub quibusdam imaginibus impositum est ad significandum quencumque cultum creaturæ, etiam si sine imaginibus fieret.

## QUÆSTIO XII.

*Num Idololatria sit peccatum?*

**D.** Thom. Exodi 20. dicitur. Non adorabis ea, scilicet exteriorius, neque coles, scilicet interiorius, ut glossa exponit. Et loquitur de sculptilibus, & imaginibus. Ergo peccatum est idolis exteriorem vel interiorè cultum exhibere. Et quidem gravissimum ex parte ipsius peccati. Sicut enim in terrena republica gravissimū esse videtur quod aliquis honorem regium alteri impendat quam vero Regi (quia quantum in se est reipublicæ perturbat ordinem) ita in peccatis quæ contra Deum committuntur, quæ tamen sunt maxima, gravissimum esse videtur quod aliquis honorem divinum creaturæ impendat: quia quantum est in se facit alium Deum in mundo minuens principatum divinum.

Si tamen attendatur gravitas peccati ex parte ipsius

*Ibid. nu. 1.*

*2.*

*Ibid. 4. 3.*

peccantis. sicut dicitur gravius esse peccatū eius qui peccat scienter, quam eius qui peccat ignoranter: nihil prohibet gravius peccare hæreticos scienter corrupentes fidem quam acceperunt, quam idololatrias ignorantiter peccantes, & similiter aliqua alia peccata possunt esse maiora propter maiorem contemptum peccantis.

Franc. videtur tamen Infidelitatem, desperationem, & odium Dei quæ opponuntur virtutibus theologiceis nempe fidei, spei, & charitati in quibus consistit cultus interior Dei esse graviora peccata quam Idololatriam quæ opponitur cultui exteriori. Videtur etiam blasphemiam, & fidei impugnationem directius esse contra Deum quam idololatriam. Ergo sunt maiora peccata.

D. Thom. Dicendum quod idololatria præsupponit interiorem infidelitatem, & adijcit exteriori indebitum cultum. Si vero sit exterior tantum Idololatria absque interiori infidelitate additur culpa falsitatis. Pariter Idololatria includit magnam blasphemiam, in quantum Deo subtrahitur dominij singularitas, & fidem opere impugnat Idololatria.

Cajetanus. Idololatria sine genitum suum claudit in se infidelitatem, & odium Dei, quoniam utriusque protestatio est. Colens namque idola quantum in se est tollit à Deo suam singularem excellentiam qua solus est Deus (hæc est autem sua deitas) quod ad odium Dei spectat. Et negat huiusmodi singularitatem, quod ad infidelitatem spectat: ac per hoc gravius peccatum illis est sine se.

Franc. Per se enim patet Idololatriam claudentem infidelitatem, & odium Dei esse maius peccatum infidelitate & odio Dei sumptis abs Idololatria.

Cajet. Et quia idololatria tantum exterior est etiam protestatio infidelitatis & odij Dei, ideo retinet gravitatem sui generis, ac per hoc est gravior sine genitum suum

infide-

4. 3. ad 1.  
2. 2. q. 94.

ibid. ad 2.

2. 2. sup.  
q. 94. 4.  
2. 3.

ibid.

infidelitate, & odio Dei: & includit præter sui generis gravitatem, gravitatem mendacij perniciosi.

D. Thom. Nam cum exterior cultus sit signum interioris cultus, sicut est perniciosum mendacium si quis verbis asserat contrarium eius quod per veram fidem tenet in corde, ita etiam est perniciofa falsitas si quis exteriorem cultum exhibeat alicui contra id quod sentit in mente. Vnde Augu. dicit contra Senecam in 6. de civit. Dei quod eo damnabilius colebat idola, quo illa quæ mendaciter agebat, sic ageret ut eum populus veraciter agere existimaret.

2. 2. q. 94.  
4. 2.

Franc. Hic autem occurrit dubium, an Christianus committens actum idololatriæ salva integre interiori fide, incurrat pænas censurarum Ecclesiasticarum in foro conscientiæ: ita quod in veritate & non solum in foro exteriori sit excommunicatus.

Caietanus. Christianus qui in solum exteriorem actum negandi fidem consentit, est in foro conscientiæ excommunicatus, quia voluntariè consentit in actum infidelitatis, & illum exercuit negando Christum verbo. Similiter qui solum actum idololatriæ exteriè commisit, excommunicatus est in foro conscientiæ, quia actum infidelitatis, & apostasiæ voluntariè exercuit. Est enim idololatria ex proprio genere, infidelitatis protestatio.

2. 2. *supr.*  
q. 94. 4. 1.

Mart. Nav. Huius ( id est Caietani ) oppositam sententiam dedimus olim pro responso interrogati de certis casibus qui Religioso Societatis Jesu apud Saracenos agenti occurrerunt erga Christianos quosdam qui timore perculsi, & propter alias causas se esse Saracenos finxerunt. Et secuti sumus eum qui Repertorium Inquisitorum composuit, in verbo Hæreticus, & ratio est quia talis homo non est pertinax contra fidem, & consequenter nec hæreticus, licet gravissime peccet: vnde

*In Enchy.*  
2. 11. n. 27.

nec incurrit excommunicationem in Bulla Cœnæ latam contra hæreticos.

Dup. 3. q.

5. p. 2. n. 5.

Bonaci. In foro tamen exteriori præsumitur excommunicatus qui ficto animo colit idolum vt mortis periculum evadat, & peccat mortaliter, quia forum externum præsumit ex animo coluisse.

Fran. Hæc opinio Navarri, & Bonacinæ suavior, & probabilior videtur opinione Caietani. Nam excommunicatio Bullæ Cœnæ fertur contra hæreticos credentes, non contra Idololatrias solum externos.

## QVAESTIO XIII.

*Num Divinatio sit peccatum?*

2. 2. q. 95.

4. 1.

**D** Thom. Nomine Divinationis intelligitur quædam prænunciatio futurorum. Futura autem dupliciter prænosci possunt. 1. in suis causis. 2. in se ipsis. Causæ autem futurorum tripliciter se habent. Quædam enim producunt ex necessitate, & semper suos effectus. Et hi effectus futuri per certitudinem prænosci, & prænuntiari possunt ex consideratione suarum causarum, sicut Astrologi prænuntiant eclipses futuras.

Quædam vero causæ producunt suos effectus non ex necessitate, & semper, sed vt in pluribus, raro tamen deficiunt; & per huiusmodi causas possunt prænosci effectus futuri non per certitudinem sed per coniecturam, sicut Astrologi per considerationem stellarum quædam prænoscere, & prænuntiare possunt de pluijs, & siccitatibus, & medici de sanitate, vel morte.

Quædam vero causæ sunt quæ si in se considerentur se habent ad vtrumlibet: quod præcipue videtur de potentijs rationalibus quæ se habent ad opposita. Et tales effectus, vel etiam si qui effectus vt in paucioribus casu



accidunt ex naturalibus causis, per considerationem causarum prænosci non possunt: quia eorum causæ non habent inclinationem determinatam ad huiusmodi effectus. Et ideo effectus huiusmodi prænosci non possunt nisi in se ipsis considerentur.

Homines autem huiusmodi effectus in se ipsis considerare possunt solum dum sunt præsentis: sicut cum homo videt Sortem, currere, & ambulare: sed considerare eos in se ipsis antequam fiant, est Dei proprium, qui solus in sua æternitate videt ea quæ futura sunt quasi præsentia. Si quis ergo huiusmodi futura prænuntiare, aut prænoscere quocumque modo præsumpserit, nisi Deo revelante, manifeste usurpat sibi quod Dei est: & ex hoc aliqui divini dicuntur. Unde dicit Isidorus in libr. Ethymolog. Divini dicti quasi Deo pleni. Divinitate enim se plenos simulant, & astutia quadam fraudulentiæ hominibus futura coniectant.

Divinatio ergo non dicitur si quis prænuntiet ea quæ ex necessitate eveniunt, vel ut in pluribus quæ humana ratione prænosci possunt: neque etiam si quis futura alia contingentia, Deo revelante, cognoscat. Tunc enim non ipse divinatur, sed magis quod divinum est suscipit. Tunc autem solum dicitur divinare, quando sibi indebito modo usurpat prænuntiationem futurorum eventuum. Hoc autem constat esse peccatum. Unde divinatio semper est peccatum.

Fran. Licet autem homo naturalem habeat inclinationem ad cognoscendum futura: hoc tamen intelligitur secundum modum humanum, non autem secundum indebitum Divinationis modum.



## QUAESTIO XIV.

*Num divinatio sit species superstitionis?*

2.2.9.95.  
4.2.

**D.** Thom. Superstitio importat indebitum cultum divinitatis. Ad cultum autem Dei pertinet aliquid dupliciter, 1. cum aliquid Deo offertur vel sacrificium, vel oblatio, vel aliquid huiusmodi. 2. cum aliquid di-  
divinum assumitur vt in iuramento. Et ideo ad superstitionem pertinet non solum cum sacrificium demonibus offertur per idololatriam, sed etiam cum aliquis assumit auxilium dæmonum ad aliquid faciendum, vel cognoscendum.

Omnis autem divinatio ex operatione demonum venit, vel quia expresse demones invocantur ad futura manifestanda: vel quia demones ingerunt se vanis inquisitionibus futurorum vt mentes hominum implicent vanitate. Vana autem inquisitio futurorum est quando aliquis futurum prænoscere tentat, vnde prænosci non potest. Manifestum est ergo quod divinatio species superstitionis est.

supr. 22.

9.95.4.2.

Caietanus: Ratio superstitionis in divinationibus est, quia auxilium dæmoniacum assumitur: & ideo ad hoc oportet semper inspicere: & hinc scire quod divinatio ex genere suo, mortale peccatum est.

Franc. Occurrit tamen dubium, quomodo vana inquisitio futurorum possit esse peccatum mortale: nam vacare vanis vt vanis non est maior culpa quam vanitas, & consequenter non erit nisi peccatum veniale. Vanum enim & stultum est v. g. querere smaragdum in capite Gallinæ: petere consilium à puero: vel interrogare medicum de arte navigandi, aut Nautam de medecina: hæc autem licet sint stulta, non tamen sunt peccata mor

taliam. Ergo pariter vacare vanis ex quibus futurum cognosci non potest, non est peccatum mortale.

Leand. de SS. Sacr. Dicendum quod eo ipso quod quis media vana intentat quibus libentissime demon se permisset vult à Dæmone vanorum inventore doceri, cum quo nec societas nec fædus esse debet cum sit hostis Dei, & hominum: unde non excusatur à pecc. mortali qui in talibus vanitatibus versatur: nam id est tacite invocare demonem: posset tamen excusari ratione ignorantie quæ nec affectata, nec nimis crassa sit: quia non est adeo patens huius divinationis malitia. Cæterum non excusabitur à mortali peccato, si quis monitus quod in talibus divinationibus, tacite invocatur demon, adhuc in illis perseverat.

par. 6 tra.  
9. diff. 2.  
9. 7. 7. 8.  
11. par.

Franc. Vacare igitur vanis ut vanis non est nisi vanitas, & peccatum veniale. Vacare autem vanis ut utilibus ad cognitionem futurorum cum revera ex eis cognosci non possunt, hoc est superstitiosum & peccatum mortale ex genere suo, nisi aliunde excusetur sic vacans vanis vel propter ignorantiam, aut aliquid huiusmodi.

## QUAESTIO XV.

*Num sint plures divinationis species?*

**D**. Thom. Omnis divinatio utitur ad præcognitionem futuri eventus aliquo dæmonum consilio vel auxilio. Quod quidem vel expresse imploratur: vel præter intentionem hominis se occulte demon ingerit ad prænuntiandum futura quædam quæ hominibus sunt ignota, eis autem nota per modos aliquos.

2. 2. 9.  
95. 4. 3.

Dæmones autem expresse invocati solent futura prænuntiare multipliciter quando quidem præstigiis quibusdam apparitionibus se aspectui, & auditui hominū

ingerentes ad prænuntiandum futura : & hæc species vocatur præstigium : ex eo quid oculi hominum præstriunguntur. Quandoque autem per somnia , & hæc vocatur divinatio somniorum. Quandoque vero per mortuorum aliquorum apparitionem , vel locutionem : & hæc species vocatur Necromantia; quia quibusdam præcantationibus adhibito sanguine , videntur resuscitati mortui divinare , & ad interrogata respondere. Quandoque vero per homines vivos, sicut in arreptitijs patet. Et hoc est divinatio per Pythones.

Quandoque vero futura prænuntiant per aliquas figuras vel signa quæ in rebus inanimatis apparent : quæ quidem si appareant in aliquo corpore terrestri, puta in ligno , vel ferro vel lapide polito , vocatur Geomantia. Si autem in aqua , Hydromantia. Si autem in aere, Aeromantia. Si autem in igne , Pyromantia. Si autem in visceribus animalium immolatorum in aris dæmonum , vocatur Haruspicium.

Divinatio autem quæ fit absque dæmonum invocatione in duo genera dividitur. Quorum primum est quando ad prægnoscentiâ futura aliquid consideramus in dispositionibus aliquarum rerum. Et si quidem aliquis conetur futura prænoscere ex consideratione motus , & situs syderum , hoc pertineret ad Astrologos , qui & Genethliaci dicuntur propter natalium considerationes dierum. Si vero per motus , vel voces avium , seu quorumcunque animalium , sive per sternutationes hominum , vel membrorum saltus : hoc pertinet generalitèr ad Augurium quod dicitur à garritu avium , sicut Auspicium ab inspectione avium.

Si vero huiusmodi consideratio fiat circa verba hominum absque intentione , dicta , quæ quis retorquet ad futura quæ vult prænoscere , hoc vocatur Omen.

Si autem considerentur aliquæ dispositiones figura-

rum in aliquibus corporibus visui occurrentes erit alia divinationis species. Nam ex lineamentis manus consideratis divinatio sumpta, Chyromantia dicitur. Divinatio vero ex quibusdam signis in spatula alicuius animalis apparentibus, spatulamantia vocatur.

Ad secundum autem divinationis genus quod est sine expressa demonis invocatione, pertinet divinatio quæ fit ex consideratione eorum quæ eveniunt ex quibusdã quæ ab omnibus serio fiunt ad aliquid occultum inquirendum: sive per protractionem puntorum, quod pertinet ad artem Geomantiæ: sive per considerationem figurarũ quæ proveniunt ex liquefacto plumbo in aqua projecto: sive ex quibusdam schedulis scriptis in occulto repositis, dum consideratur quis quam accipiat: vel etiam ex festucis inæqualibus propositis, quis maiorem, vel minorem accipiat: vel taxillorum projectione, quis plura puncta projiciat: vel etiam dum consideratur quid aperienti librum occurrat, quæ omnia Sortes appellantur, sive Sortium nomen habent.

Sic ergo patet triplex divinationis genus, quorum primum est per manifestam demonis invocationem, quod pertinet ad Necromanticos. Secundum autem est per solam considerationem dispositionis vel motus alterius rei, quod pertinet ad Augures. Tertium est cum facimus aliquid ut nobis manifestetur aliquid occultum quod pertinet ad Sortes. Sub quolibet autem horum multa continentur, ut patet ex dictis.

In omnibus tamen prædictis est eadem generalis ratio peccandi, sed non eadem specialis. Multo enim gravius est demones invocare quam aliqua facere quibus dignũ sit ut se demones ingerant.

*Ibid. id 1.*

Franc. Hinc habetur cognitionem futurorum vel occultorum esse ultimum finem ex quo sumitur generalis ratio divinationis. Supradictas autem diuersas species

distingui fm propria obiecta sive materias, prout scilicet in diversis rebus occultorum cognitio consideratur.

Disp. 395  
p. 3. n. 21.  
tom. 2.

Bonaci. Divinatio autem sive fiat per aerem, sive per aquam, ignem, astra, somnia &c. Est eiusdem speciei in genere moris, & diversæ speciei in genere naturæ. Ratio est, tum quia quovis modo fiat eandem habet cū recta ratione oppositionē: tum quia sicut furta auri argenti fructuum, librorum, vestium aliarum que rerum pretio stimabilium non sunt diversæ speciei in genere moris, ita neque divinationes sive fiant per aerem sive per aquam sive per somnia &c.

ibid. n. 22.

Ex quo sequitur non opus esse in confessione exprimere rem per quam facta est divinatio: nam diversitas rei non mutat iudicium confessarij, nec diversam speciē constituit, & accidentarium est divinationi quod potius in vna quam in alia re fiat.

Franc. Denique ad præfatas superstitiones divinativas reducuntur plures alij divinandi modi. Nam ad prestigium reducitur non solum quando demones apparent ad occulta revelanda in corpore assumpto, vel ab eis constructo applicando activa passivis, sive formando illud ex aere: sed etiam quando efformant voces manifestativas occultorum de quibus sunt interrogati, quamvis in nullo corpore appareant.

Ad divinationem per somnia reducitur quando lamie & striges feruntur à dæmone in somnis de loco ad locū vel realiter: vel quando media diabolica vñctione corripiuntur sopore & in eodem loco manentes, per somnia, ea omnia eis repræsentantur quæ postea se vidisse narant estò distantia.

Ad divinationem Pythonicam pertinet divinatio Oraculorum, nimirum responsiones datæ à dæmone certis in locis ministerio hominum vivorum.

Joannes Alberghini. Et considerandum est quod in  
 Arreptitijs raro intervenit pactum : in Oraculis vero  
 datur pactum expressum & communicatio cū demonibus

*In Manual.*  
*Qualifica.*  
*c. 18. sect. 2*  
*s. 3. n. 5.*

## QUÆSTIO XVI.

*Quid sit pactum Divinatoris cum demone?*

**C**ardinalis Toletus. Pactum est promissio facta ab  
 homine dæmoni, & à dæmone homini. Promittit  
 enim homo obedientiam dæmoni, & negationem divi-  
 norum præceptorum, & mandatorum : & promittit de-  
 mon se facturum, vel ostensurum ea quæ divinator sci-  
 re vult. Hoc autem pactum dupliciter fit. 1. cum ipso  
 met dæmone qui visibiliter apparet, & fædus init. 2.  
 quando fit medio aliquo homine, vt cum quis per ali-  
 quem Magum superstitiosum tale facit pactum.

*In instr.*  
*sacerdotū*  
*l. 4 c. 14.*  
*n. 5.*

Joan. Albergh. Duplex autem pacti genus inter sorti-  
 legum, seu Divinatorem, & dæmonem intervenire so-  
 let, alterum expressum, tacitum alterum. Expressum  
 cum dæmone pactum est quod expressis verbis fit cum  
 dæmone : exempli gratia. Facis vt faciam, idest invo-  
 cabis me & dabis cultum & ego auxiliabor tibi. Item  
 pones talia, vel talia signa, aut hoc vel illud facies, &  
 ego ad positionem illorum, aut cum hoc, vel illud fe-  
 ceris, favebo tibi, & hoc vel illud pro te efficiam.

*In Manus.*  
*cit. sect. 2.*  
*s. 2. à nu.*  
*l. 2.*

Expresse item invocatur demon virtute huius pacti  
 non solū quando expressis verbis auxilium ab illo requi-  
 ritur ipse que interpellatur : sed etiam quando ille qui  
 sciens dæmonem per aliqua signa invocari, & occulta  
 docere, ea signa vsurpat & facit, vt rem aliquam ab illo  
 edoceatur.

Tacite autem & implicite dæmon invocatur cum  
 quis cognitionem aut effectum alicuius rei soli Deo

reservatum medijs vanis & indebitis procurat. Nam quamvis præter illius intentionem sit dæmonem tunc invocare, tamen eo ipso quod hæc media vana tentat, quibus libentissime dæmon se permiscet, vult à dæmone vanorum inventore edoceri, & ab ipso consequi quod sperat, præsertim vigore pacti expressi habiti cū primo instituyente.

Disp. 3. 9.  
S. p. 3. 4.  
Bonaci. Quamvis vtens his medijs vanis dicat exterius se nolle dæmonem invocare, & expresse in mente sua intendat non invocare: nihilominus dicitur tacite invocare dum serio media inutilia, & vana usurpat, quibus non potest alio pacto res latentes cognoscere quam ope demonis.

Etiam contingit hæc tacita invocatio cum adhibentur hæc media vana & inutilia ad diuinandum, etiamsi dæmon nullum antea pactum cum aliquo inierit concurrendi cum eo qui huius modi signis usus fuerit: nam constat dæmonem libenter se inmiscere his vanitatibus, & inutilibus signis.

Franc. Aliter etiam claritatis gratia potest explicari pactum. Nam pactum aliud est conuentionale. Ut faciã hoc, & tu facies illud. Aliud est non conueniale. Et hoc nihil est aliud quam invocare dæmonem ad aliquid: & hæc invocatio dicitur socialem actum cum dæmone. Vnde invocatio expressa est pactum expressum licet non pactum conuentionale, bene vero sociale, & invocatio tacita (quæ reperitur in opere cui dæmon se libenter ingerit, est pactum implicitum, vt constat ex hucusque dictis.

لَا إِلَهَ إِلَّا اللَّهُ  
مُحَمَّدٌ رَسُوْلُهُ  
لَا إِلَهَ إِلَّا اللَّهُ  
مُحَمَّدٌ رَسُوْلُهُ  
لَا إِلَهَ إِلَّا اللَّهُ  
مُحَمَّدٌ رَسُوْلُهُ



## QUAESTIO XVII.

*Num omnis Divinatio quæ fit per invocationes dæmonum sit illicita?*

**D.** Thom. Illicita est. 1. Quia est pactum expresse initum cum dæmone per ipsam dæmonis invocationem? & hoc est omnino illicitum. Et adhuc gravis esset si sacrificium vel reverentia dæmoni invocato exhiberetur. 2. Quia dæmon qui intendit perditionem hominum ex suis responsis: etiam si aliquando vera dicat, intendit homines affluere ad hoc quod ei credatur, & sic intendit perducere in aliquod quod sit salutis humanæ nocivum.

Suarez. Et ideo qui quocumque modo dæmonem consulit societatem vel quodcumque pactum cum illo contrahendo, in magno periculo versatur incidendi in baptisum apostatandi à Deo. Nam affectus dæmonis in ordinatissimus est per summam superbiam, & odium: & artes ad decipiendum, & industria ac experientia sunt rei maximæ.

Franc. Unde societas cum dæmone hoste Dei & hominum est perniciosa & læsæ Maiestatis reus, cum sit contra fidelitatem quam debemus Deo qui inimicitias indixit inter homines, & dæmonem, easque in Baptismo respondent homines renuntiantes dæmoni & operibus eius.

D. Thom. Aliud autem est inquirere aliquid à dæmone sponte occurrente quod quandoque licet propter utilitatem aliorum maxime quando divina virtute compelli potest ad vera dicenda. Cæterum ipsum invocare ad cognitionem occultorum ac quæ sitiorum ab ipso est illicitum. Unde nec ad sciendâ v. g. furta occulta, licet

2. 2. q.

95. 4.

L. 2. de  
superst. c.  
8. n. 18.  
tom. 1. de  
Relig.

2. 2. q. 95.

4. 4. ad 1.

c. 3.

quandoque utile sit scire ea, est interrogandus, vel confidendus dæmon: nam nulla utilitas temporalis potest comparari detrimento spiritualis salutis quod imminet ex inquisitione occultorum per dæmonum invocationem.

In Enchyri.  
c. 11. n. 28.  
c. 26.

Mart. Nav. Colloqui autem cum dæmonibus corpora hominum obsidentibus ob curiositatem, vel vanitatem, tantum, non est plusquam veniale peccatum. Peccat vero mortaliter qui habet dæmonem familiarem ut ipsum admoneat, vel ei ostendat quæ in locis secretis, aut remotis geruntur.

## QVAESTIO XVIII.

*Num Divinatio quæ fit per Astra, sit illicita?*

2.2. q. 95.  
a. 5.

**D.** Thom. Dicitur est quod divinationi quæ ex opinione falsa vel vana procedit, ingerit se operatio dæmonis ut hominum animos implicet vanitati, aut falsitati. Vana autem aut falsa opinione utitur si quis ex consideratione stellarum futura velit præcognoscere quæ per ea prænosci non possunt. Et quidem quæ ex necessitate eveniunt à celestibus corporibus possunt per inspectionem eorum prænosci, sicut Astrologi prænuntiant eclipses futuras.

Duplices autem effectus subtrahuntur causalitati celestium corporum: 1. Omnes effectus per accidens contingentes sive in rebus humanis sive in rebus naturalibus. Ut quod lapide cadente, fiat terræmotus: vel quod homine fodiente sepulchrum inveniatur thesaurus. Nam ens per accidens non habet causam & præcipue naturalem, cuiusmodi est virtus celestium corporum. Unde per inspectionem eorum, nequit cognosci effectus per accidens. 2. Subtrahuntur causalitati celestium

corporum actus liberi arbitrij quod est facultas voluntatis, & rationis. Intellectus enim sive ratio, & voluntas nec sunt corpus, nec actus organi corporci. Nullum autem corpus potest imprimere in rem incorpoream. Vnde impossibile est quod corpora cælestia directe imprimant in intellectum, & voluntatem. Et sic corpora cælestia non possunt esse per se causa operationum liberi arbitrij.

Possunt tamen ad hoc dispositive inclinare in quantum imprimunt in corpus humanum & per consequens in vires sensitivas quæ sunt actus corporalium organorum qui inclinant ad humanos actus. Quia tamen vires sensitivæ obediunt rationi nulla necessitas ex hoc libero arbitrio imponitur, sed contra inclinationem cælestium corporum homo potest per rationem operari.

Si quis ergo consideratione astrorum utatur ad prænoscentes futuros casuales, vel fortuitos eventus, aut etiam ad prænosendum per certitudinem futura opera hominum, procedit hoc ex falsa, & vana opinione. Et sic operatio dæmonis se immisceat: vnde erit divinatio superstitiosa, & illicita. Secus vero est uti consideratione Astrorum ad præcognoscenda futura quæ causantur ab eis, ut pluvix, siccitates, & huiusmodi alij effectus.

Bonaci. Hinc patet modum divinandi thesaurum, *Disp. 3. q. 5* vel inveniendi furtum occultum aut virginitatem *p. 3. n. 4.* per Astrologiam esse superstitiosam cum sine dæ- *rom. 2.* monis ope cognosci non possit. Hac de causa non possunt consuli Magi, aut Astrologi ad cognoscendum ubi lateat thesaurus, cum hoc sine dæmonis ope cognosci non possit, nec ipsi hoc scire possunt nisi consulto dæmone.

Remig. Consulens Divinatorem, aut Astrologum, *In prompt. moral. c. 2.* super res perditas, vel futura contingentia dependentia *n. 8.*

ex libero arbitrio peccat graviter, & tenetur denuntiare talem Divinatorem Dominis Inquisitoribus supremæ Inquisitionis, si novit Divinatorem non nisi ope dæmonis scire potuisse rem de qua fuit interrogatus.

Tract. 1.  
L. 3. de 1.  
prac. deca  
c. 4. n. 53.

Rocassull. Ex his colligitur solum per Astrologiam prædici posse futuros eventus provenientes necessario, vel frequenter ex causis naturalibus; & prædictiones circa navigationem, agriculturam & medicinam conceduntur in quadam Bulla sexti quinti. Quæ incipit, Cæli, & terræ Creator.

De Relig.  
tom 1. l. 2.  
de superst.  
c. 11.

Suarez. Hinc duplex Astrologia distinguenda est. Una naturalis, alia iudiciaria. Prima dicitur Astronomia cuius munus est cognoscere naturam & proprietates Astrorum, magnitudinem, velocitatem, motum, stationem &c. Et hinc deducere, & pronoscere aliquos effectus venturos ex his astris & eorum motibus, & proprietatibus, ut eclipses, annorum revolutiones &c. Et hæc inquisitio est per se honesta, & utilis, licet in ea possit contingere vitium artis, id est error, nam difficile est humano ingenio, naturali investigatione cognoscere Astrorum proprias virtutes.

in min.  
Quæst. l. 1. c.  
18. sect. 2.  
§. 5. n. 3.

Joan. Albergh. Astrologia autem iudiciaria prædicens futura contingentia quæ pendent ex libero arbitrio, per Astra, superstitiosa est, & divinat ex tacito pacto cum dæmone.

22. q. 95.  
a. 5. ad 2.

Franc. Tandem Astrologorum assertiones & prænuuntiationes de rebus quæ Astrorum influentijs non subduntur sunt incertæ, & cavendæ bonis Christianis.

D. Thom. Quod autem Astrologi frequenter vera prænuuntiant ex consideratione Astrorum, provenit 1. Quia plures hominum passiones corporales secuntur. Et ideo actus eorum disponuntur, ut in pluribus secundum inclinationem cælestium corporum. Pauci autem sunt id est soli sapientes qui ratione huiusmodi inclinationes

moderantur. Et ideo Astrologi in multis vera prænu-  
tiant, & præcipue in communibus eventibus qui dependen-  
dent ex multitudine, 2. Propter demones se immiscetes.

## QUAESTIO XIX.

*Num Divinatio quæ fit per somnia, sit illicita?*

**S**UAREZ. Principio supponendum est somnium appel-  
lari imaginariam visionem, seu apprehensionem quæ  
in sensu interiori fit tempore somni quando exteriores  
sensus sopiti sunt.

**D. Thom.** Considerare oportet quid sit verum circa  
præcognitionem futurorum de somnijs. Sunt autem  
somnia futurorum eventuum quandoque quidem cau-  
sa, ut cum mens alicuius sollicita ex his quæ videt in som-  
nijs inducitur ad aliquid faciendum vel vitandum. Quan-  
doque vero somnia sunt signa aliquorum futurorum  
eventuum, in quantum reducuntur ad aliquam causam  
communem somnijs, & futuris eventibus. Et in hoc  
plures præcognitiones futurorum in somnijs fiunt.

Est ergo considerandum quæ sit causa somniorum, &  
an possit esse causa futurorum eventuum, vel ea possit  
cognoscere. Somniorum vero causa quandoque est in-  
terior, quandoque exterior. Causa interior est duplex.  
1. Animalis in quantum S, ea occurrunt hominis phan-  
tasie in dormiendo circa quæ eius cogitatio & affectio  
fuit immorata in vigilando. Et talis causa somniorum  
non est causa futurorum eventuum, sed per accidens  
concurreret cum illis si aliquando casualiter simul con-  
currunt. 2. Causa intrinseca est corporalis: nam ex in-  
teriori dispositione corporis formatur aliquis motus in  
phantasia conveniens tali dispositioni, sicut homini in  
quo abundant frigidi humores occurrunt in somnijs quod

*De Relig.*  
tom. 1 l. 2.  
*de Superst.*  
c. 14.

2 2. q. 95.  
a. 6.

fit in aqua, vel in nive. Et propter hoc medici dicunt esse intendendum somnijs ad cognoscendum interiores dispositiones.

Causa autem somniorum exterior etiam est duplex, corporalis, S, & spiritualis. Corporalis quidem in quantum imaginatio dormientis immutatur vel ab aere continenti, vel ex impressione cælestis corporis, ut sic dormienti aliquæ phantasiæ appareant conformes cælestiū dispositionum. Spiritualis autem causa est quando quidem à Deo qui ministerio Angelorum aliqua hominibus revelat in somnijs. Quandoque vero operatione dæmonum aliquæ phantasiæ hominibus dormientibus apparent ex quibus quandoque aliqua futura revelant his qui cum eis habent pacta illicita.

Sic ergo dicendum quod uti somnijs ad futura prænoscentia scilicet quod somnia procedunt ex Deo, vel ex causa naturali intrinseca, seu extrinseca, quantum potest se virtus talis extendere, non erit illicita divinatio. Si vero huiusmodi divinatio causetur ex revelatione dæmonum cum quibus pacta habent expressa, quia ad hoc invocantur: vel tacita, quia huiusmodi divinatio extenditur ad quod se non potest extendere, erit divinatio illicita, & superstitiosa.

Tra. 1. l. 3.  
de 1. præc.  
decal. c. 4.  
nu. 61 &  
62.

Rocaf. Notandum tamen somnia dignosci provenire à Deo, vel à dæmone, potissime ex duobus signis. 1. Si impellit ad aliquod malum vel indiscretum profus à dæmone immissum somnium est censendum: si ad aliquid bonum impellit, etsi possit credi à Deo esse immissum, caute tamen procedendum est, ne in Angelum lucis dæmon se transformaverit volens ex somnijs vana, & falsa suadere. 2. Si post somnium animus manet confusus, & ad bona opera tardior, signum est esse à dæmone: & si promptior, & alacrior manet, credi potest esse à Deo. In dubio autem num fuerit à Deo, vel à dæmo-

ne, tutissimum est contemnere somnium tanquam à diabolo immissum. Nam Deus immittens somnium simul reddit hominem certum à se immitti.

Suarez, Est autem in hoc eventu consilium optimum, *vbi supr. c. 13. n. 24.* iudicio, & consuetudine sapientum uti, qui & doctrina, & pietate polleant & experientia spiritualium rerum non omnino careant.

Rocas. Nam ad credendum somnium esse à Deo, satis est arbitrium viri prudentis. *vbi sup. n. 64.*

## QUAESTIO XX.

*Num Divinatio qua fit per auguria, & omina, & alias huiusmodi observationes exteriorum rerum sit illicita?*

**D.** Thom. Dicendum quod motus, vel garritus avium, vel quaecunque dispositiones in huiusmodi rebus consideratæ, manifestum est quod non sunt causa futurorum eventuum: unde ex eis futura cognosci non possunt sicut ex causis. Relinquitur ergo quod si ex eis aliqua futura cognoscantur: hoc erit in quantum sunt effectus aliquarum causarum, qui etiam sunt causantes vel præcognoscentes futuros eventus. *2. 2. q. 95. a. 7.*

Causa autem operationum brutorum animalium est instinctus quidam quo moventur in modum naturæ (non enim habent dominium sui actus) his autem instinctus potest ex duplici causa procedere. i. ex causa corporali: cum enim bruta non habeant nisi animam sensitivam, cuius omnes potentiae sunt actus corporaliū organorum, subiacet eorum anima dispositioni continentium corporum, & primordialiter cælestium. Et ideo nihil prohibet aliquas eorum operationes esse futurorum signa in quantum conformantur dispositionibus

corporum cælestium, & aeris continentis, ex quibus  
proveniunt aliqui futuri eventus.

In hoc tamen considerari oportet, ut operationes hu-  
iusmodi non extendantur nisi ad prænoscenda futura  
quæ causantur per motus cælestium corporum. Et, ut  
non extendantur nisi ad ea quæ aliqualiter possunt ad  
huiusmodi animalia pertinere. Consecuntur enim per  
cælestia corpora cognitionem quandam naturalem ad  
quæ eorum vitæ sunt necessaria, sicut sunt immutatio-  
nes quæ fiunt per pluvias ventos, atque plura alia hu-  
iusmodi.

2. Instinctus brutorum causatur vel ex Deo, ut in  
corvo qui pavit Eliam, in Cete qui evomuit Jonam.  
Vel etiam ex dæmonibus qui utuntur operationibus bru-  
torum ad implicandos animos hominum vanis opinio-  
nibus. Et eadem ratio videtur esse de omnibus alijs hu-  
iusmodi præterquam de omnibus, quia verba humana  
quæ accipiuntur pro omine non subduntur dispositioni  
stellarum: disponuntur tamen sibi divinam providentiam  
& quandoque sibi dæmonum operationem.

Sic ergo dicendum quod omnis huiusmodi divinatio  
si extendatur ultra illud ad quod potest pertingere se-  
cundum ordinem naturæ, vel divinæ providentiæ, &  
superstitiosa est & illicita.

Franc. Unde considerare animalium & avium mo-  
tus, atque dispositiones respectu eorum quæ ad ea per-  
tinent non est illicitum: ut si quis ex hoc quod corni-  
cula frequenter crocitat, prædicat pluviam cito esse  
futuram.

Similiter nec illicitum est observare Omen tanquam  
à Deo datum, quod pacto observavit Gedeon Judic. 7.  
recitationem & expositionem somnii, accipiens ea pro  
omine, quasi ordinata ad sui instructionem à divina pro-  
videntia. Similiter servus Abrahamæ Gen. 24. attendit  
verba Rebecæ, oratione præmissa ad Deum.



## QUAESTIO XXI.

*Num Divinatio sortium sit illicita?*

**R**ocaff. Circa divinationem per Sortem est advertendum triplex esse genus Sortium: quædam enim sunt divisorie, quæ mittuntur ad cognoscendum quid cui eveniat: aliæ Consultorie, quæ mittuntur ad cognoscendum quid in aliquo casu sit agendum: & aliæ Divinatorie, quæ mittuntur ad aliquid occultum, vel futurum cognoscendum.

Bonaci. Sors divisoria licita est modo ad sint debitæ conditiones. Ratio est quia sors divisoria nihil est aliud quam contractus fortunæ in quo partes æqualem subeunt conditionem acquirendi, aut perdendi.

Prima conditio est quod fiat sors in casibus non prohibitis. Ut ad sedandas lites inter hæredes in divisione hæreditatis.

D. Thom. Sors enim divisoria est cum aliqui dividentes hæreditatem, & concordare non valentes mittunt sortes puta anulum, vel chartam, vel aliquid tale ostendendo dicentes ille cuicumque evenerit habebit partem istam in hæreditate & huiusmodi sortes possunt mitti licite. Proverb. 18. Contradictiones comprimit sors: & interpotentes quoque diiudicat. Id est intervolentes dividere.

Bonaci. Item in tempestate periculosa maris licitum est mittere sortes, ut sciatur quisnam in mare projiciendus sit, ne omnes pereant: verum si aliqui in sortitionem consentire nolint, possunt reliqui ipsis invitis sortes mittere, & sortis eventum prosequi, nam ius habent tuendæ vitæ, missione sortium: imo si ipsi missiones sortium iniuste impediunt in mare projici possunt, quia

vim iniustam inferunt ad quam propulsandam reliqui  
jus habent causa servandæ vitæ.

p. 6. tra. 9.  
disp. 2. q.  
85.

Leand. à SS. Sacram. & in casu quo Navigantes in-  
ter se disconvenient, potest Dux navis illis invitis hanc  
fortitionem facere: quia in ea periculum omnium vi-  
tare intendit, aliquorum ruina, quod communi bono  
expedit.

Franc. Hæc doctrina Leandri præferenda est asser-  
tioni Bonacinae: Ductori enim navis principaliter atti-  
net sortitionem facere, cum sit caput navigantium: eo  
autem nolente sortitionem facere, potest fieri id quod  
Bonacina docet.

ibi sup.

Bonaci. Rursus quando Princeps ut rem gratam ali-  
cui faciat, non vult omnes reos mortis plectere, sed  
aliquos tantum, curat mitti sortes divisorias. Li-  
cite facit. Item quando milites convenire inter se  
non possunt, quinam præcedere debeant in incurfio-  
ne contra hostes, possunt hæc sortes mitti. Denique non  
videntur peccare, qui in ludis mittunt sortes, si hoc  
faciant causa recreationis honestæ, aut ex alia honesta  
causa.

ibi sup.

in hoc quaest.  
n. 72.

Rocas. Ludus enim chartarum, & taxillorum licitus  
est, ut pote virtutis Eutrapeliæ actus, & tamen potissi-  
mum consistit in sortibus divisorijs in quo ludentes par-  
titionem committunt fortunæ.

ibi sup.

Bonac. Secunda conditio servanda in sorte divisoria  
est, ut non violetur justitia: & ideo non licet mittere  
sortes inter dignum, & indignum: quia fieri potest ut  
sors cadat in favorem indigni, & violetur jus digni. Item  
quando aliqui habent jus circa rem aliquam non pos-  
sunt mittere sortes exclusis alijs habentibus aliquod jus  
fieri etenim ipsis injuria, & damnum.

Tertia conditio sortis divisoriæ est ut non fiat cum  
irreverentia rerum sacrarum: ideo non licet adhibere

librum v. g. Evangelium in mittendis sortitus quia fieret irreverentia rei sacrae: quam tamen non exilimo peccaminosam mortaliter, nisi adsit magna irreverentia.

Quarta conditio est ut non expectemus ab Astris, aut ex parte demonis sortem feliciter eventuram.

Suarez. Siquis enim putet actus humanos sortiri effectum juxta dispositionem stellarum, & idcirco mittat sortes quia putat constellationem sibi fore propitiam ad sortitionem dirigendam. Tunc actus est in genere superstitionis. Pariter si quis sortiatur confusus de adiutorio dæmonis, vel aliqua illius promissione, seu prædictione, tunc etiam est superstitio, non vero est proprie divinatoria, sed magica, vel malefica: quia tunc non tam expectatur à dæmone revelatio rei futuræ quam effectio, & motio manus extrahentis sortem, quam sine dubio potest ipse efficere, si permittatur.

*De Relig.*  
*10. l. 2.*  
*de superstit.*  
*c. 11. n. 16.*

Bonaci. Quinta conditio sortis divisoriae est ut non fiat in Electionibus Ecclesiasticis v. g. ad beneficium, vel ad alia ministeria Ecclesiae. Ratio est quia electio ad dignitates Ecclesiasticas fieri debet inspiratione spiritus sancti, & concordia Electorum, non vero per sortes.

*ubi sup. in*  
*hac q.*

Leand. de SS. Sacram. Vnde adhuc in casu quo duo æqualibus suffragijs eligantur ad officium vel beneficiū Ecclesiasticum non est licitum electionem alterutrius sortibus terminare. Quia omnis Ecclesiastica electio sortibus facta est prohibita: at si in proposito casu, electio alterutrius sortibus terminaretur, vere fieret sortibus electio: nam suffragia dum æqualia sunt nullus potest dici esse ad beneficium legitime electus. Ergo dum Capitulum consentit ut beneficium obtineat & omnibus præferatur ille cui fors contigerit, jam medijs sortibus facit electionem: quod est illicitum.

*p. 6. no. 9.*  
*d. sp. 2. q.*  
*78.*

Vnde tunc Superior capituli compellat Electores, ut

intra certum tempus se conforment, sin minus electionem ad se advocet.

Franc. Dantur tamen aliqui casus in quibus in rebus Ecclesiasticis & spiritualibus possunt fieri sortes. 1. tempore persecutionis.

August. Si enim inter Dei ministros sit disceptatio, qui eorum persecutionis tempore maneant, ne fuga fiat omnium, & qui eorum fugiant, ne morte omnium deseratur Ecclesia: si hæc disceptatio, aliter non potuerit terminari, quantum mihi videtur qui maneant, & qui fugiant, sorti eligendi sunt.

Franc. Idem dicendum est tempore pestis: ob hanc eandem rationem Augustini. Nam sicut tunc licitum est inter Medicos facere sortem qui ex eis debeant manere ad infirmorum curam: etiam possunt fieri sortes inter Ecclesiasticos qui eorum debeant manere ad animarum curam, & Sacramentorum administrationem.

2. Licitum est sortibus uti in elargienda eleemosyna pauperibus; cum duo æqualis paupertatis occurrunt, & tamen quis non habet ad utrumque pauperem: posset tunc sorte eligere eum & dare eleemosinam ei cui contigerit fors, ut doc. Augu. in 1. de Doct. xpiana.

3. Licita etiam est missio sortis Sanctorum ad cognoscendum quem ex ipsis sibi in devotum pro anno, aut mense contingat suscipere.

Lean de SS. Sacram. Sic enim practicatur in pluribus religiosis Congregationibus. Et hæc missio sortium Sanctorum fuit in usu in familia Borgia & præcipue apud Franciscum huius familiæ Gandiæ Ducem.

Bonaci Sors consultoria per se loquendo illicita est, quia Deus non vult per sortes voluntatem suam indagari, cum habeamus viros peritos à quibus consilium petere possumus. In necessitate tamen, & circa debitam materiam, & cum debita reverentia, & modo licitum

In Fris.  
ad Honora-  
tum tom.

p. 6. tra. 9.  
disp. 2. q.  
89.

ubi sup. in  
hæc q. n. 15.

est vti hac sorte; secus absque necessitate, & in electionibus Ecclesiasticis.

D. Thom. Sors enim Consultoria fit quando quis dubitans quid facere debeat consulit Deum mittens sortes. *ephes. 1. l. 4.* Jonæ 1. dicitur quod quando supervenit tempestas illa in mari consuluerunt Deum sortem mittentes ut scirent cuius peccato tempestas illa venisset. Et hic modus licitus est maxime in necessitatibus, & in electionibus potestatum sæcularium. Vnde faciunt rotulos de cera in quorum quibusdam ponunt aliquas chartas, & in quibusdam non, quos bussulos vocant, ut illi quibus veniunt bussuli cum chartis habeant vocem in electione.

Sed hoc ante adventum Spiritus sancti Apostoli fecerunt in electione spirituali Act. 1. quando sors cecidit super Mathiam: sed hoc post adventum Spiritus Sancti amplius non licet in prædictis electionibus, quia hoc faciendo injuriaretur Spiritui Sancto. Credendum est enim quod Spiritus Sanctus providet Ecclesiæ suæ de bonis Pastoribus. Vnde post adventum Spiritus Sancti quando Apostoli elegerunt septem diaconos non miserunt sortes: & ideo in nulla electione Ecclesiastica hoc modo licet.

Bonaci. Sors divinatoria est omnino illicita. Ratio est quia sortium moderatio, vel directio expectatur vel à casu vel à dæmone. Si à dæmone certum est hoc esse superstitiosum & continere dæmonis invocationem. Si à casu perspicuum est casum non posse in sortes influere, & per eas aliquid demonstrare cum nihil influere possit in futurum eventum, nullamque cum eo connexionem habeat. Si vero sortium moderatio expectatur à Deo, non constat Deum illas moderaturum, & directurum ad manifestanda occulta nã Deus hoc non promissit, & eventus aliter sæpissime ostendit quam per sortes.

*vbi su. in  
bac. q. v.  
16.*

Ephef. 1. l.

4.

D. Tom. Nam divinatoria fors est inquisitio de futuris soli divinæ cognitioni reservatis, & hæc semper habet vanitatem admixtam, & nunquam potest fieri sine vitio curiositatis.

Franc. Sciendum denique pugnam pugilum quæ Monomachia dicitur, id est duellum seu singularis concertatio & judicia ignis & aquæ etiam aliquo modo pertinere ad sortes, quia per huiusmodi aliqua exquiruntur occulta.

Et quidem duellum quandoque est licitum, ut cum quis procedit ad duellum motus a Deo. Sicut David motus à Spiritu Sancto egressus est ad singulare certamen cum Goliath 1. Reg. 17. licet tale duellum ex parte Goliath volentis ostentare vires, & pugnare contra ream rationem, non erat bonum.

in prompt.

in 5. decal.

præce.

Laurent. Roche. Licitum est etiam offerre, & acceptare duellum ad conservandam æstimationem exercitus apud hostes debilitando eos, vel ad terminandum bellum cum minori damno: & hoc aliquando. Licitum etiam est acceptare duellum, si quis alias te occisurus dat arma, ut experiaris fortunam. Similiter Judex si vellet duos damnatos ad mortem congregi duello possunt inire duellum.

2. 2. q. 95.

sup. ar. 8.

Caiera. In vno etiam casu licitum mihi videtur acceptare duellum: quando scilicet accusator evidenter calumniatur, & prævalet contra me Innocentem, ad mortem, vel mutilationem. Tunc enim ex quo accusator impetit me iudicis gladio injustissime, & sine dubio occidet, vel mutilabit me: ego non habens aliud refugium, habeo justum bellum defensivum contra eum. Et propterea si ipse offert mihi duellum, ego possum acceptare de consensu Principis, & tueri me meliori modo quo possum. Hoc enim licet sine apparentiam sit duellum, in veritatem non est nisi defensio contra invidentem se personaliter ad mortem vel mutilationem. Franc.

Franc. Concilium autem Tridentin. sess. 25. c. 19. damnat detestabilia duella, ea que prohibet puniens severissimis pœnis Dominos temporales locum ad duella in terris suis concedentes inter Christianos. Et pariter ipsos duellantes, eorumque Patrios, & nonnullos alios, ut videre est ibi.

D. Thom. Judicium autem ferri candentis, vel aquæ ferventis ordinatur quidem ad alicuius peccati occulti inquisitionem per aliquid quod ab homine fit, & in hoc convenit sortibus: in quantum tamen expectatur aliquis miraculosus effectus à Deo, excedit communem rationem sortium. Unde huiusmodi iudicium illicitum redditur: tum quia ordinatur ad iudicandum occulta quæ divino iudicio reservantur: tum etiam quia huiusmodi iudicium non est autoritate divina sancitum. 22. q. 95.  
a. 8. ad 3.

Unde 2. q. 5. in Decreto Stephani Pape dicitur. Ferri candentis, vel aquæ ferventis examinatione confessionem extorqueri à quolibet sacri non censent Canones. Et quod sanctorum Patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinventione non est præsumendum. Spontanea enim confessione, vel testium approbatione publicata delicta, habito præ oculis Dei timore concessa sunt nostro regimini iudicare. Occulta vero, & incognita illi sunt relinquenda, qui solus novit corda filiorum hominum.

## QUAESTIO XXII.

*Num uti, Magia, seu vana observantia sit illicitum?*

Joan. Albergh. Vana observantia, seu Magia, non quidem Magia large sumpta prout comprehendere solet superstitionem divinativam sed strictè sumpta prout distinguitur à divinatione ( Magia enim ordinatur In man.  
qualific. ca.  
sect. 3. n.  
1. & 2.

ad aliquid faciendum ultra humanas vires & non virtute Dei, sed dæmonis: divinatio autem ad cognoscendum occultum) est duplex. 1. quæ tendit ad aliquod bonum sibi vel alteri comparandum, & vocatur Magia communi vocabulo. 2. quæ tendit ad inferendum alteri damnū & vocatur maleficium.

Communiter autem vana observantia habet quatuor species. 1. dicitur Ars notoria. 2. Observantia Sanitatu. 3. Observantia Reliquiarum. Et 4. Magia strictissime dicta.

2.2.9 96.  
4.1. D. Tom. Ars notoria est illicita & inefficax. Illicita quidem quia utitur quibusdam ad scientiam acquirendam quæ non habent in se virtutem causandi scientiam, sicut inspectione quarundam figurarum & prolatione quorundam ignotorum verborum, & alijs huiusmodi. Et ideo huiusmodi ars non utitur his vt causis, sed vt signis non autem vt signis divinitus institutis sicut sunt sacramentalia signa: vnde relinquitur quod sint super vacua signa, & per consequens pertinentia ad pacta quædam significationū cum dæmonibus placita, atque federata.

Est etiam inefficax ad scientiam acquirendam: cum enim per huiusmodi artem non intendatur inquisitio scientiæ per modum homini connaturalem scilicet ad inveniendum, vel addiscendum, consequens est quod iste effectus expectetur à Deo vel à dæmonibus. Deus autem dat scientiam quibus vult & non cum certa observatione sed in arbitrium Spiritus Sancti. Dæmones autem non habent illuminare intellectum, cum tamen acquisitio scientiæ, & sapientiæ fiant per illuminationem intellectus. Possent tamen dæmones verbis hominibus colloquentes exprimere aliqua scientiarum documenta, sed hoc non queritur per artem notoriam.

103 Franc. Vnde hæc ars quæ etiam Clavicula Salomo-



nis appellatur est inefficax. Licet autem olim Anabaptistæ sumpto execrando pane quam ipsi Eucharistiam vocant, totam fere scripturam recitarent, ac si illam memoriæ mandassent, cum tamen prorsus antea illam ignorarent. Hoc autem erat non quia eam addiscerant sed ex assistentia diaboli illorum linguas moventis, quod evidenter colligitur ex eo quod renuntiata hæresi, & peccati poenitentia peracta omnino ignorantes ut antea redduntur.

Suarez. Ad hanc artem notoriam pertinet omnis ars addiscendi scientiam ope dæmonis quocunque modo intendatur. Ut si quis studendo, & faciendo quod in se est ad scientiam acquirendam, simul vteretur vanis observantijs quibus speraret vel vim memoriæ acquirere vel facilitatem & æumen ingenij, vel organa sensuum melius disposita, vel similia quæ virtute naturali talium observantiarum fieri non possunt.

Joan. Alberg. Observantia Sanitatum est quoties aliquis vtitur medijs quæ non sunt à Deo ad talem effectum præordinata in sanandis morbis. Unde superstitiosus abusus est applicare verba consecrationis rei ad quam instituta non fuerunt, & perire vulnere v. g. corporis solidatione. Idem dicendum est de alijs verbis sacrae scripturæ quando applicantur ad res corporeas ad quas à Deo, vel ab Ecclesia non sunt ordinata. v. g. ut motus anuli super filium ad recitatione psalmi, vel alterius orationis. Hæc enim superstitiosa sunt, & inditia pacti impliciti cum dæmone.

Ad hanc vanam observantiam etiam reducitur si intendas corporis sanitatem consequi precibus habentibus circumstantias vanas, & inutiles. Huc etiam spectat usus imaginum Astronomicarum, quæ quia sunt factæ sub quodam constellationis signo, & in tali figura reputantur proficere ad varios morbos præcavendos, & curandos, talis enim usus superstitiosus est.

*De Relig.*  
10.1.1.2.  
*de superst.*  
c. 15. n. 7.

*ubi supr.*  
2. n. 1.  
*in hac q. 5.*  
2. c.

In 2. de  
Doctr. Ch.

4 Augus. Ad superstitionem nanque pertinent volumina magicarum artium, & ligaturæ, & remedia quæ medicorum quoque disciplina condemnat sive in præcantationibus sive in quibuscunque notis quas caractere res vocant sive in quibuscunque rebus suspendendis atque insignandis.

2. 2. q. 96.  
a. 2. c.  
ad 1.

D. Thom. Vnde in his quæ fiunt ad aliquos effectus particulares inducendos considerandum est utrum naturaliter videantur posse tales effectus causare, sic enim non erit illicitum: licet enim causas naturales adhibere ad proprios effectus: dum autem aliter non videntur posse tales effectus causare, consequens est quod nec adhibeantur ad hos effectus causandos tanquam causa, sed solum tanquam signa. Et sic pertinent ad pacta significationum cum demonibus inita. Pariter, simpliciter adhibere res naturales ad producendos effectus ad quos naturalem habent virtutem non est superstitiosum. Si vero adiungantur vel characteres aliqui, vel nomina vel aliæ variæ observationes, quæ manifestum est naturalem efficaciam non habere, superstitiosum erit.

ubi sup. in  
hac. q. 5. 3.  
an. 1.

Joan. Albergh. Vana & superstitiosa observantia est verba aliqua vel signa sacra usurpare vel secum deferre cum vanis, & superstitiosis circumstantijs. Licitum tamen est Sanctorum Reliquias, cercas Agni Dei effigies, evangelium S. Joannis, & verba sacre scripturæ collo appensa gestare abs vlla vana circumstantia. v. g. ut sic vel sic sint scripta in charta pergaminea, non in papyro. quod à Virgine puella, tali tempore, tali hora, tot folijs appensa, vel in theca talis figuræ inclusa.

2. 2. q. 96.  
a. 4. per tot

D. Tom. In omnibus incantationibus, vel scripturis suspensis duo cauenda sunt. 1. Quid sit quod profertur, vel scribitur, quia si est aliquid ad inuocationes demonum pertinens, manifeste est superstitiosum. Similiter videtur esse cauendum si contineat ignota nomina. Est

etiam esuendum ne aliquid falsitatis contineat, quia sic effectus eius non posset expectari à Deo qui non est testis falsitatis. 2. Ne cum verbis sacris contineantur aliqui characteres inscripti præter figuram Crucis. Aut si spes habeatur in modo scribendi, aut ligandi aut in quacunque huiusmodi vanitate, quæ ad diuinam reuerentiã non pertineant: quia hoc iudicaretur superstitiosum: alias autem esset licitum. Vnde in Decretis dicitur 26, q. 6. c. Non liceat Christianis &c. Nec in collectionibus herbarum quæ medicinales sunt, aliquas obseruationes aut incantationes licet attendere nisi tantum cõ simbolo diuino, aut Dominica oratione: ut tantum Creator & Deus omnium adoretur, & honoretur.

## QVÆSTIO XXIII.

*Num Magia sit superstitiosa.*

**F**RANC. Sermo est in præsentis de Magia strictissime dicta quam in quæst. antecedenti asseruimus esse quartam speciem Variæ obseruantia, seu magiæ strictè sumptæ. Vnde apparet nomen, Magia, significare multa, nempe Magiam large, strictè, & strictissime sumptam. Vltèrius est magia naturalis operans mira per causas naturales quæ habent nonnullas proprietates, & virtutes mirabiles: ut narratur de Remora cogente sistere nauem cui adhæret. Experimur in magete trahere ferrum ad se. Et plura alia veluti miracula naturæ. Vnde hæc naturalis Magia est licita.

Magia vero de qua hic agimus est Ars faciendi mira virtute dæmonis per signa ab ipso instituta. Et hæc Magica ars fit cum pacto vel expresso, vel tacito dæmonis.

*vbi sup. in*  
*q. prec. 5.*  
*4. n. 3.*

Joan. Alberg. Effectus autem magici si non excedunt virtutem, & potestatem, dæmonis potest dæmon facere, Deo permittente, si vero excedunt, tunc dæmon vel mentitur, vel decipit sensus humanos illudendo. Ut autem effectus aliquis superstitiosus sit, & arte magica perpetratus, debet constare non esse eam à causa naturali productum saltim quoad modum, neque à Deo. Licet autem difficile sit cognoscere quando est effectus aliquis vel à dæmone, vel à naturali causa, vel à Deo: potest tamen iudicium ferri collata causa cum effectu, & facto consilio & examine sapientum.

Franc. debet etiam prudenter adverti num effectus mirus sit ridiculus, stultus circumstantijs que vanis sociatus. Nam huiusmodi effectus non erunt nec à Deo, nec a natura, sed à dæmone: & præcipue si fiat effectus phantastici & apparentes, non veri, ut locutio canum, & similia que Simon Magus faciebat virtute dæmonis illudentis. Cuius generis sunt etiam illa que narrantur de socijs Diomedis à Troia revertentibus fuisse conversos in aves. Circem Magam mutasse in bestias socios Vlyssis. Arcades quodam Itigno transito olim conuerti solere in lupos.

*In dispn.*  
*d. pot. q. 6.*  
*d. miracu*  
*4. 5 ad 6.*

D. Thom. Illæ transformationes non fuerunt sm veritatem, sed sm apparitionem per operationem dæmonis phantastico hominis secundum aliquam corporalem speciem immutato.

Franc. Possunt tamen dæmones, veros nonnullos effectus efficere applicando actiua passivis, ut ranas, mures, mulcas, serpentes: possunt etiam transferre de vno in alium locum niues, ventos, pluias grandines, & tonitrua, tempestates que alibi exortas, huc vel illuc impellere.

*vbi sup. 5.*  
*5. n. 1.*  
*2.*

Joan. Albergh. Item à fortiori possunt aurum terræ absconditum, vel mari inclusum extrahere; tametsi ra-

ro Deus id permitat ne hac occasione homines ad sui obsequium pertrahat. Vnde fere Magi omnes pauperes sunt abiecti, & viles. Possunt etiam dæmones corpora humana varijs morbis afficere applicando aliqua nociva, vel aliter. Et possunt etiam impedire læsiones omnes quæ ex igne gladio alijs que instrumentis irrogari homini possunt vel se interponendo vel impetum infringendo, vel aliter. Item ope dæmonis possunt senes juvenescere virtutibus naturalibus applicatis & collectis ab eo.

## QUAESTIO XXIV.

*Quid sit Maleficium veneficum?*

**F**RANC. Ad distinctionem alterius Maleficij qui amatorium vocatur, quo Malefici ad flectendos hominum animos ad carnalem amorem vtuntur, vt poculis amatorijs compositis ex certis herbis quæ tamen voluntatem humanam cõgere non possunt ad amorem, licet obiective incitent per commotionem phantasmatum hominem ad sensualitatem; hic agimus de maleficio venefico, seu veneficio.

BONACI. Hoc autem maleficium est Ars nocendi alijs ope & potestate dæmonis. Vt ad morbos inferendos, & ad alia quævis mala in bonis fortunæ inducenda.

*Disp. 3. de  
I. præc. de  
cal. 9. 5. p.  
5. a. n. 1.*

JOAN. ALBERGH. Huc etiam spectat excitatio tempestatum, grandinum, ventorum quibus venefici damna prædijs, & domibus inferunt ope dæmonis cum quo habent pactum v. g. Quando malefici faciunt aliquas imagines cereas, vel ex alia materia. & nocent alijs pungentes membra acubus, vel paulatim liquefacientes ad ignem. Tunc dæmones faciunt nocumenta personis, & pungunt earum membra, & paulatim consumunt.

*In manu.  
qualif. c.  
18 sect. 3. 5  
7. n. 1. c. 3*

*In Euchyr.*  
c. 11. n. 29

Marti. Nav. Peccat mortaliter qui maleficium aut incantationem, alio maleficio aut incantatione dissolvit, aut præcatur alium ut dissolvat, quamvis ille esset ad id agendum paratus. Nunquam enim est licitum aliū ad peccandum inducere quamvis ille sit ad id paratus: quia non licet consentire peccanti. Licitum tamen est dissolvere maleficium licitis modis ut exorcismis approbatis, aqua benedicta, sanctorum precibus, vera pœnitentia, devota Eucharistiæ perceptione. Imo etiam sine vlla invocatione soluendo capillorum vinculum vel aliarum rerum quibus incantatio continetur.


*vbi sup. in*  
*hoc q. n. 7.*

Bonaci. Rogari etiam potest maleficus ut dissolvat maleficium modo licito faciendo ea quæ fieri possunt absque ope dæmonis, ut dissolvendo ligaturas, aut removendo eas à sepulchro, si eas ibi sepultas detinet.

*Ibid. an. 11*

Confessarius debet diligenter examinare maleficos, de pacto cum dæmone, si promissit derelicturum fidem, si scripsit Chyrographū, si honorem exhibuerit dæmoni. Si in maleficijs, usus fuerit rebus sacris, si damna intulerit.

Franc. Nam in his omnibus corrigendus est maleficus dissolvens pactum, pœnitentiam veram habens, restituens damna proximis illata. Et quidem hæc omnia per veram pœnitentiam corrigantur, etiamsi Chyrographum dederit maleficus dæmoni, et non reddat. Debet etiam eos admonere ut destruant, & comburant instrumenta incantationum, & Chyrographum si apud se habent: & quandoque potest differre absolutionem prudenter inspecto, & considerato statu malefici.



## QUAESTIO XXV.

*De nonnullis alijs superstitionibus ntoribus.*

**F**RANC. Hic agendum est de Phygionomia, Chyromantia, & Observantia eventuum quæ omnibus nota sunt communiter. Et in primis phygionomia sive quod conijcit probabiliter ex partibus permanentibus hominis, ut ceruice, humeris, manibus, oculis, vultu &c. non est superstitiosa ut Greg. Nazianzenus ex prava Juliani Apostatae physiognomia coniecit malos affectus animi Juliani. Cæterum conijcere ex physiognomia bonam, vel malam fortunam, hunc futurum pauperem, illum divitem, alium nuptum, alterum solutum, &c. hoc est vanum, & superstitiosum.

Joan. Albergh. Probatur, quia illa signa causa esse non possunt illorum effectuum, neque in illis signis tales effectus prædici possunt nisi ex doctrina dæmonis includente pactum implicitum.

*In man. cit.  
c. 18 sect.  
2. § 6. n. 1.*

FRANC. Circa Chyromantiam quæ est divinatio per signa & lineas manus idem est dicendum.


Marti. Nav. Unde peccat mortaliter qui Ægyptianos de fortuna sua percontatur animo credendi id quod illi responderint: quamvis si ex curiositate, vel ridendi causa id fiat, non esset culpa mortalis, nisi persona talis esset conditionis, ut ex illa interrogatione alij grauter offenderentur: tunc enim ratione scandali gravius peccatum esset.

*In Enebyr.  
c. 11. n. 31.*

Bonaci. Observantia eventuum est ut si quis ex eo quod casu evenit, aliquid sibi prosperi, vel aduersi promittat indeque actiones suas moderetur, observans, loca, verba temporaria, occursum hominum, vel anima-

*Disp. 3. de  
1. præc. de  
ca. 9. 5. p. 2.  
4. 88. 81.*

lium, vt si domo egredienti occurrat vulpes, canis, aut Cadaver &c. indeque occasionem sumat credendi negotium aut diem sibi futurum infaustum. Hæc autem observantia est superstitiosa, & ex genere suo peccatum mortale, quamvis sæpius à mortali excusetur ratione ignorantia, aut bonæ fidei: quia nihil mali in his coniecturatur, quod ab hominibus apprehendatur.



## DE SECUNDO PRÆCEPTO DECALOGI.

### QUÆSTIO XXVI.

*Num bene tradatur hoc præceptum?*

**F**RANC. Bene, sic enim traditur Exod. 20. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Per quæ verba eruditur homo vt non incurrat defectum reuerentiæ, contemnens Deum per vitium irreligi sitatis.

2. 2. q. 122.  
a. 3. ad 2.  
q. 4.

**D.** Thom. Vnde per hoc præceptum non prohibetur quælibet assumptio diuini nominis, sed proprie illa qua assumitur diuinum nomen ad confirmationem humani verbi per modum iuramenti: quia ista assumptio diuini nominis est frequentior apud homines: ex consequenti autem prohibetur quælibet alia inordinata assumptio diuini nominis, vt blasphemia, quæ tamen rarius accidit quam periurium.

### QUÆSTIO XXVII.

*Quid sit Iuramentum?*

**F**RANC. Cum iuramentum secundum Apostolum. Ad Hæbreos sexto, Ad confirmationem ordine-



cur: ideo optime definiri potest redictis pluribus alijs definitionibus quæ apud Autores circumferuntur, sic.

Juramentum est Assumptio diuini testimonij in dicti conformationem. Vnde jurare per Deum, est idem ac facere Deum testem, seu assumere Deum in testem. Quasi enim pro jure introductum est, vt quod sub inuocatione diuini testimonij dicitur, pro vero habeatur.

D. Thom. Jurare autem est actus patriæ, nam ille qui jurat inuocat diuinum testimonium ad confirmandum ea quæ dicit: nihil autem confirmatur nisi per aliquid <sup>2. 2. 7. 89.</sup> quod certius est, & potius. Et ideo in hoc ipso quod <sup>4. 4.</sup> homo per Deum jurat profitetur Deum potioresem. Et sic Deo aliquam reuerentiam exhibet: exhibere autem reuerentiam Deo pertinet ad religionem seu patriam: vnde manifestum est juramentum esse actum patriæ.

Franc. Hinc apparet juramentum esse licitum. Tum ex origine, quia est introductum ex fide qua homines credunt Deum habere infallibilem veritatem, & vniuersalem omnium cognitionem & prouisionem. Tum ex fine, quia inducitur ad iustificandum homines, & ad finiendum controversias vt dicitur ad Hæbr. sexto.

Cæterum non est appetendum, & frequentandum juramentum ne cedat in malum jurantis, vel quia vitur juramento sine necessitate, & cautela debita. Videtur enim parvam reuerentiam habere ad Deum qui eum ex leui causa testem inducit: quod non præsumeret etiam de aliquo viro honesto. Vel quia imminet etiam periculum periurij: quia de facili homo in verbo delinquit. Vnde in necessitate & prudenter vtendum est juramen-

mento. Et sic dicitur Jeremias 4. Jurabis. Vivit Dominus in veritate, & in judicio, & in justitia.

*vbi nup.*  
4. 3.  
D. Thom. Nam juramentum non est bonum nisi ei qui bene utitur juramento. Ad bonum autem usum juramenti duo requiruntur, 1. quod aliquis non leuiter, sed ex necessaria causa, & discrete juret. Et quantum ad hoc requiritur judicium scilicet discretionis ex parte jurantis. 2. quantum ad id quod per juramentum confirmatur, ut scilicet neque sit falsum, neque sit aliquid illicitum. Et quantum ad hoc requiritur veritas, per quam aliquis juramento confirmat quod verum est, & justitia per quam confirmat quod licitum est. Judicio autem caret juramentum incautum: veritate autem juramentum mendax: justitia autem juramentum iniquum, seu illicitum.

*In prompt.*  
6. 3. n. 4. 5.  
9. 1.  
n. 1.  
Remig. Jurare sine discretionem seu necessitate regulariter est culpa venialis. Jurare vero sine veritate, seu sine justitia est peccatum mortale.

## QUAESTIO XXVIII.

*Quotuplex sit juramentum?*

*In instr. sa*  
*cerd. l. 4. c.*  
*30. n. 3.*  
CARDIN. TOLETUS. Quatuor sunt species juramenti. Est enim juramentum Assertorium, Promissorium, Comminatorium, Execratorium. Assertorium est in quo affirmatur aut negatur aliquid praesens, aut praeteritum: ut, per Deum iste occidit hominem, per Deum, non occidit. Promissorium, in quo futurum affirmatur, vel negatur promittendo: ut, faciam hoc per Deum. Comminatorium in quo promittitur malum pœnæ: ut per Deum castigabo te, percutiam te. Execratorium in quo sive promittendo, sive asserendo, ali-

quid affirmatur, vel negatur sibi apponendo pœnam: ut, Deus me destruat, nisi hoc ita sit, aut, nisi, hoc faciam. Similiter cum dicitur, per vitam, per caput meum, per filios, per uxorem: nan sensus est, ita Deum inuoco, ut nisi hoc ita sit, me vita priuet capite, aut filijs.

Franc. Notandum est hic quod ad iuramentum reputatur sufficiens inuocatio Dei, non solum quando fit expresse, ut per Deum, testis est mihi Deus, viuit Dominus &c. Sed etiam quando implicite inuocatur Deus, ut cum iuramus per creaturas non sibi sumptas, sed in quantum manifestatur in eis veritas diuina. Vnde cum iuramus per fidem, per euangelia, vel per sanctos, intelligitur iuramentum esse per Deum cuius veritas continetur in fide, & euangelio & per sanctos est prædicata.

Silvester. Sed quæritur num sit iuramentum jurare per creaturas non sacras, puta cælum, ignem, & huiusmodi? & dico quod sic, si apponatur Deus oblique, ut per istum ignem Dei vel huiusmodi, quia Deus inuocatur conditor eius.

*In sum si  
vest. i. v.  
jur. §. 4.*

Azpilc. Nav. Peccat mortaliter qui iurat per dæmonem, vel Mahometum, vel per Idolum aliquod aut Deum falsum, simulque blasphematur, Quoniam id quod Dei proprium est scilicet esse infallibilem veritatem, tribuit creaturæ, quod est blasphemia. Peccat etiam mortaliter qui iurat per aliquam creaturam, nulla habita Dei ratione, aut respectu tacito vel expresse eam adducens tanquam testem infallibilem suæ sententiæ, subinde que diuinum honorem & reuerentiam ei tribuens.

*In Encypr.  
. 12. n. 5*

Diximus (eam adducens tanquam testem) quoniam jurare per creaturam absque respectu tacito vel expresse bonitatis diuinæ in ea resplendentis, & sine tacita,

vel expressa intentione adducendi eam in testem infallibilem, sed in talem qualis ipsa est in se & non designando ipsam tanquam obiectum in quo diuina iustitia exercetur, non esset meo quidem iudicio iuramentum: non enim tunc adducitur Deus tanquam testis: neque etiam esse peccatum existimarem, quoniam non exhibetur diuinus honor creaturæ coram Deo.

Verum est tamen quod Christiani quando jurant per creaturam aliquam sacram, vel in qua valde notabiliter relucet bonitas diuina qualia sunt cælum, sol, luna stellæ, lumen, & alia id genus, per Deum ipsum, qui coram est Dominus communiter jurare videntur, & saltē in foro exteriori excusabuntur à peccato gravissimo deferendi honorem diuinum creaturæ, sed iudicabuntur obstricti vinculo iuramenti: in foro autem interiori, & coram Deo peccatum grauissimæ superstitionis admittunt si prædictas creaturas tanquam testes infabiles veritatis infabiles allegarent, etiam si per Deiparam Virginem jurarent: attamen nullo iuramenti vinculo obligarentur, si nec actu, nec virtualiter Deum in testem, sed potius ipsam creaturam vt talis est, advocare vel-  
lent.

Quod quidem facere videntur qui jurant per suam veritatem, aut fidem, vel fidem quam suo generi aut dignitati debent. Per has barbas, per has vestes, per hos capillos, per has paleas, & per alia vilia in quibus nihil diuinæ bonitatis speciatim relucet, quos arbitror non jurare nec bene nec male, neque intentionem id faciendi habere.



## QVAESTIO XXIX.

*Num Iuramentum habeat vim obligandi?*

**D**- Hom. Obligatio refertur ad aliquid quod est faciendum vel dimittendum. Unde non videtur respicere iuramentum assertorium quod est de præfenti vel præterito: neque etiam iuramentum in his quæ sunt per alias causas, fienda, sicut si quis iuramento affereret quod cras pluvia esset futura: sed solum in his quæ sunt fienda per illum qui iurat. Sicut autem iuramentum assertorium quod est de præterito vel de præfenti debet habere veritatem, ita etiam iuramentum de his quæ sunt facienda à nobis in futurum. Et ideo utrumque iuramentum habet quandam obligationem.

22. 4. 89.  
6. 7 per 108.

Diversimode tamen quia in iuramento quod est de præterito, vel de præfenti obligatio est non respectu rei quæ iam fuit, vel est, sed respectu ipsius actus iurandi, ut scilicet iuret id quod iam verum est vel fuit. Sed in iuramento quod præstatur de ijs quæ sunt fienda à nobis obligatio cadit contra rem quam aliquis iuramento firmavit.

Tenetur enim aliquis ut faciat verum esse id quod iuravit, alioquin deest veritas iuramento: si autem est talis res quæ in eius potestate non fuit, deest iuramento discretionis iudicium, nisi forte quod erat ei possibile quando iuravit, reddatur ei impossibile per aliquem eventum: ut cum aliquis iurat se pecuniam soluturum quæ ei post modum vi vel furto subtrahitur. Tunc enim videtur excusatus esse à faciendo quod iuravit, licet teneatur facere quod in se est. Si vero sit quidem possibile fieri, sed non debet, vel quia est per se malum, vel

quia est boni impeditiuū, tunc iuramento deest iustitia. Et ideo iuramentum non est seruandum in eo casu quo est peccatum vel boni impeditiuum. Secundum enim Augu. vtrumque eorum vergit in deteriorem exitum.

Sic ergo dicendum est quod quicumque iurat aliquid se facturum, obligatur ad id faciendum ad hoc quod veritas impleatur. si tamen alij duo comites adsint scilicet iudicium, & iustitia: nam propter reuerentiam diuini testimoni; obligatur homo vt faciat esse verum id quod iurauit secundum suam possibilitatem nisi in deteriorem exitum vergat.

Juramentum autem potest vergere in deteriorem exitum dupliciter. 1. quia ab ipso principio habet peiorem exitum, vel quia est *sm* se malum: vt cum aliquis iurat se perpetraturum adulterium: sive quia est maioris boni impeditiuum: vt cum quis iurat se non intraturum religionem vel quid simile. Huiusmodi enim iuramentum à principio est illicitum: sic tamen quod iurans se facturum aliquod peccatum, & peccat iurando, & peccat iuramentum seruando: qui autem iurat se non facturum aliquod melius bonum quod tamen facere non tenetur, peccat iurando in quantum ponit obicem Spiritui Sancto Inspiratori boni propositi, non tamen peccat iuramentum seruando, sed melius facit si non seruat.

2. Vergit in deteriorem exitum propter aliquid noui quod fuit impræmeditatum vt patet in iuramento Herodis Marci 6. qui iurauit puellæ saltanti se daturum quod petisset: hoc enim iuramentum poterat esse à Principe licitum intellectu debita conditione, scilicet si peteret quod dare deceret: sed impletio iuramenti fuit illicita.

Franc. Hinc infertur ( cum quis inuitus compellitur ad

ad jurandum promissorie seu ad hoc quod sub juramento aliquid promittat) quod sic jurans non tenetur solvere promissum ei qui vim intulit ad jurandum, nam coactio tollit obligationem. Cæterum quia in huiusmodi juramento est etiam obligatio ad Deum, ex hac obligatione tenetur implere quod per nomen Dei promissit. Nam talis obligatio non tollitur in foro conscientie: quia magis debet damnum temporale sustinere quam juramentum violare. Potest tamen repetere in iudicio quod solvit, vel Prælato denunciare, non obstante quod contrarium iuravit, quia tale iuramentum vergeret in deteriorem exitum: esset enim contra iustitiam publicam. Unde Romanus Pontifex facile relaxaret tale iuramentum coactum.

Remig. Imo Episcopus, & etiam quilibet Confessarius a probato potest commutare tale iuramentum virtute Bullæ Cruciatæ.

*In Prompt. mortale. 3. num. 14.*

Salazar sciendum tamen quod iuramentum promissorium duplicem continet veritatē, aliam de præsentibus, et aliā de futuro. 1. consistit in intentione ad implendum quod promittit. 2. ut adimpleat promissum jurans. Pariter hoc iuramentum duplicem habet falsitatem oppositam præfatæ duplici veritati, Defectus primæ veritatis semper est peccatū mortale, & quo leuior fuerit materia eo maius erit peccatum propter irreuerentiam quæ fit in Deum in adducendo eum mendacij testē in re leui. v. g. si quis iuret se daturū viginti Ducatus Hospitali si is intenderet dare quidpiam minus viginti ducatis, peccaret mortaliter. At vero defectus secundæ veritatis, licet esset mortale peccatum in re graui, in materia tamen leui, non esset nisi veniale.

*In Prompt. tract. 125.*

Remigius. Nam in hoc secundo casu non intervenit perjurium & mendacium sicut in primo sed solum defectus fidelitatis non obligans in materia leui sub pœna

*vbi supr. n. 7.*

mortalis peccati, sicut nec in materia levi in voto.

*In infra.*  
*sacerdo. l.*  
*4. c. 22. a.*  
*num. 2.*

Cardin. Toletus. Sunt tamen plures casus in quibus homo non tenetur implere juramentum, & absque peccato non implet. 1. ratione materiae: si enim quis iurat se facturum peccatum mortale, vel veniale, peccat mortaliter, vel venialiter jurando, sed non debet adimplere: alias mortaliter, vel venialiter peccabit adimplendo. Idem est iudicium de re indifferenti, nec bona, ne mala: veniale enim est iurare, nec tamen tenetur homo implere.

2. Ratione euentus, vt iurat quis se tali die ieiunaturū, & accidit tali die se male habere, vt abstinere non possit sine malo, & tunc non implere non est peccatum. Rursus qui iurat se conuenturum aliquem tali die, & post ipse comprehensus detinetur in carcere, vel ille alius longe discessit, non tenetur implere promissum.

Hic tamen observandum est quod si cum iuravit, probabiliter cognovit se postea non valiturum implere, peccavit jurando, quia tunc defuit intentio, aut est dubius de implendo, & est tunc mortale: non enim dubium pro certo juramento firmandum est. Loquimur autem de certitudine morali, quae semper voluntatem Dei supponit: alias, nullus posset futura iurare.

Pariter non obligat juramentum cum quis bonum & bona intentione iurat: tamen postea ex adimplerione juramenti sequitur nocuum sibi vel alijs, vt cum iuro me daturum ensam alicui & iste postea fit furiosus, vel mente captus, tunc non est dandus ei ensis ne se vel alios feriat, aut occidat. Hinc etiam patet si quis iuraret se profecturum Lauretum tali die si tunc accidit esse in via inimicorum exercitus qui omnes transeuntes vel occidunt vel capiunt: tunc non tenetur cum illo periculo implere juramentum.

Item si fiat mutatio auferens rationem juramenti, non



obligat adimpletio juramenti, vt si seruus iurauit se obediturum Domino, & Clericus Episcopo, postea definit esse Dominus, vel ab Episcopatu deponitur, non obligat juramentum. Pariter remissio tollit obligatione juramenti. Si enim iuravi me tibi daturum pecunias, si postea remittis non teneor dare.

Franc. In juramento etiam comminatorio locum habet quandoque non impletio juramenti vt patet in sequentibus casibus. 1. quando per juramentum Comminatorium malum pœnæ promittitur, quoties ipsum in ferre malum est, cessat obligatio. Vt si pater iuraret verberare filium, & tamen filius subito ægrotaret, vel febricitaret, tunc non obligat juramentum Comminatorium. Nec etiam quando melius est non implere quàm implere juramentum.

Caietan. Sicut David 1. Reg. 25. ) juramentum quo punire morte Nabal promisserat, mutauit in melius indulgendo ei. 2.2. q. 89.  
su. 4. 7.

Cardi. Tolet. Quando etiam status rei mutatur non est implendum juramentum Comminatorium, vt cum quis iurat se castigaturum seruum, aut filium, si postea suplex veniam petat corrigi paratus, non tenetur implere, quia juramentum obligat seruato statu eodem in quo seruus seu filius non erat correctus, nec animum mutauerat. Idem dicendum cum malum illatum inutile speratur, aut maioris boni impeditivum. Si enim constat, aut creditur post, talem pœnam fore inutilem seruo, aut ex illius illatione pax domus perturbatur, eo quod insurgit rixa cum uxore, vel familia; non debet juramentum implere: peccauit autem, qui ista præuidens iuravit: nam tunc est iurare malum culpæ. 10 in. fr. 5 a  
cerd. l. 4.  
c. 22. n. 5.

Franc. Occurrit autem dubium quid sit dicendum de Matre quæ iurauit verberare filium, aut dare pomum, & huiusmodi non seruat?

*vbi supr.*

**Caiet.** In huiusmodi matrum iuramentis iudicandū est ex obiecto quia scilicet communiter fiunt ex passione iracundiæ : & verberatio sub ratione parvæ vindictæ magis quam correctionis repræsentatur mulieri præsentī quæ facile agitur passionibus. Cuius signum est quod si in eodem erraret filius, & Mater non esset irata non promitteret punire illum. Et sic huiusmodi promissio promittitur sub ratione mali venialis, ac per hoc non tenetur servare quando sic est. Secus autem esset si vt bonum correctionis promitteret quam vis ex ira.

Vel iudicandum ex commutatione in melius. Quamvis enim bonum correctionis promiserit si tamen melius est post pacatam domum, parcere, ne fletus conturbet domum, mutatur iuramentum in melius. Et quia alter horum communiter accidit in huiusmodi ideo communiter non nisi venialiter peccant, non puniendo vt iuraverant.

Cum autem facile iurat quis dare pomum puero ad alliciendum nisi puer alliciatur non tenetur sicut in ceteris conditionatis iuramentis : allecto tamen tenetur obiusiurandum. Et sibi imputet quod in his minimis non veretur Deum testem inducere. Vbi tamen cessaret ratio actus virtuosī, puta quia importunus iam esset, si daret post, huiusmodi minima, non teneretur, quia iuramentum ad nihil obligat imprudens.

**Franc.** Sed adhuc est alterum dubium. Num iuramentum promissorum de minimis v. g. dicendi hæc verba, Ave Maria, sit obligatorium? Videtur enim non esse nam modicum pro nihilo reputatur in omni materia.

*In Enchy.*

*c. 12. n. 10*

**Martin. Nav.** Parvitas rei in omnium præceptorum materia excusat à peccato mortali. Ergo etiam in materia præcepti de implendo iuramentum parvitas rei excusabit à culpa mortali. Tum quia lex Dei de non furan

do, vel non iniuriando non minus ligat quam lex iuramenti: at parvitas furti, & iniuriæ excusat à peccato mortali. Vnde licet iuramentum de re minima habeat pro materia totali rem minimam: tamen non adimplere illud non est mortale, quia illa materia totalis, non est quid magnum, sed parvum. Quare tenendum videtur peccare quidem venialiter qui iuramentum de re parva, & levi non implet, non autem mortaliter.

Franc. Est adhuc dubium alterum. Num obliget iuramentum contra iuramentum prius factum?

Silvester. Dico primo quod non. Dico secundo quod actus gestus contra primum iuramentum non est ipso iure nullus indistincte. Nam actus qui pendet à mera voluntate jurantis non est nullus. Vnde si quis iuravit non alienare librum, & tamen alienavit, tenet alienatio licet sit periurus. Si tamen actus non dependet à voluntate jurantis, puta quia interdicitur à lege favore ipsius jurantis tunc actus erit nullus vt patet in muliere, & minore, qui alienare non possunt, vel alium contractum facere sine certa solemnitate: & tunc actus etiam iuratus contra primum iuramentum non valet ipso iure.

*sum. sil-  
vestri. 7.  
iuram.  
titul. de  
oblig. iu-  
ram. n.  
12.*

Franc. Est quartum dubium. Num iuramentum ficto animo factum obliget ad sui adimplentionem? v. g. iuramentum factum absque animo iurandi. Vel cum animo iurandi, sed cum intentione non se obligandi. Vel cum animo iurandi, & se obligandi, sed cum animo non adimplendi.

Bonaci. Ex iuramento facto absque animo iurandi non oritur obligatio coram Deo. Nam obligatio oritur ex iuramento: hic autem non est iuramentum, sed fictum apprens, sicut matrimonium quod fit sine interno consensu, & voluntate non est verum, sed fictum. In foro

*Circ. 2 de  
cal. prac.  
disp. 4. q.  
1. pu. 7.*

tamen externo cogeretur sic iurans ad servandum iuramentum ob præsumptionem veri iuramenti: forū enim externum accipit verba iuxta ipsorum significationem. Et ulterius ratione scandali quod oriretur ex transgressione iuramenti, obligatur iurans stare iuramento facto animo ficto. Sicut etiam tenetur quando ex non adimplerione iuramenti ficti, & dolosi sequeretur damnum, cuius causa esset fide iurans, cum sine causa fide iuraverit.

Ex iuramento facto cum animo iurandi, sed cum animo non se obligandi non oritur obligatio ex vi iuramenti. Nam contra substantiam iuramenti est intentio non se obligandi, cum obligatio sit de substantia iuramenti: & sic involvitur hic contradictio, & non datur obligatio: sicut nec in contractu est obligatio quando ponitur clausula contraria substantiæ contractus. Ut si vendat domum cum animo non se obligandi ad illam tradendam emptori.

Non tamen requiritur ut iuramentum obliget ut iurans formaliter habeat intentionem se obligandi, sed sufficit ut iurans velit iurare sciens naturam iuramenti, seu sciens iuramentum obligare: nam eo ipso quod scit naturam iuramenti, & non habet positivam voluntatem non se obligandi, censetur velle iurare iuxta naturam iuramenti: censetur enim velle facere actum iuxta suam naturam: natura autem iuramenti est obligare. Ergo eo ipso quod habet verum iurandi animum, censetur se velle obligare, licet non habeat formalem intentionem se obligandi.

Ex iuramento facto cum animo non idimplendi nascitur obligatio ex vi iuramenti. Nam Deus in tali iuramento libere adducitur testis & ex intentione. Ergo ne sit adductus in testem falsi, iurans tenetur iuramentum

implere. Tum quia intentio adimplendi non est de substantia iuramenti, sed animus iurandi & se obligandi, quod præcedit intentionem adimplendi.

Franc. Qui sic fiste iurat, mortaliter peccat. Nam intercedit gravis deceptio quæ expresse repugnat vsui, & fini iuramenti valde necessario rebus humanis.

## QVÆSTIO XXX.

*Num aliquis possit in iuramento dispensare vel commutare, relaxare iuramentum &c?*

Franc. Possunt plures dispensare in iuramento. Ad cuius evidentiam sciendum est quod dispensatio est annullatio facta cum causa ab habente iurisdictionem Ecclesiasticam in foro exteriori.

D. Thom. Quando aliquid sub iuramento promittitur de quo dubium est utrum sit licitum, vel illicitum, proficuum, vel nocivum aut simpliciter, aut in aliquo casu, potest in hoc quilibet Episcopus dispensare. Quando vero sub iuramento promittitur aliquid quod est manifeste licitum, & utile, in tali iuramento non videtur habere locum dispensatio nisi aliquid melius occurrat ad communem utilitatem faciendum: quod maxime videtur pertinere ad potestatem Papæ qui habet curam universalis Ecclesiæ.

2. 2. q. 89.

a 9. ad 3.

Toletus. illa quinque iuramenta Papæ reservantur quæ si vota essent ipse solus posset dispensare. Ut iuramentum castitatis, religionis, Peregrinationis Hierusalem, Compelle, sac. S. Petri Romæ. Quando autem est iuramentum in alicuius Tertij utilitatem, non potest absque voluntate Tertij etiam à Papa dispensari: sicut nec Papa potest auferre rem alterius.

In instr. l.

4. c. 23. n. 1

Franc. Præter Papam, & Episcopos possunt dispensare in iuramentis, illi qui habent iurisdictionem Episcopalem, Item Prælati Religionum respectu suorum subditorum. Item alij habentes privilegium, vt Confessores ordinum mendicantium, & illi qui eorum privilegijs communicant. Parochi autem non habent facultatem dispensandi.

Tra. 2 l. 1.  
de 2. præc.  
decal. sect.  
5 c. 1. n.  
293. ☞  
283. 287.  
294.

Rocafull. Papa potest dispensare in omnibus iuramentis factis in honorem Dei. & Episcopus respectu suorum ouium in omnibus iuramentis factis in honorem Dei quæ non sunt in voto materia reseruata Papæ. Prælati Religionum erga suos subditos in his iuramentis in quibus possunt Episcopi dispensare cum suis ouibus. Confessores Ordinum Mendicantium possunt dispensare in omnibus iuramentis in quibus, Episcopi exceptis iuramentis peregrinationis quatuordecim leucarum: & pariter omnes confessores aliarum religionum qui communicant eorum privilegijs.

n. 297.

Iustæ causæ dispensandi in iuramento sunt sex. 1. si turpitude incidit in iuramento, vel ratione materiæ et rei promissæ, vel ratione eius qui iuramentum iniuriam extorquet vi, dolo, aut metu. 2. si dubitatur an iuramentum habeat vim, locum necne? 3. Ad tollendum offensionem aliorum, & iniuriam etiam quam patitur is qui iurauit. 4. si majus bonum faciendum occurrat. 5. vt peccati periculum, & occasio auferatur. 6. si temere, & inconsiderate iuramentum fiat, aut animi leuitate, aut graui, vel subita perturbatione.

Franc. Plures etiam possunt commutare iuramentum. Est autem Commutatio, Mutatio vnus materiæ in aliam.

In Prompt.  
fr. 25.

Salazar. Habent in primis facultatem commutandi illi qui possunt dispensare. 2. Confesarij approbati ab Ordinario, virtute Bullæ, & Iubilei. 3. Ipsi iurantes possunt

possunt commutare in rem meliorem vel æque bonam  
Ceterum melius est id relinquere Confessarij iudicio  
qui melius id examinabit.

Franc. Confessarij autem virtute Bullæ, vel Jubilei  
commutantes iuramenta diligenter debent legere teno-  
rem Bullæ seu iubilæi ne errent commutantes supra te-  
norem privilegij.

Salazar. Circa vero iuramenta quæ sint illa quæ Con- *Ibid.*  
fessor virtute Bullæ commutare potest. Dicendum quod  
omnia illa quæ possunt Episcopi: hæc autem sunt om-  
nia præter iuramentum Religionis, Castitatis, & ultra-  
marinorū, nempe Compollæ, Hierusalem, Romæ.

Rocafull. Papa potest commutare omnia iuramenta, *vbi supr.*  
& etiam Episcopus iuxta meam sententiam quia Papa *in hac q. c.*  
hoc sibi non reservavit. *2. n. 313.*

Toletus. Non possunt Episcopi commutare nisi illa *Hic.*  
iuramenta quæ si vota essent, possent. Vnde illa quin-  
que iuramenta Religionis, Castitatis &c. Papæ reser-  
vantur.

Franc. Vtraque opinio & Rocafulli, & Toleti est pro-  
babilis, quamvis opinio Toleti sit communior, & ma-  
xime probabilis, magis tuta & conformior praxi.

Salazar. Relaxatio est annullatio, seu irritatio facta *In prompt.*  
ab habente potestatem dominatiuam. Vnde infertur re- *tra. 25.*  
laxationem nulla indigere causa, nisi voluntate Prælati,  
& Superioris.

Leand. de SS. Sa. In hoc etiam differt Commutatio. *q. 2. tra.*  
& dispensatio ab irritatione, quod illæ semper iustam *1. disp. 18.*  
causam requirunt, hæc vero nullam præter nudam, & *part. 7.*  
solam voluntatem potentis irritare.

Rocafull. Omnes qui habent potestatem dominatiuam *vbi supr.*  
possunt irritare iuramenta. Vt Dominus respectu serui, *in hac q. n.*  
Pater respectu Filij, Maritus respectu vxoris, Prælati *320. &*  
*vlt.*

respectu Religiosorum, & Papa respectu juramentorum omnium quæ à Religiosis, & Clericis fiunt, qui solum possunt irritare ea juramenta quæ afferunt aliquod incommodum suæ potestati, vel præiudicium. Unde Prælati possunt irritare omnia iuramenta Religiosorum de illis rebus, contractibus, & votis quæ ipsi Prælati possunt irritare. Et ratio est quia Religiosi non habent absolutam libertatem, sed dependenter à voluntate Prælatorum. Et Pater, Dominus, Maritus, atque tutor possunt irritare juramenta filij servi, vxoris & pupilli quæ redundant in præiudicium Patris, Domini, Mariti, & tutoris: nullus vero istorum potest irritare juramenta facta in beneficium tertie personæ, nisi etiam possit irritare contractus super quibus facta sunt juramenta. Si enim possint irritare contractus, poterunt irritare juramenta.

Potestas autem dominativa quæ requiritur ad irritanda juramenta non requiritur quod sit dominium possessorium, sed sufficit quod sit gubernatorium, & administrarium. Nam in lib. Numeri cap. 30. Viro tribuitur autoritas irritandi iuramenta vxoris circa bona suæ dotis in quæ tamen bona vir non habet dominium possessorium, sed solum gubernativum. Et vltterius tutores habent autoritatem irritandi Pupillorum juramenta: in bona tamen illorum tutores non habent nisi dominium gubernativum. Unde etiam gubernatores & Magistratus Reipublicæ possunt irritare juramenta suorum civium, circa res quæ illorum gubernationi subiectæ sunt v. g. promisit Petrus sub iuramento aliquas mensuras tritici extraneo, possunt Magistratus autoritate qua valent prohibere ne triticum illud ex trahatur à sua patria iuramentum irritantes: quia fuit de re illorum gubernationi subiecta.



**Franc.** Summus etiam Pontifex gubernator vniuersalis Ecclesiæ, & dispensator rerum Ecclesiasticarum, super quas habet plenitudinem potestatis, in quantum Dominus potest relaxare iuramenta facta de rebus Ecclesiasticis: & in quantum gubernator iuramenta facta circa officia iura, vel beneficia Ecclesiæ.

**Tolet.** Vnde qui iuravit se collaturum alicui beneficium Ecclesiasticum, vel aliquid aliud Ecclesiasticum, se habere ad Papam Dominum rerum Ecclesiasticarum, vt seruus ad Dominum: & potest Papa relaxare absque vlla causa pro sua voluntate huiusmodi iuramenta.

*In instr. l.  
4. c. 23.*

**Rocaff.** Etiam Capitulum Valentinum v. g. si iurat non admittere aliquem in Canonicum ultra certum numerum, potest Papa illis relaxare hoc iuramentum.

*vbi sup. in  
bat. q. n.  
324.*

**Franc.** Per interpretationem etiam tollitur obligatio iuramenti. **Toletus.** Vt si duo honoris gratia contendunt de primo ingressu, neuter vult primus esse sed alteri cedere: si dicat vnus. Per Deum non ingrediar: tamen postea ab altero victus ingrediat, non est periurus: quia iuramentum sic intelligitur quantum est ex me non ingrediar primus.

*vbi sup. c.  
22. n. 4.*

**Franc.** Vel etiam cum quis iurat se ieiunaturum singulis sextis ferijs, si postea infirmetur & non possit ieiunare, interpretatur tale iuramentum de ferijs sextis in quibus valeret salute.

**Salaz.** Tollitur etiam obligatio iuramenti promissorij per cessationem. v. g. quis iurat ieiunare tribus diebus, & completis ieiunijs trium dierum, cessat materia iuramenti, & iuramentum. Vel qui iurat recitare Rosarium per tempus vitæ Patris, eo mortuo cessat obligatio.

*Hic.*

sum. sil-  
vestri. 7.  
juram. 4.  
q. 13.

Silvest. Quæritur vero utrum obliget iuramentum quando is cui fit, frangit fidem iuranti? & dicit Panor- mit. Quod quandoque duæ obligationes respiciunt se ad invicem, puta promissi equum propter quod alius pro- missit mihi centum, & ego si non servo promissum nec ille tenebitur mihi dare centum. Et idem dico quando conditionaliter promissi: puta iuravi ire Romam si de- deris mihi centum, si non das, non teneor, quia pro- missio mea non purificatur nisi à tempore existentis con- ditionis. Et si is cui iuravi non implet ex aliqua necessi- tate, quia scilicet non potest, nihilominus ego teneor ad iuramentum factum propter illud.

## QUAESTIO XXXI.

*Num in iuramento facto in utilitatem tertij locum habeat dispensatio, commutatio &c?*

gra. 2. l. 1.  
de juram.  
sect. 5. c.  
1. n. 284.

**R**ocafull. Quando iuramentum est factum in alicu- ius tertij utilitatem, non potest absque voluntate tertij etiam à Papa dispensari sicut nec Papa potest au- ferre rem alterius. Unde qui alteri promittit sub iura- mento pecunias, tenetur adimplere, nisi ille cui pro- missæ sunt, relaxet seu potius remittat. In duobus ta- men casibus potest Papa dispensare. 1. In pœnam illius cui factum est iuramentum unde relaxat excommunica- to factum iuramentum in pœnam eius. 2. Cum iuramen- tum factum est vi, metu, aut fraude alterius. Tunc enim quia fraus, & dolus nemini debet patrocinari, dispensat Papa in iuramento.



## QVAESTIO XXXII.

*De modis & verbis usitatoribus jurandi.*

**L**Eander de SS. Sa. Hæc verba. Testis est mihi Deus. p. 7. tra. 1.  
de juram.  
disp. 3. q.  
2. & ult.  
Ex communi usu hominum continent juramentū. Item hæc: vivit Deus, vivit Dominus. Nam aperte vita Dei, & Domini adducitur in testimonium eorum quæ dicuntur: nam perinde est ac dicere illum in testem afferri qui non modo vitam vivit immortalem, sed ubique adest. Item hæc verba. Voveo Deo. Hispanè Voto à Dios. est iuramentum valde grave. Quia intentio proferentis talia verba, revera est iurare, & ad hoc inuocat Deum. Et licet hæc verba Voveo Deo Ex se iuramentum non sint: tamen iam ex accommodatione, & usu hominum, pro iuramento accipiuntur, & iuramenta sunt, licet homines ineptissime utantur his verbis ad iurandum.

Hæc autem verba. Deus scit, vel audit quod dico. Coram Deo loquor. Si proferantur invocative, vt quando inducuntur ad confirmandum id quod dicitur: aut adducendum Deum in testem eius quod quis dicit: tunc sunt iuramenta. Secus quando proferuntur enunciative, seu per modum narrationis: quasi dicatur, huius rei quam profero Deus conscius est aut spectator: sic enim non inuocatur Deus est testis, sed tantummodo enunciat Deum hæc scire, & videre.

Hæc etiam verba. Deus scit me verum dicere. Sunt iuramentum, quia huiusmodi verbis utens, Deum in testem adducit sibi sanum, & communem intellectū. Item. Iuro per Deum, per evangelia. Per Divum Petrum, per quid ve aliud sacrum. Est iuramentum.

In promptu.  
c. 3. § 3.

Remig. Non sunt iuramenta. Sicut Christianus. Sicut Religiosus. Sicut nunc est dies. Sicut lucet sol. Evangelium est quod dico: quia etsi comparatio falsa sit tantum est mendacium, cum nullus in testem invocetur. Cæterum per vitam meam. Per meam salutem Per vitam animæ meæ: Sic me custodiat Deus. Sunt verba æquivoca, & intentione iurandi si proferantur erunt iuramenta, secus si secus. Hæc autem verba, Sicut Credo in Deum. Sicut Deus est veritas. Sicut Filius Dei natus est ex Maria Virgine: sunt iuramenta: & iurans si intenderet æquare has veritates cum alijs veritatibus quæ non sunt fidei, committeret blasphemiam.

Franc. Est autem dubium, num sint iuramenta hæc verba. Habear ut perfidus, aut Hæreticus, aut iniquus si ego si ita non est hoc? Vel ista. Occidant me, Amputentur mihi aures si hoc ita non sit.

Lot. cit. in  
hac q. disp.  
4. q. 8. c.  
9.

Leander de SS. Sac. Resp, quod prima verba non efficiunt sensum execratorium. Secunda vero verba licet in rigore iuramentum execratorium præferant: attamen ut communiter ea proferuntur, non continent iuramentum. Ratio est quia non dicuntur ea verba quasi id sibi malum imprecando, ac invocando Deum ut tanquam Iudex vindictam sumat de profereute illa, si mendax fuerit, sed dicuntur instar cuiusdam sponsionis.

## QUAESTIO XXXIII.

*Num omnia iuramenta sint eiusdem speciei?*

L. 3. in de  
calog. c. 1.  
n. 9

**T**homas Sanchez. Observandum est iuramentum quodcumque quibuscumque verbis fiat, & quocumque modo sive per execrationem sive per simplicem contestationem, sive assertorium, sive promissorium sit,

sive iuretur per Deum, sive per creaturas, sive tactis evangelijs, seu ara, sive illis non tactis, esse eiusdem speciei in iuramenti ratione. Quia cum iuramenti ratio formaliter in invocatione Dei in testem consistat, materialiter, & per accidens se habet huius invocationis modus: ac proinde speciem minime variat.

Quare in confessione periurij, aut fractæ promissionis juratæ non est opus fateri quale iuramentum fuerit: ut an per Deum, vel per sanctos, an tactis evangelijs, ara &c. Quia nullam speciem mutat: & quamvis gravius peccatum sit iuramentum falsum per Deum, & magis obliget hoc iuramentum quam per Creaturas. At non ita notabiliter hæc gravitas auget, ut ea sit in confessione exprimenda: cum semper ipse Deus saltem tacite in testem adducatur.

Dixi (in ratione iuramenti) quia si iuramentum simul sit blasphemia, ut per vitam Dei, tum blasphemjæ species necessario est confitenda. Similiter si periurium sit iudiciale, erit necessario exprimendum, non quod in ratione periurij differat specie, sed propter malitiam specie diversam adiunctam iniustitiæ, non patendo iudici iuste interroganti.

## QUESTIO XXXIV.

*Quomodo se debeat gerere Confessarius cum jurantibus ex consuetudine?*

**S**alazar. Ut sciatur quale peccatum sit consuetudo iurandi, oportet uti distinctione. Nam actus generantes consuetudinem iurandi si sint peccata venialia, consuetudo erit veniale peccatum: si vero sint tales actus peccata mortalia, etiam consuetudo erit peccatum

*In promptu  
174. 25.*

mortale. Vnde infertur consuetudinem iurandi sine veritate, esse peccatum mortale: sine necessitate, veniale: sine iustitia in re leui, veniale, in gravi, mortale.

P. 7. tra. 1.

disp. 8. q. 2.

Leand. a SS. Sacramen. Consuetudo iurandi formaliter est ipse actus frequentatus, materialiter habitus vitiosus. 1. modo est peccatum indistinctum ab actibus. 2. modo non est peccatum omisso tamen ex tirpationis talis habitus potest esse peccatum ratione periculi.

Franc. Qui autem habet consuetudinem iurandi in rebus dubijs non discernens an sit verum, vel falsum quod iurat, sed profiliens facile in iuramenta ita prompte asserens dubia, ac certa, is peccat mortaliter in rebus tam gravibus, quam levibus quia se exponit periculo periurij, licet quandoque juret verum. Vnde Confessarius cum istis, & alijs iurantibus ex consuetudine, examinata diligenter tam consuetudine, quam materia, & circumstantia iurandi, & attento proposito emendæ si sit remisse, vel intense poterit quandoque differre absolutionem, & quandoque concedere, salutaribus monitis instruens huiusmodi iuratores vt se abstineant à perversa iurandi consuetudine, & se exercent in refrænanda lingua assueta iuramentis ex levibus causis.

## QUAESTIO XXXV.

*Num iuramentum impediatur per aliquam conditionem personæ vel temporis?*

2. 2. q. 89.  
4. 10.

**D**. Thom. In iuramento sunt duo consideranda. 1. ex parte Dei cuius testimonium invocatur, & inducitur & quantum ad hoc debetur iuramento maxima reverentia. Et propter hoc excluduntur à iuramento  
pueri

pueri ante annos pubertatis quia non habent perfectum usum rationis quo possint cum debita reverentia præstare juramentum. Perjuri quoque non admittuntur ad juramentum, quia ex retroactis præsumitur quod debitam reverentiam juramento non exhibebunt.

2. Ex parte hominis cuius dictum iuramento confirmatur. Non enim indiget dictum hominis confirmatione, nisi quia de eo dubitatur. Hoc autem derogat dignitati personæ, ut dubitetur de veritate eorum quæ dicit. Et ideo personis magnæ dignitatis non convenit jurare.

Vnde Sacerdotes ex levi causa non debent iurare: tamen pro aliqua necessitate, vel magna utilitate licitum est eis iurare & præcipue pro spiritualibus negotiis, pro quibus etiam juramenta competit præstare in solemnibus diebus quibus est spiritualibus rebus vacandum. Non autem tunc sunt juramenta præstanda pro rebus temporalibus nisi forte ex magna necessitate.

## QUÆSTIO XXXVI.

*De Voto. Quid sit Votum?*

**B**onaci. Votum est deliberata promissio facta Deo de bono meliori. Dicitur, promissio, ad distinctionem propositi: nam votum inducit obligationem; propositum vero non: nam propositum nihil est aliud quam intentio, seu determinatio ad aliquid faciendum. Sufficit tamen in voto promissio interior, & mentalis, cum Deus intueatur cor. Sufficit etiam promissio implicita, qualis reperitur in recipiente Ordines sacros, quibus ex Ecclesiæ intentione, & instituto annexum est votum solemne castitatis: unde voluntarie suscipiens Ordines

*Cir. 2. de-  
calog. præc.  
disp. 4. q.  
2. p. 1. n. 1.*

facros : implicite promittit Deo castitatem : nam qui vult statum , implicite vult onera illi statui annexa.

Dicitur , deliberata , quia requiritur perfecta animadversio. Nam votū est lex quædā privata qua quis se Deo obligat : nemo autem censetur se velle obligare nisi plenam habeat deliberationem eius quod facit. Vnde ad votum requiritur perfecta , & plena deliberatio.

*in instr. l.*  
*4. c. 27.*

Toletus. Deliberatio autem in multis consistit. 1. in usu rationis , vt qui vouet sit particeps vsus rationis : vnde pueri ante septimum annum , nullum possunt facere votum , quia tempus rationis non dum aduenit. 2. Vt vsus rationis sit tunc cum emittitur votum : vnde ebrii , amentes licet sint adulti , quia tamen in tali passione non vtuntur ratione , non possunt vouere. Rursus hi qui passione aliqua moti ita celeriter , & inconsiderate vouent , vt tunc non habuerint vsus rationis , cum talem actum commiserunt : non vere vouent. 3. debet esse talis vsus rationis , vt sufficiat ad peccatum mortale.

Pro cuius deliberatione advertendum est in homine esse tres motus voluntatis. 1. ita celer vt nullo modo sit in potestate hominis cohibere. Aliquando enim viso aliquo malo voluntas ita cito in odium mouetur , vt homo nullomodo potuerit cohibere , & iste dicitur motus primo primus in quo nec est peccatum , nec meritum. 2. est ita celer , vt homo imperfecte possit illum cohibere : & in isto actu potest esse ratio meriti , & peccati , sed non plena , non enim sufficit ad peccatū mortale , sed solū ad veniale. Et iste motus dicitur secundo primus. Neuter sufficit ad votum faciendum. 3. Est in quo est vere libertas , vt homo possit emittere , & non emittere , in quo solet peccatum mortale esse. Talis libertas , & deliberatio est necessaria vt votum sit. Puta vt sic homo promittat , quod possit non promittere , quia cognoscit quid faciat.



Bonaci. Dicitur, facta Deo, vt aduertatur vota fieri posse soli Deo: nam votum est actus religionis quæ respicit Deum. Vnde vota quæ fiunt sanctis, fiunt Deo in sanctis: hoc est vouemus Deo nos facturos illud quod sanctis promittimus. 1b.

D. Thom. nam votum soli Deo fit: sed promissio etiã fieri potest homini. Et ipsa promissio boni quæ fit homini potest cadere sub voto in quantum est quodam opus virtuosum. Et per hunc modum intelligendum est votum quo quis vouet aliquid sanctis, vel Prælati, vt ipsa promissio facta sanctis, vel Prælati cadat sub voto materialiter in quantum scilicet homo vouet Deo se impleturum quod sanctis, vel Prælati promittit. 2. 2. q. 88  
4. 5. ad 3.

Bonaci. Additur in definitione ( de bono meliori ) vt explicetur materia voti, quod non obligat nisi eius materia bona sit, & honesta. Ibid. n. 18

D. Thom. Nam votum est promissio Deo facta: promissio autem est alicuius quod quis pro aliquo voluntarie facit: non enim esset promissio sed comminatio si quis diceret se contra aliquem facturum. Similiter vana esset promissio si aliquis alicui promitteret id quod ei non esset acceptum. Et ideo cum omne peccatum sit contra Deum, nec aliquod opus sit Deo acceptum, nisi sit virtuosum, consequens est quod de nullo illicito nec de aliquo indifferenti debet fieri votum, sed solum de aliquo actu virtutis. Ibi supr.  
q. 2.

Sed quia votum promissionem voluntariam importat, necessitas autem voluntatem excludit, id quod est absolute necessarium esse, vel non esse, nullo modo sub voto cadit. stultum enim esset si quis voueret se esse moriturum, vel se non esse volaturum. Illud vero quod non habet absolutam necessitatem finis, puta quia sine eo non potest esse salus, cadit quidem sub voto in quantum

voluntarie fit, non autem in quantum est necessitatis. Illud autem quod neque cadit sub necessitate absoluta, neque sub necessitate finis omnino est voluntarium: & ideo hoc propijssime cadit sub voto. Hoc autem dicitur esse maius bonum in comparatione ad bonum quod communiter est de necessitate salutis: ideo proprie loquendo votum dicitur esse de meliori bono.

Franc. Hinc apparet votum importare ex necessitate propositum voluntatis deliberationem, nam propositum est actus voluntatis deliberatae, & promissionem, per quam homo obligatur & ordinatur ad faciendum quod vouet Deo. Et in hac promissione firmatur votum: & tandem, melius bonum, S. illud ad quod absolute homo non tenetur, qualia sunt opera supererogationis, vt ieiunare, quando non tenetur. Vel illud bonum quod quamvis, sit necessarium necessitate salutis, tamen fit voluntarie. Quo pacto sub voto baptizatorum cadit abrenunciare pompis diaboli, & fidem xpi servare: quia voluntarie fit licet sit de necessitate salutis.

## QUAESTIO XXXVII.

*Quotuplex sit Votum?*

*In prompt.  
c. 3. § 1.  
de voto n.  
10.*

**R**emig. Votum dividitur in solemne, simplex, conditionale, personale, Reale, & mixtum. Votum solemne, & simplex ex ipsis terminis constant. Nam simplex est promissio abs solemnitate exteriori. Votum vero solemne addit extrinsecam solemnitatem professionis in religione, vel susceptionis Ordinis sacri. Votum personale est quod debet adimpleri per ipsam personam vouentem (est enim de actione, vel actionis omissione ipsius personae vouentis) vt votum ieiunandi, audiendi

iffam, non ludendi &c. Reale est cum promittitur vo-  
ores. Ut votum dandi eleemosynam, quod per se, vel  
et alium potest implere vouens. Mixtum est quod in-  
ludit vtrumque tam personam quam rem, vt votum pe-  
grinationis, vbi persona vouens agit peregrinationē,  
& sumptus.

Franc. Votum personale Reale, & mixtum potest  
fieri absolute, vel conditionate. Ut voueo ieiunare in  
sabbato. Voueo peregrinari Romam si me senserim sa-  
num. Et huiusmodi vota conditionata obligant adim-  
pleta, seu purificata conditione.

Differentia inter votum solemne, & simplex ultra so-  
lemnitatem vel carentiam solemnitatis ea est, quod vo-  
tum solemne castitatis in susceptione sacri ordinis, &  
in professione Religionis impedit, & dirimit matrimo-  
nium; simplex vero castitatis votum impedit matrimo-  
nium, non tamen dirimit. Excipe vota simplicia quæ  
post biennium emittunt Patres Societatis Jesu, quæ  
dirimunt matrimonium. Ex Greg. 13. in motu propr.  
Ascendente Domino.

## QVÆSTIO XXXVIII.

*Num Votum obliget ad sui observationem?*

**D** Thom. Ad fidelitatem hominis pertinet vt solvat  
id quod promissit. Vnde sm Augu. Fides dicitur  
ex eo quod fuit dicta. Maxime autem homo debet Deo  
fidelitatem: tum ratione dominij, tum ratione beneficij  
suscepti. Et ideo maxime obligatur homo ad hoc quod  
impleat vota Deo facta. Hoc enim pertinet ad fidelita-  
tem quam homo debet Deo. Fractio autem voti est  
quædam infidelitatis species. Vnde Salomon Eccles. 5.

2. 2. 9. 88.  
4. 3.

rationem assignat quare sint vota reddenda : quia displicet Deo infidelis promissio.

Franc. Videtur tamen quandoque votum non obligare ad sui observationem. 1. Cum promittit abs animo se obligandi. 2. Cum quis se obligat sine intentione ad implendi. 3. Cum quis nequit ad implere promissum vt mulier quæ vovit virginitatem, & postea corrumpitur. 4. Cum malum est adimplere votum vt legitur de Iepte Judic. 11. Et tandem quoties materia redditur, nulla velle est indifferens Ergo non semper votum obligat ad sui observationem.

Sed contra est & ad 1. dicendum quod fiste promittens, seu vouens abs animo se obligandi quod peccat mortaliter, nam deest veritas promissini.

*In prompt.*  
c. 3. §. l. 2.  
Votum. 12.

Remig. Ad 2. dicendum quod etiam deficit à veritate qui facit votum cum animo se obligandi, sine tamen intentione adimplendi, & peccat duplici peccato, nimirum in vouendo, & in non adimplendo : nam animus non adimplendi non annullat votum.

2. 2. q. 88.  
supr. a. 1.

Caiet. Ad euidenciam horum sciendum quod promissio votiuæ sicut aliæ promissiones, triplici animo fieri potest. Cum animo promittendi, & seruandi promissum, & talis est vndique vera promissio. 2. Cum animo promittendi, sed non cum animo seruandi promissum, & talis promissio est partim vera, & partim mendax. Vera quidem quantum ad ipsum actum promittendi, quia intendit se vere obligare per promissionem : mendax autem quantum ad rem promissam : quia promittendo obligat se ad observationem promissi : & cum hoc habet intentionem fallendi quia intendit non seruare promissum. 3. sine animo obseruandi promissum, & sine animo promittendi. Et hæc fit cum solo animo proferendi illa verba promissoria propter metum vel quan-

cunq̄ue causam: & talis promissio est vndique mendax quo ad homines.

In primo promittendi modo est vera ratio voti. In secundo est monstruosa ratio voti. Et adhuc est ibi vere ratio essentialis voti, & illius vinculū cum peccato mortali, tunc & quandiu in tali voluntate non seruandi promissum perseverat. Patet enim ibi saluari voti essentiam, ex eo quod vere intenditur promittere.

In tertio autem modo non datur votum sm veritatē, sed voti fictio: quia tamen homo videt quæ foris sunt, & sm ea quæ foris aguntur, Ecclesiæ iudicium est & esse debet: coram Ecclesia est ibi votum. Sicut suscipiens ordinem Sacerdotis ficit, & abs intentione, quoad Ecclesiam est Sacerdos licet sm veritatem non sit. Vnde Ecclesia cogit omnes huiusmodi ad reddendum vota sua quæ distinxerunt labia sua & sic simulate vouens tenetur ad obseruandū promissū licet non ratione voti ratione Ecclesiæ, & scandali. Sicut promittens aliquid corā testibus, siue habuerit animum promittendi, siue non, cogitur à iudice humano obseruare promissum.

Si quis igitur profitetur ministris Ecclesiæ, aut vouet coram alijs siue habuerit animum siue non: cogendus est implere quod dixit. Alioquin nullus posset cogi ad seruanda promissa, quia semper ignoramus animum promittentis. Et si ipsi credendum non est quando promit quomodo eidem credendum erit dicendo se vere non promississe? Quare magis tunc mendax quam nunc? & ex his patet quod non est credendum ab Ecclesia juranti se non esse professum animo profitendi, nisi ostendat sufficientia inditia violentiæ, aut huiusmodi. Sicut etiam non est credendum alteri conjugum, juranti quod non animo coniugij, coniugium subiit. Si enim de proprio animo contrario publicis factis, ac dictis à se, fides

danda est juranti: quotidie matrimonia dissolventur, Sacerdotes fient laici, contractus omnes rescindi possent: & breuiter vniuersa non solum Ecclesiastica, sed humana conuersatio destrueretur. Et per hoc etiam patet quantum scandalum daretur non seruando huiusmodi vota.

Franc. Ad 3. Dicendum quod multis modis contingit reddi impossibilem adimpletionem voti. 1. Vt in casu argumenti.

2. 2. q. 83.

4. 3. ad 2.

D. Thom. Si quis incidit in impossibilitatem implendi votum ex propria culpa, tenetur insuper de propria culpa præterita pœnitentiam agere: sicut mulier quæ vouit virginitatem, si postea corrumpatur, non solum debet seruare quod potest scilicet perpetuam continentiam, sed etiam de eo quod admisit peccato pœnitere.

Franc. 2. Redditur impletio voti impossibile quia dependet ex alieno arbitrio. V. g. vouet quis ingredi Religionem vel absolute vel etiam conditionate, vt voueo ingredi Religionem si curer ab infirmitate. Et quidem si curor, teneor ingredi: quando autem Religiosi nolunt admittere, tunc liber manet vouens, quia adimpletio voti dependet ex arbitrio alieno.

*Vbi nup.*

D. Thom. Vnde ille qui vouit Monasterium aliquod intrare, debet dare operam quantum potest vt ibi recipiatur. Et si quidem intentio sua fit se obligare ad Religionis ingressum principaliter: & ex consequenti elegit hanc Religionem, vel hunc locum quasi magis sibi congruentem tenetur si non potest ibi recipi intrare aliam religionem. Si autem principaliter intendit se obligare ad hanc religionem vel ad hunc locum, propter specialem complacentiam huius religionis vel loci, non tenetur aliam religionem intrare, si eum illi recipere nolunt.

Tolet,

Tolet. Qui vouit ingredi Religionem absolute, tenetur ( si vouit Religionem determinatam ) adire plures domos illius ordinis, si forte sunt in illa ciuitate, aut prope: si in nulla recipitur, non tenetur, nec oportet peragrarè Prouinciã. Si vero vniuersaliter religionem vouerit, tenetur plures domos diuersorum Ordinũ in illa ciuitate adire: si vero non reciperetur, non tenetur quia moraliter iam impossibile est. Idem dicendum quando iusta causa, postquam est receptus, expellitur, aut egreditur ante professionem, dummodo non sit ob culpam suam: tunc enim tenetur se emendare, & per ipsum non pestet.

*In instr. l.*  
4. c. 17.  
n. 6.

Franc. 3. Redditur impletio voti impossibilis ex defectu mediorum ad votum adimplendum. V. g. quis vouet fabricare Altare, vel Capellam in honorẽ Christi, vel alicuius Sancti: & tamen aduersa fortuna expoliatur bonis & diuitijs: vnde non tenetur ad voti adimplentionem.

Bonaci. Obligatio voti cessat simpliciter, & in perpetuum si voti materia facta est impossibilis in perpetuũ. Si vero pars voti facta est impossibilis, obligatio voti cessat, vel suspenditur quoad illam partem: Vnde qui vouit eleemosynam centum aureorum, quam non potest in totum persoluere ob superuenientem paupertatem, tenetur soluere partem quam potest, & ad aliam partem tenebitur dum peruenerit ad pinguiorem fortunam.

*cir. 2. præc.*  
*deca. disp.*  
4. q. 2. p. 7.  
§. 1. n. 6.

Franc. Ad 4. dicendum quod quædam sunt semper mala, vt peccata vnde non possunt cadere sub voto: quædam vero sunt bona sm se considerata (& sic possunt cadere sub voto) possunt tamen habere malum euentũ, in quo non sunt obseruanda.

D. Thom. Et sic accidit in voto Iepte qui vouit sic

2. 2. q. 88.  
a. 2. ad 2.

Domino. Si tradiderit filios Amon in manu mea, quicumque primus egressus fuerit de foribus domus meae, mihi que occurrerit reuertenti in pace, eum offeram hoc locustum Domino. Hoc autem poterat malum euentum habere si occurreret ei aliquod animal non immolandum, sicut Asinus, vel homo, quod etiam accidit (nam filia sua occurrit lepte Patri suo) vnde in vouendo fuit stultus, quia discretionem non habuit: & in reddendo impius. Præmittitur tamen ibidem quod factus est super eum Spiritus Domini, quia fides, & deuotio ipsius ex qua motus est ad vouendum, fuit à Spiritu Sancto. Propter quod ponitur in Cathalogo Sanctorum Hæbr. 11. & propter victoriam quam obrinuit, & quia probabile est eum pænituiffe de facto iniquo, quod tamen aliquod bonum figurabat.

Franc. Etiam est malum adimplere votum factum propter malum finem, etiam si res quæ vouetur sit bona.

2.2.9.88. Caieta. Ad euidenciam huius sciendum 1. quod malus finis potest esse finis illius boni quod dicitur voueri, sicut vana gloria est finis eleemosynæ cum quis voueret dare eleemosynam propter vanam gloriam. 2. Quod malus finis potest esse finis, non boni quod promittitur, sed applicationis hominis ad vouendum, sicut luxuriosa vita esset finis professionis cum quis profiteretur aliquam religionem, ut luxuriose viueret. 3. Quod malus finis potest esse finis ipsius voti, ita quod ipsum votum ordinatur ad malum finem. Sicut victoria in bello iniusto esset finis voti, si quis promitteret Deo, quod si daret illi victoriam in tali bello, offerret Deo mille aureos.

In primo casu votum nihil valet, nec est votum, sed diabolica promissio. Quia eleemosyna non nude sumpta

2.2.9.88.  
4.2.5. circa  
bona.  
supereroga.



sed propter inanem gloriam vouetur, quod est malum, & ita non est adimplendum tale votum malum. In 2. est verum, & validum votum, quamuis talis sic vouendo peccet mortaliter & sublato malo sine tenetur adimplere votum. In 3. etiam est iniquum votum & non debet adimpleri. Si tamen promittatur executio voti post obtentam victoriam, tunc tenetur soluere promissum ut patet de promissa mercede meretrici ex turpi causa.

Toletus. Qui autem vouet ut incolumis maneat in duello, vel in bello iniusto, vel ut filium habeat quamvis esset mulier adultera: sic vouens tenetur adimplere votum: quia ista in se bona esse constat.

*In instr l.**4. c. 17. n 7*

Franc. Ad vltimum dicendum quod materia voti quando redditur nulla, est impossibilis voti adimpletio. Ut per se patet, & sic non obligat votum. Pariter votum prius factum non obligat, quando mutatur in melius v. g. quis vouit peregrinari ad Hierusalem: & ingreditur Religionem, & sic per ingressum in religione cessat votum prius factum: quia melius est ingredi in Religionem: & votum non debet esse maioris boni impeditivum.

Caictan. Indifferentia autem considerata sibi quod sunt talia non sunt obligatoria. V. g. non filare in Sabbato est indifferens, quia nec bonum nec malum morale importat. Et propterea mulier vouens non filare in Sabbato nihil vouet. Cæterum si indifferentia referantur ad bonum, votum de eis factum est obligatorium. V. g. Ire Parisios est indifferens: & si quis vouet ire Parisios nullo voti vinculo obstringitur. Sed si addatur ad ire Parisios ob visitandum B. Dionysium, tunc ire Parisios non est indifferens, sed actus virtutis, puta Religionis: & propterea votum valet.

*Vbi nup.  
S. circa in-  
differentia.*

Franc. Tandem nota quod potest esse nullam votum

defectu promissionis requisitę ad votum quo circa sciendum est duplicem esse promissionē, aliā simplicem, aliam votiua. Simplex promissio fit cum quis promittit quidpiam sine tamen animo obligandi se ad peccatum si non adimpleat: & huiusmodi promissio non est sufficiens ad votum. Secus promissio votiua cum quis animo se obligandi & subdendi pænę promittit, & vouet taliter quod sciat se incurfurū pænā quę transgressoribus votorū debetur.

## QUAESTIO XXXIX.

*Num Votum vi, vel metu factum sit validum?*

*Cir. 2. de  
calog. prac.  
disp. 4. q.  
2. p. 3 n. 3.*

**B**onaci. Votum factum ex metu graui illato à causa intrinseca ( vt metus mortis ex graui infirmitate, ex periculo naufragij, partus difficilis &c. ) est validū. Ratio est quia huiusmodi votum sponte emittitur, est que vouenti gratum, & bonum

Franc. Vnde qui in naufragio v. g. vouet visitare Virg. Mariam in hac, vel illa Ecclesia, si à naufragio liberetur: impleta conditione tenetur implere votum.

*ib.*

Bonaci. Votum factum ex metu graui incusso ab extrinseco non ad extorquendum votum, sed ad alium finem, validum est. Quia est simpliciter voluntarium. Hinc sequitur validum esse votum quod qui damnatus iuste, vel iniuste ad triremes emittit, vt ab hac poena liberetur nam metus non est incusus ad extorquendum votum.

Franc. Pariformiter validum est votum quando ab alio offertur ad liberationē pænæ iuste, vel iniuste illatę, & non ad extorquendum votum. V. g. Petro damnato ad triremes promittit Iudex, se cum liberaturum

si velit vouere ingredi Religionem: vel vouere seruire Hospitali infirmorum. Nam tunc libere, & voluntarie Petrus votum emitteret.

Rocas. Votum factum cum interiori consensu, quod cunque illud sit, stando in jure naturæ quamuis sit emissum ex metu graui & illato directe ad extorquendum tale, validum est & obligans in foro animæ. Probatum ex omnium consensu: deliberatio & consensus qui sufficit ad hoc vt actus exterior malus sit peccatum mortale, per quod peccans obligatur dæmoni, eadem deliberatio, & consensus sufficit vt homo verum, & validum votum emittat per quod obligetur Deo: sed qui consentiret in fornicationem quamuis ex metu graui, peccaret mortaliter, & obligaretur dæmoni. Ergo qui emit tit votum consensu interiori, quamuis ex metu graui, manet per illud obligatus Deo.

L. 3. de 2.  
 & 3. deca.  
 præ. n. 292

Deinde, tale votum est vere actus liber: nam metus exterior incusus non tollit actum interiore liberum factum Deo, cui interiora vouit.

Votum autem solemne emissum ex metu graui in eum finem nempe ad extorquendum tale votum, & si fiat cum interiori consensu, jure Ecclesiastico nullum est, & nullam inducit obligationem. Prob. 1. Nam matrimonium jure naturæ validum est se fiat cum interiori consensu, & si fiat ex metu graui, jure tamen Ecclesiæ ex tali metu factum nullum est & inualidum. Ergo similiter votum solemne, cum per id etiam suscipiatur status cum vinculo indissolubili sicut per matrimonium. 2. ex cap. Prælatum de hijs quæ vi & c. Vbi Pontifex professionem cuiusdam mulieris factam ex metu mortis quam vir suus cōminabatur nisi ingrederetur Religionē, & illam solemniter profiteretur, declarat eo ipso quo mulier illa ex tali metu fuit professa, professionem illam

ibid. n. 293

esse irritam, & inanem, & vota quæ emissa nullius va-  
loris.

Confirmatur ex Tridentino Concilio sess. 25. de Reform.  
c. 18. ubi percutitur gravissima excommunicatione la-  
tæ sententiæ quicumque intulerit vim aut metum alicui  
viro, vel fæminæ ut in Religionem ingrediatur & profi-  
teatur. Et c. 19. constituitur ut quicumque per vim aut  
metum fuerit ingressus, aut professus Religionem. Vel  
ante legitimam ætatem, aut impletum probationis tem-  
pus: possit per quinquenium à die professionis compu-  
tandum coram Ordinario, & Superiore sui Ordinis pro-  
clamare: ut si professionem illius ex aliquo istorum defectu  
constiterit esse invalidam: ille maneat liber tanquam ex  
professione omnino nulla, & quæ ad nullos effectus po-  
tuerit inducere aliquam obligationem.

*Ibid. n. 295*

Ex dictis adductis perspicuum est vota simplicia cum  
interiori consensu emissa, quamvis ex metu gravi ex-  
torta sint, esse valida, & obligare, quia Ecclesia solum  
decernit esse irrita, & invalida quæ solemniter fuerint  
extorta ex tali metu: vnde simplicia manent cum sua vi,  
& obligatione, quam habent stando in iure naturæ: po-  
test tamen Superior in illis dispensare cum sola hac cau-  
sa fuerint emissa ex metu gravi.

*de prac. de  
c. 1. 4. c. 3.  
n. 12.*

Thom. Sanchez. Sed verius est irritari eo metu, om-  
ne votum siue simplex siue solemne. Ducor: quia cap.  
1. de his vi. declaratur irrita professio fæminæ tali metu  
emissa. Et quamvis ibi non sermo sit de voto simplici,  
atque de illo dispar sit ratio: at communi fere omnium  
Doctorum placito eadem decisio extenditur ad votum  
simplex.

Bonaci. Cum in dicto cap. 1. de his quæ vi. Irritetur  
votum solemne (ex metu præfacto extorquente iniuste  
incussu) ita à fortiori supponitur irritum votum simplex

(ex præfato metu) quod non adeo grauem obligationem inducit.

Franc. Vtraque opinio & Rocafulli, & Thomæ Sanchez ac Bonacinæ probabilis est. Cæterum probabilior mihi videtur opinio Rocafulli. Ratio est quia in his quæ dependent à jure: quamuis jus disponat vnum in quo est eadem ratio quam in alio, si tamen non disponit hoc aliud, non valebit argumentum de vno ad aliud *sm* jus, licet *sm* scientificum procedendi modum valeat. V. g. eodem metu, potest extorqueri votum ac juramentum: At qui juramentum tali metu graui extortum validum & obligatorium est vt constat ex cap. si vero de jureiurand. Votum autem solemne simili metu extortum est inualidum: & tamen non alia ratione nisi quia jus Ecclesiasticum sic disposuit. Ergo pariter licet vigeat eadem ratio in voto solemni ac in simplici, si tamen jus Ecclesiasticum non irritat votum simplex metu graui extortum: parum refert quod irritet votum solemne ex metu factum, vt hinc fiat argumentatur ad votum simplex. Vnde.

Thomas Sanchez probans metu graui iniusto extorquente factum votum solemne esse irritum non jure naturæ, nisi jure Ecclesiastico, inter alias rationes ponit hanc. Juramentum tali metu extortum obligat prorsus cap. Si vero jureiurand. Cum tamen ita inuoluntarium sit, atque vinculum perpetuum ac votum. Nec vlla apta discriminis ratio inueniri potest inter vtrumque, præter quam quod jus Ecclesiasticum irritet votum, & non autem juramentum. Vnde apparet sic sentiendum esse in nro casu & standum opinioni Rocafulli. &

Bonacina. Vouens vero ex metu leui, & non cadente in virum constantem, facit votum validum. Nam Ecclesia huiusmodi votu non irritat. Et præterea habet

*vbi supr.*  
n. 9.

*vbi supr.*  
n. 6.

sufficiens voluntarium ad vouendum. Vnde etiam apparet. Non irritationem Ecclesiæ vnā esse ex causis cur huiusmodi votum sit validum. Præterea.

*In Enchy.*  
c. 12. n. 79.

Marti. Nav. docet quod qui non habet potestatem nisi ad dispensandum votum non potest commutare, quia hæc sunt inter se valde diuersa. Et tamen plus autoritatis dicit dispensare quam commutare. Ergo non intelligitur dari potestas commutandi quando solum datur dispensandi, licet sit maior dispensatio quam commutatio. Pariter igitur licet ius Ecclesiasticum irritet votum solemne ex graui metu extortum, non ob hoc debet intelligi irritari quoque ex eodem iure votum simplex licet hoc sit minus eo.

## QUAESTIO XL.

*Num qui sunt alterius potestati subiecti, impediuntur à vouendo?*

2. 2. q. 88.  
n. 8.

**D.** Thom. votum est promissio Deo facta: nullus autem potest per promissionem se firmiter obligare ad id quod est in potestate alterius, sed solum ad id quod est omnino in sua potestate. Quicumque autem est subiectus alicui quantum ad id in quo est subiectus, non est suæ potestatis facere quod vult sed dependet ex voluntate alterius. Et ideo non potest se per votum firmiter obligare in his in quibus alteri subijcitur, sine consensu sui Superioris.

Fr. Videtur tamen posse vouere eos qui subdantur alterius potestati. 1. quia minus vinculum superatur à maiori: sed obligatio qua quis subijcitur homini est minus vinculum quam votum per quod aliquis obligatur Deo. Ergo illi qui sunt subiecti possunt vouere. 2. Quia filij absque

absque voluntate parentum possunt profiteri in religione 3. quia Religiosi possunt absque licentia Prælatorum facere aliqua, vt recitare aliquos psalmos. Ergo melius poterunt vouere. 4. Quia non peccant subditi vouendo. Ergo poterunt vouere.

Sed contra est: & ad 1. Dicendum quod nemo potest disponere de eo de quo non habet dominium seu potestatem: vnde licet sit minor obligatio qua homo homini subditur quam Deo; tamen cum hæc minor obligatio sufficiens sit vt subditus careat libertate sufficienti ad vouendum & dominio ac potestate necessaria ad votū implendum, fit quod non sit potens vouere.

D. Thom. Sub promissione enim Deo facta non cadit nisi quod est virtuosum. Est autem contra virtutem vt id quod est alterius, homo offerat Deo. Et ideo non potest omnino seruari ratio voti, cum quis in potestate alterius constitutus vouet id quod est in potestate alterius, nisi sub conditione, si ille ad cuius potestatem pertinet, non contradicat.

*ibi sup.  
ad 1.*

Ad 2. Dicendum quod ex quo homo venit ad annos pubertatis si sit liberæ conditionis est suæ potestatis, quantum ad ea quæ pertinent ad suam personam, puta quod obliget se religioni per votum, vel quod matrimonium contrahat. Non autem est suæ potestatis quantum ad dispensationem domesticam. Vnde circa hoc non potest aliquid vouere quod sit ratum sine consensu Patris. Servus autem quia est in potestate Domini, etiã quantum ad personales operationes non potest se voto obligare ad religionem per quam ab obsequio Domini sui abtraheretur.

*ibid, ad 2.*

Ad 3. Dicendum quod Religiosus subditus est Prælato quantum ad suas operationes in professionem regulæ. Et ideo ( etiam si aliquis ad horam aliquid facere

possit quando ad alia non occupatur à Prælato, quia tamen nullum tempus est exceptum in quo Prælati non possit eum circa aliquid occupare) nullum votum Religiosi est firmum, nisi sit de consensu Prælati, sicut nec votum puellæ existentis in domo, nisi sit de consensu Patris, nec vxoris nisi sit de consensu viri.

Ad 4. Dicendum quod licet votum eorum qui sunt alterius potestati subiecti non sit firmum sine consensu eorum quibus subiiciuntur, non tamen peccant vouendo, quia in eorum voto intelligitur debita conditio, scilicet si suis superioribus placuerit, vel non renitentur.

## QUÆSTIO XLI.

*Num pueri possint voto se obligari ad Religionis ingressum?*

2.2.7.88.  
749.

**D.** Thom. Duplex est votum scilicet simplex, & solemne. Et quia solemnitas voti in quadam spirituali benedictione, & consecratione consistit quæ fit per ministerium Ecclesiæ, ideo solemnizatio voti sub dispensatione Ecclesiæ cadit. Votum autem simplex efficaciam habet ex deliberatione animi qua quis se obligare intendit. Quod autem talis obligatio rebus non habeat, dupliciter potest contingere. 1. Propter defectum rationis sicut patet in furiosis, & amentibus qui se voto non possunt obligare ad aliquid dum sunt in furia, vel amentia. 2. Quia ille qui vouet est alterius potestati subiectus.

Et ista duo concurrunt in pueris ante annos pueritatis, quia & patiuntur rationis defectum ut in pluribus, & sunt materialiter sub cura Parentum vel Tutorum,



qui sunt eis loco parentum & ideo eorum vota ex duplici causa robur non habent. Contingit tamen propter naturæ dispositionem quæ legibus humanis non subditur, in aliquibus licet paucis, accelerari rationis usum, qui ob hoc dicuntur doli capaces. Nec tamen propter hoc in aliquo eximuntur à cura parentum, qui subiacent legi humanæ respicienti ad id quod frequentius accidit.

Est ergo dicendum quod si puer vel puella ante pubertatis annos non dum habeat usum rationis nullo modo potest ad aliquid se voto obligare. Si vero ante pubertatis annos, attingit usum rationis, potest quidem quantum in ipso est, se obligare sed votum eius potest irritari per parentes, quorum curæ remanet adhuc subiectus. Quantuncumque tamen sit doli capax, non potest obligari voto solemnii religionis, ante annos pubertatis, propter Ecclesiæ statutum quod respicit id quod in pluribus accidit. Post annos autem pubertatis possunt jam se voto religionis obligare vel simplici vel solemnii absque voluntate parentum.

Franc. Anni autem pubertatis in pueris sunt quatuordecim, in puellis duodecim: Et ætas ab usu rationis id est à septem annis completis usque ad quatuordecim completos in viris, & duodecim completos in scæminis, vocatur impubertas. Sicut etiam minoritas, seu minor ætas dicitur à tempore pubertatis usque ad vigesimum quintum annum completum tam in masculis quam in scæminis. Ut videre est apud Thom. Sanchez. l. 4. in decal. c. 35 nu. 3.

✠

✠

## QUAESTIO XLII.

*Num vota dubia sint obligatoria?*

*p. 7. tra. 1. de inram. di. p. 43. q. 1.* **L**ean. de SS. Sacr. Qui dubius est an aliquid Deo vouerit, vel iurauerit, vel homini aliquid promiserit, non tenetur tali voto, iuramento aut promissione. Nam vinculum, seu obligatio voti, iuramenti vel promissionis, non est adstruendū nisi liquido constet. Tum etiam quia illa Regula. In dubio melior est conditio possidentis. Verificatur non solum in materia iustitiæ sed etiam in materia religionis, & aliarum virtutum: atqui in dubio possidet libertas dubitantis. Patet quia quilibet habet jus late sumptum circa proprias actiones ut possit illas libere & sine obligatione exercere: ergo dum non probatur, illas debere, stat præsumptio pro libertate.

*Ibid. q. 2. c. 3.* Idem dicendum quamuis dubitans magis inclinaret in partem emissionis voti, siue iuramenti. Secus autem esset si quis certus esset de voto, iuramento, seu promissione, & dubius de eorum impletione: nam tunc possessio stat pro voto, & iuramento. Si autem probabiliter ex aliquo motivo opinaretur se soluisse iuramentum vel votum, tunc ad nihil teneretur quia in rebus moralibus sufficit probabile sequi iudicium.

## QUAESTIO XLIII.

*Num heredes teneantur ad vota Testatorum?*

*L. 3. de 2. c. 3. deca. n. 351, 2. c. 3.* **R**ocafull. Obligatio voti personalis non transit ad heredem vel successorem. Nam votum personale

exigit adimpleri à persona vouente : transit tamen obligatio voti realis : non quia votum reale sit votum hæredis, sed quia hæres ratione hæreditatis tenetur ex iustitia solvere debita testatoris : hæreditas enim intelligitur cum honoribus, & oneribus. Et in casu dubitationis num testator adimpleuerit votum reale quod cum emississe constat hæredi, tenetur is adimplere.

Nec potest hæres exigere dispensationem, vel commutationem istius voti vel aliorum ad quæ tenetur ratione hæreditatis : nam dispensatio, & commutatio respiciunt debitum religionis, hæres autem tenetur debito iustitiæ.

Bonaci. Obseruandum tamen hic hæredem non teneri ad vota realia ultra vires hæreditatis ut patet in alijs debitis defuncti : nam solum tenetur hæres persolvere debita defuncti ratione hæreditatis. Si ergo hæreditas non sit sufficiens, non tenebitur ultra vires hæreditatis persolvere debita.

10. 2. circ.  
2. dec. præc  
dup. 4. 9.  
2. p. 5. 5.  
2. nu. 4.

Circa vota vero mixta, hæres tenetur votum mixtum quoad partem realem persolvere quoties votum mixtum est æqualiter reale & personale.

*ibid.* n. 10.

Franc. Vnde si testator vouit peregrinari Compostellam & ibi dare elemosynam centum argenteorum, tenetur hæres dare centum argenteos, non tamen peregrinari. Quando autem testator non vouit nisi peregrinari Compostellam, licet peregrinatio non possit sine sumptibus fieri, non tenetur hæres ad sumptus persolvendos, nam peregrinatio est votum mixtum non tamen æqualiter personale, ac reale, sed principaliter personale, & accessorie reale, quatenus peregrinationi accessorie adhærent sumptus.

## QUAESTIO XLIV.

*Num in voto possit fieri dispensatio, & à quo?*

**F**RANC. Respondeo affirmatiue. Ratio est: quia multoties potest contingere, quod sit melius non adimplere quam adimplere votum: v. g. quando adimpletio voti vergit in deteriore exitum, & in alijs casibus & & causis occurrentibus ut videre est infra q, 46. Ergo in voto potest dispensari.

*In Enchyri.  
c. 12. à n.  
num. 75.*

Mart. Nav. Circa personas à quibus potest fieri dispensatio, dicimus solos Prælatos Ecclesiasticos habere potestatem dispensandi. Sic quod Papa solus, vel qui ab ipso peculiarem habet potestatem potest super quinque vota dispensare, scilicet super voto perpetuæ continentia, Religionis, Peregrinationis in Hierusalem, Romam, & ad Sanctum Iacobum Compostellæ. Votum autem in Hierusalem quando fit ex deuotione, & non in subsidium terræ sanctæ non est reservatum Papæ *sm Panor. in c. ex multa.*

*In Promp.  
c. 2. § 3. de  
voto. n. 3.*

Remig. Nam votum peregrinationis Hierosolimæ solum propter deuotionem factum, potest dispensari ab Episcopo.

*Ibid.*

Mart. Nav. In cæteris autem votis, alij Prælati inferiores poterunt dispensare vt Episcopi, vel qui iurisdictionem Episcopalem sortis sunt. Prælati tamen inferiores Episcopis non habentes iurisdictionem quasi Episcopalem nihil tale possunt.

*Ibid. n. 78*

Circa votum tamen continentia simplicis perpetuæ non possunt dispensare Episcopi nisi sit magnum periculum incontinentia, & non possit adiri Papa, possunt tamen dispensare in voto continentia non perpetuo,

sed ad tempus seruandę veluti per annum. Et idem face-  
re possunt circa votum de nunquam contrahendo ma-  
trimonio. Et sic seruatur in sacro Penitentię Pręto-  
rio.

Lean. de SS. Sac. Potestas igitur dispensandi in vo-  
tis & iuramentis solum residet apud Prælatos habentes  
jurisdictionem spiritualem in foro externo. Vnde prima  
mario, & iure ordinario residet hæc potestas in summo  
Pontifice, & deinde in alijs Prælatis.

Episcopi in sua diæcesi habent facultatem Ordinarię  
dispensandi omnia vota quę illis specialiter reseruata  
non sunt. Quia vnusquisque Episcopus habet in sua diæ-  
cesi veram jurisdictionem Ecclesiasticam & spiritualem  
in vtroque foro. Quod intelligendum etiam est de  
Episcopis confirmatis a Papa etiam antequam sint con-  
secrati. Quia à tempore confirmationis sunt veri Præ-  
lati & gaudent omnibus ad suam jurisdictionem spectan-  
tibus.

Præterea Prælati inferiores Papa, vt Archiepiscopi,  
Episcopi & omnes alij Prælati inferiores habentes ju-  
ridictionem Ordinariam dispensandi cum subditis tam  
in votis, & iuramentis quam in alijs rebus, possunt im-  
mediate per se ipsos secum dispensare. Immo & Prælati  
Regulares secum possunt dispensare in omnibus votis,  
& alijs, in quibus possunt cum subditis, & hoc adhuc  
in calu quo sit recursus ad superiorem. Quia omnes Præ-  
lati regulares habent potestatem ordinariam in suos sub-  
ditos, cum sint Pastores ordinarij illorum, sicut Epis-  
copus est suorum subditorum: & ideo dicuntur habere  
authoritatem quasi episcopalem. Vnde

Tamburinus. Quis dispensabit Episcopum in suis vo-  
tis? Respondeo Archiepiscopum, cuius est suffraga-  
neus: vel poterit ipse secum dispensare: vel denique co-

mittere suo Confessario, vt, etiam extra Confessionem dispenset. Pari modo, Prælatum interiore regulari dispensabit Superior v. g. Prouincialis Rectorem vel ipse Rector sibi vel denique committat suo Confessario, vt id etiam extra Confessionem faciat. Ratio omnium horum est quia cum non repugnet hanc jurisdictionem dispensandi exerceri in se ipsum siue mediate, siue immediate, cum hæc sit voluntaria, & non contentiosa nec ex se sit sacramentalis quæ requirit distinctionem personarum: & ex alia parte dicti Prælati habeant plenam dispensandi in votis jurisdictionem, nec quo ad hoc restrictam vt supponimus, non est à nobis restringenda.

*Ibid. q. 67.* **Lean. de SS. Sacr.** Posse etiam, assero, Prælatos secundarios Religionū puta Vicarios, Vice Rectores dispensare cum suis subditis, & secum in absentia Prælatorum. Quia tunc cum eorum vices gerant, eandem omnino habent facultatem. Secus quando non funguntur plene vicibus Prælatorum, sed sub cura eorundem Prælatorum Conuentualium sunt.

*q. 68.* **Abbatissæ**, autem seu Priorissæ non possunt dispensare seu commutare suarum Monialium vota, bene vero irritare. Nam irritatio prouenit à Potestate dominatiua qua ipse gaudent in subditas: at dispensatio, & commutatio ortum ducit à potestate jurisdictionis qua de facto carent Abbatissæ.

*q. 16.* **Parrochi** autem ex vi sui officij, non possunt dispensare in votis aut iuramentis Deo præstitis, in quibus possunt Episcopi. Nam non gaudent potestate quasi episcopali, nec privilegiū habent, nec jus acquisitū consuetudine. Possunt tamen in lege ieiunij dispensare etiā presente Episcopo. et hoc ex consuetudine per quam acquisierunt potestatem, & jus.

Rodriguez. Occurrente tamen necessitate quando commode Episcopus nequit adiri, possunt Parochi dispensare in votis in quibus possunt Episcopi. 10.2.99.ve  
gula. q. 46  
4. 9.

Franc. Nam cum dispensatio legis sit exemplar dispensationis voti, sit Parochos potentes dispensare in lege jejuniij, posse etiam in votis in quibus possunt Episcopi, quando commode adiri Episcopus non potest.

Leand. à SS. Sac. Prælati regulares cum sæcularibus possunt dispensare in votis omnibus in quibus possunt jure ordinario Episcopi. Non autem in his in quibus non jure ordinario, sed ex benigna interpretatione voluntatis reservantis Papæ possunt Episcopi ut in voto castitatis absolutæ urgente necessitate. Ibid. q. 13.

Possunt prædicti Prælati cum suis subditis dispensare in juramentis, & votis, sicut potest Episcopus dispensare in illis cum suis subditis. Nam habent jurisdictionem ordinariam quasi Episcopalem in utroque foro ratione sui muneris. Quod intelligendum est non solum de Prælatibus maioribus, ut Generalibus, & Provincialibus, sed etiam Prælatibus Conventualibus, quia etiam hi sunt veri Prælati gaudentes jurisdictione Episcopali. q. 142.

Marti. Nav. Confessarij quoque rite præsentati ex ordine fratrum Minorum possunt in omnibus votis dispensare in quibus possunt Episcopi præterquam in voto peregrinationis ultra duas dietas. Idem etiam possunt Confessarij Ordinis Dominicani & aliorum qui priuilegiorum Ordinis Sancti Francisci sunt participes. In Enchyra.  
c. 12. n. 19.

Franc. Hoc priuilegium fuit concessum fratribus confessorijs Ordinis S. Francisci ab Innocen. VIII. ut dic. Rodriguez in explicat. Bullæ Cruciatæ §. 9. nu. 141. Hi autem Confessarij & alij qui per participationem gaudent prædicto priuilegio debent esse legitime approbati

## QUAESTIO XLV.

*Num in voto solemnī continentia possit fieri dispensatio?*

2. 2. q. 88.  
4. 11.

**F**RANC. In hac re est expressa D. Thomæ opinio in voto solemnī continentia per susceptionem Ordinis sacri, posse summum Pontificem dispensare: non enim est essentialiter annexum debitum continentia ordini sacro, sed ex statuto Ecclesie: non autem posse in voto solemnī continentia per professionem in Religione, cui essentialiter est annexum hoc votum. Totaliter panque homo per professionem in Religione mancipatur Dei seruitio abrenuntians sæculo. Et quemadmodum calix v. g. consecratus, non potest de sinere esse consecratus quandiu manet integer: ita homo Deo consecratus, quandiu vivit, non potest facere aliquis Prælati Ecclesie, quod consecratus esse desistat.

I. 3. de 2.  
c. 3. de ca.  
pra. n. 504

p. 7. tra. 1  
de iuram.  
di. p. 16. q.  
45.

Quoniam vero contra hanc Angelici Doctoris opinionem plures plura adducunt. Et in primis Caietanus super hunc ipsum locum D. Thomæ. Afferens quandam Decretalem à Sancto Doctore hic defensam pluries à Romano Pontifice fuisse interpretatam, & de facto Papam dispensasse cum Rege Aragonum & cum Constantia Sanctimoniali Panormi. 2. Rocassull. tuo tempore asserens fuisse dispensatum cū magistro Montesia: & eodem modo dispensatum cum Ordinibus Alcantharæ, & Calatrauæ, quas historias referunt Gravissimi Authores. Et tandem Leander de SS. Sacram. asserens plures Doctores quibus indubitata fide est credendum, affirmare de facto sæpius Pontificem dispensasse in hoc voto: Ideo Summorum Pontificum iudicio standum est.



## QUÆSTIO XLVI.

*Quæ sint causa requisita ad dispensationem?*

**M** Art. Nav. Quævis causa reddens complementum voti malum vel inutile, vel maioris boni impeditivum est satis justa, & rationabilis ad dispensandum *In Enchyr. c. 12. n. 76.* sm omnes post S. Thom. 2. 2. q. 88. a. 10. Immo etiam ad hoc ut sine dispensatione implementum eius omittatur, si manifestum sit unum ex tribus supra explicatis efficere.

*Ibid. n. 77*  
Præterea. Una ex justis causis ad dispensandum est levitas vel facilitas in vouendo. Imbecillitas item eius qui vouit ad exequendum quod vouit scilicet ad ieiunandum, vel peregrinandum. Habere item numerosam familiam quæ absque notabili nocimento patroni absentiam tolerare non potest: & alia similia de quibus certa regula afferri non potest, & subinde arbitrio Superioris definiri debent, & considerari.

Franc. Est etiam sufficiens causa ad dispensationem defectus maturæ deliberationis in vouendo. Nam hæc causa reducitur ad leuitatem animi. Unde per hanc causam potest fieri dispensatio in votis puerorum ante pubertatem emissis, nam præsumitur imprudentia & leuitas in vouendo, & quod impuberes maturo consilio careant. Per eandem causam potest dispensari in votis fæminarum, aliorum q. timide naturæ facilis, & leuis ad vouendum. Item in votis emissis ex aliqua passione, puta, tristitia, ira, metu, præsumitur namque defectus maturæ deliberationis.

Leander à SS. Sac. Est etiam sufficiens causa ad dispensandum magna difficultas non potest exequendi *p. 7. tra. I. de jur. disp. 17. q. 14.*

votum. Tum quia hoc est valde consentaneum benignitati Dei ad obstandum fragilitati humanae. Tum etiam quia regulariter cum magna difficultate exequendi votum, communitum est periculum violandi illud.

Franc. Ad dispensandum autem in voto solemnii castitatis Religiosi debet desiderari non quaelibet causa, sed communis boni causa veluti pax totius Regni, qua stante causa Summus Pontifex poterit dispensare.

## QVAESTIO XLVII.

*De commutatione Votorum, Irritatione que eorum, ac cessatione.*

l. 4. 18.  
nr 8.

**T**Oletus. Commutare votum, est materiam voti in aliam mutare materiam & quidem in meliorem potest ipse vouens mutare absque alia licentia, non autem in æquivalentem, aut paulo inferiorem: hoc enim est Prælatorum, & Episcoporum qui non debent commutare absque causa rationabili, nec commutare in levem materiam, sed in fere æquivalentes proportionaliter.

Franc. Hinc apparet Commutationem requirere causam, ut sit valida & licita: & quidem quando commutatio fit in materiam evidenter meliorem, devotio, & feruor placendi magis Deo vel melius seruiendi ei est causæ loco. In cæteris autem commutationibus vel in æquale, vel in minus bonum semper intercedit aliqua causa.

p. 7. sta. 1.  
de iur. disp  
18, q. 23. Lean. de SS. Sacr. Nam quando votum commutatur in paulo minus, sufficiens causa est ad commutandum, vel vouentis inconstantia, vel levitas, inconsideratio, vel morositas in adimplendo, vel magna fragilitas in voto frangendo, vel repugnantia viri, Parentis &c.

Et ad commutanda vota vi Bullæ, aut Jubilei non requiruntur alia causa quam habere Eullam, & conferre elemosynam in illa præscriptam; vel exequi opera in Jubileo mandata. Quando autem quis ( *sm opinionem probabilē* ) commutat vota, propria autoritate in evidenter æquale indiget etiam causa, licet leuissima.

Franc. Circa vota Papæ reservata quæ sunt quinque, scilicet votum peregrinationis in Jerusalem, in Romam ad limina Apostolorum Petri, & Pauli, in Augustellam: & votum castitatis, atque Religionis dicendum commutari in votum Religionis solemne, propria autoritate.

Lean, de SS. Sac. Nam cum omnibus compertum fit nihil gratius Deo statu Religioso offerri posse, noluit Pontifex hanc perfectissimam commutationem interdiceret: sed potius illam approbare in cap. Scriptura de voto. Vbi expresse dicit licitum esse quodcunque temporale votum in perpetuam observantiam Religionis commutare. Vnde hæc commutatio potius dicenda est ex vi juris fieri, quam ab homine.

*Ibib. q. 18.*

Marti. Nav, Certissimum est quodcumque aliud votum posse in Religionis votum ( *solemne* ) commutari.

*c. 12. n. 78.**In Enchy.*

Fran. Potestas autem commutandi vota residet apud Ecclesiæ Prælatos. 1. In Summo Pontifice. 2. in Episcopis. 3. in Superioribus jurisdictione Episcopali, seu quasi, potentes, inter quos numerantur Regulares. 4. Confessarij per Bullam, vel per Jubilæum, aut per aliquod privilegium *sm facultatem* eis concessam.

Remig. Nam omnes qui possunt dispensare in votis, possunt quoque commutare ea, sic tamen quod Autoritas qua fruuntur Prælati Ecclesiæ commutandi, jure communi & ordinario residet etiam in quocumque Confessario virtute Bullæ Cruciatæ, & Jubilæorum, vnde

*In Prompt.**c. 3. §. 4. de**voto n. 2.*

poterit commutare quæcunque vota præter quinque  
maiora reservata Summo Pontifici, nempe peregrina-  
tionis in Hierusalem, & reliqua.

ibi. s. n. 3.

Et Confessarij Ordinum SS. Francisci, & Dominici  
per sua privilegia possunt commutare omnia vota in  
quibus dispensare potest Episcopus excepta peregrina-  
tione ultra duas dietas. Quod idem possunt facere alij  
fruentes Præfatorum privilegiorum.

l. 3. de 2. c.

3. pra. de c.

n. 583. c.

ult.

Nota autem norma aliqua detur Tyroni Con-  
mutatio in votis commutandis, aliquarum Commutatio  
num exempla à Viris doctis vel à jure factis proponere  
volumus. Et 1. Votum Ierosolymitanum cuiusdam  
pueri commutatur in cap. veniens de voto. Ut id votum  
elemosynis redimeret & toto vitæ curriculo vni paupe-  
ri prouideret. Et simile votum cuiusdam Episcopi in  
cap. Magna, eodem titulo, commutatur ut expensas  
eundi, & redeundi, & commorandi ibi integre mittat,  
& laborem itineris compenset sollicitius instando vigi-  
lijs, deuotius vacando orationibus, & fortius se exer-  
cendo jeunijs.

2. Votum castitatis potest commutari addita aliqua  
dispensatione à potente dispensare: quod si pœnale est  
hoc votum aut conditionale, & conditio non est im-  
pleta pura commutatione tolli potest tunc que commu-  
tari posse videtur in jeiunium omnibus sextis ferijs.

Franc. Nota autem quod votum pœnale dicitur cum  
quis eligit materiam non ut gratam, sed ut pœnam V. g.  
Si lusero, voueo in pœnam ire Ierosolymam. Votum  
vero mere conditionale & pœnale est quando materia  
non eligitur ut odiosa, & ut pœna, sed ut grata, & ac-  
cepta. V. g. si Deus liberet me ab hac infirmitate, pro-  
mitto in gratiarum actionem singulis sabbatis audire  
Missam.

Rocaf. Votum Religionis v. g. Dominicanæ potest *ibid. n. 585*  
 commutari in jeiunium totius vitæ sextis ferijs, in con-  
 fessionem & communionem decimo quinto quoque die  
 in erogationem elemosynæ fm suam facultatem, & in  
 quotidianam recitationem Psalmorum Penitentia.

Votum jeiunandi omnibus sextis ferijs commutari  
 potest in confessionem, & communionem anno inte-  
 gro decimo quinto quoque die, & in tria sacra facienda.  
 Votum vero peregrinationis potest commutari in jeiu-  
 nia & orationes, pro labore personali itineris, & in elec-  
 mosynas pro & loco expensarū juxta prudentiam Con-  
 fessarij. Et in expensis non sunt numerandæ illæ quas  
 domi faceret si non peregrinaretur; nec iterum expen-  
 sæ quæ fierent redeundo à loco ad quem factum est vo-  
 tum.

Leand. de SS. Sacr. Denique licet regula certa non *p. 7. tra. 1.*  
 possit præscribi in commutationibus votorum, & jura- *de juram.*  
 mentorū quam prudens arbitrium Confessarij qui bene *disp. 18. q.*  
 circumspiciet vt bene commutet; tamen tutius & sanius *23. c. 25.*  
 consilium est commutare juramenta, vel vota in fre-  
 quentiam sacramentorum. Nam Sacramenta ad bo-  
 rum vouentis meliora & utiliora sunt quam cætera  
 opera.

Remig. Irritatio voti, est omnimoda annullatio voti *ibid.*  
 sola voluntate, & imperio irritantis. Competit que po-  
 testas irritandi Prælati respectu Religiosorum sibi sub-  
 eitorum, viro respectu vxoris, & e contra. Patri res-  
 pectu filiorum, imo & Matri manenti in defectu Patris  
 cum cura filiorum. Item tutoribus respectu Pupillorum  
 & Minorū & Dominis respectu seruorum. Nullus enim  
 qui est sub alterius potestate potest emittere votū quod  
 sit absolute validum in eo in quo alteri subijcitur, sine  
 eius consensu.

Maritus vero & vxor adiuicem possunt irritare sola vota sibi præjudicium causantia siue fuerint emissa ante matrimonium siue post. Cæterum adimplere tenetur quilibet eorum votum factum ante matrimonium, cum id dissoluitur. Pariformiter Dominus sola ea vota serui potest irritare quæ sunt in damnum familiæ.

Parentes autem & tutores possunt, omnia vota siue personalia siue non, ante annos pubertatis facta à suis filijs, & pupillis: vota vero post pubertatem facta si sint realia (& de bonis non castrensibus) vsque dum perueniant ad vigesimum quintum annum.

Franc. Tandem cessatio voti contingit vel morte vouentis, vel per alias causas & conditiones quas facile quisque cognoscat.

## QUAESTIO XLVIII.

### *De Blasphemia. Quid sit?*

2. 2. 9. 13.  
4. 2.  
4. 1.  
**D** Thom. Blasphemia prohibetur per id quod dicitur. Non assumes nomen Dei tui in uanum. Magis enim in uanum assumit nomen Dei qui aliquid falsum de Deo asserit quam qui per nomen Dei aliquid falsum confirmat. Est autem blasphemia, derogatio excellentis bonitatis diuinæ. Quicumque ergo vel negat aliquid de Deo quodei conuenit: vel asserit aliquid de eo quod ei non conuenit, derogat diuinæ bonitati. Quod quidem potest contingere dupliciter. 1. sm falsam opinionem intellectus. 2. Conjuncta quadam affectus detestatione. Huiusmodi ergo derogatio sm intellectum tantum vel etiam sm affectum, si consistat tantum in corde est cordis blasphemia: si autem exterius prodeat per locutionem est Oris blasphemia.

**Franc.** Pertinet etiam ad blasphemiam attribvere creaturis id quod est proprium Dei. Item blasphemiam quæ fit in Sanctos in quibus laudatur Deus, ex consequenti redundat in Deum. Item quamvis verba quæ in Deum proferantur non sint falsa, possunt esse blasphemia si proferuntur iniuriosè. Unde Imperator Julianus Apostata blasphemavit appellans Christum per contemptum, Galilæum, licet reuera sic esset.

**D. Thom.** Est autem blasphemia peccatum mortale ut pote derogans divinæ bonitati quæ est obiectum charitatis: quæcunque autem charitati repugnant ex suo genere sunt peccata mortalia. Et aggravatur blasphemia mentalis si superveniat ei detestatio voluntatis, & adhuc magis si prorumpat in verba.

**Franc.** Quando autem quis prorumpit ore in blasphemiam, non tamen tenens mentem sic esse quod dicit. v. g. qui dicit, Deus est iniustus, mente tamen credens Deum justum esse: tunc comittitur simplex blasphemia quæ licet sit grave peccatum, non tamen est hæreticalis blasphemia; hæc namque contingit dum mente pertinaciter creditur aliquid Deo derogans.

**Marti. Nav.** Nullus blasphemus debet absolvi etiam in foro conscientie absque eo quod arbitrio cuiusdam severi Confessarii gravissima ei penitentia imponatur. *In Enchyr. c. 12, n. 83.*

## QVÆSTIO XLIX.

*De Maledictione. Num sit peccatum mortale?*

**Franc.** Maledicere se habet tripliter. 1. Ennuntiati-  
ve, scilicet quando malum dicitur modo indicativo.  
Et sic malum dicere nihil est aliud quam malum alte-  
rius referre quod pertinet ad detractionem. 2. Causative,

siue Imperative per verba modi imperatiui. 3. affective per verba modi optatiui.

2. 2. 1. 76.

4. 1.

D. Thom. Relicto igitur modo indicatiuo dicendi malum. Si quis imperet vel optet malū alterius in quantum est malum quasi ipsum malum intendens : sic maledicere utroque modo erit illicitum. Et hoc est maledicere per se loquendo. Si autem huiusmodi imperatiua, vel optatiua maledictio fiat ratione boni, tunc erit quid licitum per se. Vnde sub ratione boni iusti maledicit ludex præcipiens dari justam pœnam reo. Et sic etiam Ecclesia maledicit anathematizando. Sub ratione etiam boni utilis licet maledice, ut cum optatur egritudo peccatori ad hoc ut melioretur, vel ne alios nocumento afficiat.

4. 2.

Contingit autem maledicere creaturis irrationalibus, quibus si maledicatur in quantum sunt creatura Dei, est peccatum blasphemiae : si vero maledicatur eis sine se consideratis, est otiosum & vanum & per consequens illicitum.

4. 3.

Maledicere igitur proximis est peccatum mortale ex genere suo maledictione imperatiua, vel optatiua Nam est contra charitatem qua diligimus proximum. Potest tamen esse veniale vel propter parvitatem mali quod quis alteri maledicendo imprecatur : vel etiam propter affectum eius qui profert maledictionis verba, dum ex leui motu, vel ex ludo, aut ex surreptione aliqua, talia verba profert, quia præcepta verborum maxime ex affectu pensantur.


Inp. loc. cit.

2. 2.

Calet. Hinc patet quod maledictiones filiorum a parentibus quæ non transeunt guttur non sunt mortalia peccata, quia sunt quamuis ex passione, & ira, non tamen ex consensu rationis. Et ad hæc cognoscenda oportet ad tempus passionis, seu iræ inspicere, an tunc male-



dicens consenserit, hoc est voluisset pro tunc quod sic esset vt dicebat an non? Hoc enim tempus infallibiliter ostendit an mortale, an veniale fuerit.



## DE TERTIO PRÆCEPTO DECALOGI.

### QUÆSTIO L.

*Num bene tradatur hoc præceptum?*

**D.** Thom. Conuenienter traditur hoc præceptum 2.2. q 122.  
 de sanctificatione Sabbati ad vacandum Deo. Nā q. 4.  
 remotis impedimentis veræ Religionis per primum, &  
 secundum præceptum, ponitur tertium per quod ho-  
 mines in vera religione fundarentur: pertinet autem ad  
 Religionem cultum Deo exhibere. Et quidem cultus  
 interior consistens in oratione, & deuotione prouenit  
 homini ex interiori Spiritus Sancti instinctu: & ita hoc  
 præceptum est de exteriori cultu qui præcipitur sub  
 signo communis beneficii quod pertinet ad homines  
 scilicet ad representandum opus creationis mundi à quo  
 reuiesse dicitur Deus septima die in cuius signum  
 dies septima mandatur sanctificanda, id est deputanda  
 ad vacandum Deo. Exod 20. Memento vt diem Sab-  
 bati sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia  
 tua. Septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui est:  
 non facies omne opus in eo.

Franc. In noua autem lege succedit obseruantia Diei  
 Dominicæ obseruantia Sabbati: sicut etiam alijs festis  
 legis veteris correspondent alia festa in noua lege. Vt  
 festa Virginis Mariæ, Apostolorum &c. Et colitur Deus

tunc in festis colendis ut vulgo dicimus per celebrationem Missæ à Sacerdotibus, & per auditionem à non Sacerdotibus, & non celebrantibus Missam. Et sic adimpletur præceptum de sanctificatione festorum. Et iterum cessando ab operibus & laboribus. Puta arare, facere calceamenta, fabricare domos & huiusmodi.

Missæ autem debet audiri integra ab omnibus habentibus usum rationis omoibus diebus dominicis, & reliquis festis colendis. Si vero quis audiat Missam ab Epistola inchoata, satisfacit præcepto de audienda Missa: nam in parua materia fuit defectus. Secus si quis ab Evangelio & ultra audiat Missam: tunc enim est defectus notabilis. Debet etiam audiri attente, & devote, & ex parte sive loco ex quo humano modo possit audiri, videri, vel adverti quid faciat Sacerdos.

*In prompt.  
tra. 27.*

Salazar. Qui de industria locuntur & se diuertunt ab attentione debita audiendi missam per tertiam eius partem peccant mortaliter (in diebus in quibus tenentur audire Missam) cæterum si hæc digressio, seu vagatio non sit nisi per quartam missæ partem, peccant venialiter graviter.

## QUAESTIO LI.

*De causis excusantibus ab auditione Missæ.*

*In in<sup>o</sup> 7<sup>o</sup>.  
l. 6. c. 9.*

**T**Oletus omnes causæ excusantes ab auditione Missæ (quæ est præceptum Ecclesiasticum sine taxationem temporis) possunt reduci ad quinque. 1. ad vitandum damnum spirituale proprium, vel alienum: quo pacto excusantur excommunicati, & interdicti, qui non possunt sine peccato audire Sacrum. Item qui iuravit se non egressurum à domo in qua loco carceris tenetur. Si-

militer mater quæ timet filiabus suis, si domo eggre-  
diatur: ad vitandum damnum spirituale filiarum, potest  
manere Domi licet non audiat sacrum, dum sit pericu-  
lum probabile talis damni. Huiusmodi possunt occurre-  
re alijs multi casus.

2. Ad vitandum damnum corporis notabile. Quo  
pacto excusantur infirmi qui absque detrimento non pos-  
sunt surgere à lecto, & ambulare. Similiter seruitutes  
infirmis, qui non possunt audire, nisi ipsos solos dese-  
rant. Similiter matres quæ non possunt relinquere par-  
vulos sine periculo, probabili damni. ( Idem dicendum  
de nutricibus lactantibus ) Item interficientes cum alijs,  
non potentes audire sacrum, nisi perdant socios vnde  
detrimentum patiuntur, quia vel viam nesciunt, vel ti-  
ment latrones. Item qui habent inimicos, nec securi  
possunt exire domo. Item serui qui timent verbera,  
& rixas à dominis, si deserant domum: quamvis domi-  
ni non excusantur à peccato non concedendo eis  
tempus audiendi sacrum, cum asque damno notabili  
possunt. Similiter vxor qui timet rixas, & percussio-  
nem à marito, vel non potest necessaria domi præpara-  
re ad victum, si domo eggre diatur, etiam ad audiendâ  
Missam.

3. Ad vitandum damnum honoris, aut famæ propriæ,  
vel alienæ. Quam ob causam excusantur qui carent vel  
tribus conuenientibus suæ personæ, vt domi possint exi-  
re. Rursum filix nobiles quæ non possunt ita facile exi-  
re domo, sed timetur infamia aliqua, quamvis non ex-  
cusantur cum eggre diuntur ad choreas, & vana, tunc  
enim non videntur habere causam cur non eggre diantur  
ad audiendam missam, quamvis si non permittantur à  
matribus excusentur licet Matres peccent nisi rationa-  
bili causa faciant. Excusantur etiam viduæ quæ certo

tempore post obitum coniugis solent domi clausæ manere. Et hæc mansio debet esse sine tempus consuetum in loco per mensuram, vel etiam per annum si sit loci consuetudo ut citra infamiam vidua non possit egredi.

4. Ad vitandum damnum rei propriæ, vel alienæ. Vnde custodientes arces, carceres, oves, vineas, excusantur cum non possunt hæc deserere absque detrimento. Excusantur etiam Consiliarij qui seria negotia non possunt abs damno differre. Rursus qui non possunt suas negotiationes perficere sine detrimento nisi interfaciant, vnde sacrum audire non possunt. Rursus qui timeant latrones si domum sine custodia deserant.

Rursus famuli qui non possunt alios inuenire patronos, & ab his quos habent non datur tempus audiendi sacrum, licet peccent patroni quando sine damno possunt concedere licentiam, & negant. Famuli vero tenentur eos deserere si continuo non datur eis tempus tale. Quod si id non sit continuo sed aliquando, non tenentur, nec peccant obediendo. Quod si non possunt facile alios inuenire quibus seruiant, ad hoc non tenentur, licet non audiant sacrum, dummodo patroni non faciant id in fidei contemptum: tunc enim nullo modo eis esset acquiescendum, quia est contra jus diuinum.

5. Et vltima causa est impotentia per quam excusantur incarcerati, & qui iter longum siue per terram siue per mare faciunt vnde non inueniunt loca in quibus celebretur, nec tenentur audire missam siccam in mari. Similiter qui non habent copiam Sacerdotum, & alij huiusmodi excusantur. In omnibus his casibus notandum est quod quamuis aliquando de facto non sit vera causa excusans, tamen aliquis putat bona fide esse veram, & sufficientem causam non peccat mortaliter.

Franc. Circa primam causam sciendum quod tem-

pore interdicti, qui habent privilegium audiendi missam, tenentur eam audire.

Leand. à SS. Sacr. Quia hoc præceptum missæ audiendæ obligat omnes qui missam audire possunt: at qui tempore interdicti habent privilegium audiendi missam, possunt illam audire. Ergo ad id tenentur.

Suar. Propter hoc opinio negativa quam tenent multi, mihi non videtur practice probabilis. Vnde non est dubium quin habens hoc privilegium teneatur missam audire. vt ten. Nav. c. 21. n. 3. Soto dist. 13 q. 2. a. 1. & dist. 22. q. 3. a. 1.

Franc. Circa eandem primam causam, sciendum rursus quod qui non habet de quo audiat missam nisi Sacerdotem, excommunicatum, toleratum tamen, & non denunciatum, vel publicum, ac notorum concubinarium. Tenetur ad audiendam missam. Nam post Conc. Constantiense, & extravag. Martini V. non tenemur vitare excommunicatos toleratos adhuc in Sacramentorum administratione, aut receptione, aut in communicatione in divinis.

Leand. Ergo si licite possunt fideles ab excommunicatis toleratis, & non denunciatis audire missam, ad id tenebuntur. Et pariter dicendum de casu quando non est nisi Sacerdos concubinarius publicus: nam is post præfatum concil. non est vitandus. Secus vero est quando non est alius Sacerdos nisi nominatim excommunicatus, & denunciatus vel etiam publicus percussor Clerici tali notoria percussione, vt nulla possit tergiversatione celari, nullo q. juris remedio excusari.

Franc. Ad 2. causam reducitur excusatio audiendi Missam orta ex longitudine itineris. v. g. Vnius leucæ quando pede iterandum est.

13 tra. 2.  
di. p. 2. q. 72

in 7. p. 10. 3  
2 p. 88.  
1 Et. 6.

Phin. pr.  
q. 8. 12  
9. 10.

to. 2. in 2.  
p. dif. 88.  
sect. 6.

Suar. Idem que est quando non est tanta distantia, tamen est aliqua notabilis, & aliunde tempestates ingruunt & pluvix, ita ut prudenter considerando notabile censeatur detrimentum.

de Sacram.  
tra. 17. c.  
2. n. 62.

Gesualdus. Excusat ( ab auditione missæ ) quodcumque grave incommodum siue spirituale, siue corporale quod probabiliter timetur incurri causa auditionis missæ: ut si quis pedester circa tria miliaria ( seu vnam leucam ) pergere debeat ad audiendum sacrum, siue etiã duo miliaria cum pluvijs & tempestate, siue magno calore Solis tempore æstatis quando aliter ad missam audiendam pergere non posset, tunc in huiusmodi casibus excusarentur tales ab auditione missæ. Non enim Ecclesia præcipit missæ auditionem cum tanto onere, sed pie, & rationabiliter.

Franc. Est tamen dubium. Num æqualiter excusentur omnes, tam fæminæ quam viri; tam senes, quam juvenes in præfata distantia. Videtur enim longinquitatem itineris non excusare robustos, nec alios ut senes in festis maioribus, puta Paschate, Pentecoste &c.

vbi nup in  
hac q. 22.

Lean. à SS. Sac. Probabilissime absolute respondeo: sufficere vnius leucæ, seu trium miliarium distantiam ad excusandum quenquam etiam robustum virum aut operarium valentem ab auditione missæ. Quia cum hæc distantia duplicari debeat eundo scilicet ad Ecclesiam, & redeundo, vere non brevis sed longa satis existimanda est, & consequenter sufficiens ad excusandum quencunque à missa.

q. 23.

Cæterum si distantia non sit nisi dimidiæ leucæ plus minusve est distinguendum. Nam cum hoc Ecclesiæ præceptum obliget omnes fideles vtriusque sexus statim ac ad annos discretionis aduenerint: & istorum alij sint teneræ ætatis, alij maturæ, alij robustiores, ut sunt operarij

rarij valentes; alij debiliores vt senes & fæmiræ: hinc est vt cogamur necessario dicere, quod illa distantia quæ respectu vnus censetur breuis & facilis: respectu alterius censetur longa, & difficilis & consequenter quod loquendo de pueris vel puellis ætatis teneræ ac de senibus, aut alijs viris habentibus vires debiles sufficiens est distantia assignata, nempe dimidium leucæ ad excusandos illos à præcepto audiendi missam: loquendo vero de juvenibus aut viris robustis operarijs valentibus, fæmiis que fortioribus non sit sufficiens dicta dimidiæ leucæ distantia ad eos à Missa excusandos.

Dicastillo. Fæminæ quoque delicatæ, & alicuius *tra. 5. de*  
 authoritatis non tenentur pedestres ire ultra vnum mil- *sacra. disp.*  
 liare ad audiendam missam: secus vero fæminæ mediæ, *5. n. 184.*  
 aut infimæ plebis.

Franc. Tempore autem nivis aut magnæ pluriæ excusantur ab audienda missa, qui per vnum milliare ab Ecclesia distant si sine gravi incommodo, aut detrimento nequeant adire. In omnibus tamen his pensandæ sunt circumstantiæ personarum, vires, ætas valetudo &c. Vt sciatur qui possint excusari, & qui non.

Restat nunc de iteragentibus equitando, quæ distantia sit sufficiens ad eos excusandos ab auditione missæ.

Diana. Non videtur concedendum quod eadem distantia sufficiat pro itinere pedestri ac equestri: nam itinere equestri minus laboratur: ergo maiorem distantiam requirit. Vnde puto quod saltem distantia vnus leucæ & mediæ sit necessaria ad excusandum ab auditione missæ. *part. 10.*  
*tra. 15.*  
*Resolu. 35.*

Franc. Ad 3. causam attinet qui gravem timer infamiam si domo exeat, & coram alijs appareat. v. g. si fæmina quæ honesta existimatur, gravida sit nec possit lapsum suum occultare nisi domo contineat.

l. m. 3 in 3.  
p. disp. 88.  
sect. 6.

**Suar.** Tunc excusari enim potest ab audienda missa ne se prodat & idem est in quocunque casu simili addita tamen limitatione, scilicet si alias occulte non potest missam audire v. g. inimo mane, vel in Ecclesia à concursu populi remota: tunc enim non est cur præcedente occasione excusetur, cum non sit difficile, & vitare tale incommodum, & præceptum implere.

**Franc.** Ob eandem causam puto etiam excusari ab audienda missa qui in obitu filiorum sibi consuetudinem patriæ, solent adire Ecclesiam processionaliter ferentes mortuum & audientes missam quæ pro defuncto dicitur ut post missam sepeliatur. Si enim filius moritur tempore matutino in die festo colendo & non sit missa vel Sacerdos qui possit celebrare missam ad sepeliendum mortuum propter quod funus sepulturæ differatur vel ad vespeream vel ad sequentem diem: tunc poterunt dormi manere parentes sibi consuetudinem Patriæ quin audiant missam: & præcipue quando huiusmodi consuetudo est tolerata à Prælatiis.

Ad 4. causam reducuntur plures casus. Nã cursores v. g. qui iter agunt quindecim, vel viginti leucas in singulo quoque die excusantur à Missa quando ex eorum mora imminet aliquod damnum personis à quibus ad negotia mittuntur. Pariter excusantur Agalones, & vectores equorum, & Armentorum in casu quo si morarentur in audienda missa, aut magnas expensas facerent, aut alicuius negotij magnam jacturam subirent.

l. 9. c. 25.  
§. 10.

**Henriquez.** Excusatur à missæ auditione, si auditio missæ obesset graui negotio, ut Mercator, vel Agas cum iumentis onustis aut vector equorum seu armentorum qui faceret magnam jacturam in negotijs vel magnas expensas si in hospicio prope Ecclesiam maneret vbi



mane infesto missam audiat, ideoque pernoctat in agro, aut parvo hospicio ubi minores expensas faciat, aut mag- nas esset facturus si missam quæ dicitur prope meridiem expectaret.

Leon. à SS. Sacr. Excusantur etiam iter agentes quando bona fide, & probabili spe putant se reperire posse sacrû in aliqua Ecclesia, si illud postea non reperiât.

p. 3. tra. 2.  
disp. 2. q.  
67.

## QUAESTIO LII.

*De operibus prohibitis in diebus festis.*

**D.** Thom. In obseruantia sabbati duo sunt confide- randa, quorum vnum est sicut finis, & hoc est vt homo vacet rebus diuinis quod significatur in hoc quod dicitur. Memento vt diem sabbati sanctifices. Illa enim dicuntur sanctificari in lege quæ diuino cultui ap- plicantur. Aliud autem est cessatio operum quæ signi- ficatur cum subditur. Septima die Domini Dei tui non facies omne opus. Sed de quo opere intelligatur appa- ret per id quod exponitur leuit. 23. Omne opus serui- le non facietis in eo. Opus autem seruale dicitur à ser- vitute.

2. 2. q. 122  
a. 4. ad 3.

Est autem triplex seruitus. 1. Qua homo seruit pec- cato sicut illud: qui facit peccatum seruus est peccati. Et sicut hoc, omne opus peccati dicitur seruale. 2. qua homo seruit homini. Est autem homo alterius seruus non sicut mentem, sed sicut corpus. Et ideo opera serualia sicut hoc dicuntur opera corporalia in quibus vnus homo alteri seruit, 3. Est seruitus Dei. Et sicut hoc, opus seruale posset dici opus patriæ quod pertinet ad Dei serui- tium.

Si autem sic intelligatur opus seruale non prohibetur

in die sabbati quia hoc esset contrarium fini observatio-  
nis sabbati: homo enim ad hoc ab alijs operibus absti-  
net in sabbato ut vacet operibus ad Dei servitium per-  
tinentibus. Et inde est quod sicut dicitur Joan. 7. Cir-  
cuncissionem homo accipit in sabbato ut non solvatur  
lex Moyfi. Inde etiam est quod sicut dicitur Math. 12.  
Sabbato Sacerdotes in templo sabbatum violant (idest  
corporaliter in sabbato operantur) & sine crimine  
sunt.

Similiter etiam nullius spiritualis actus exercitium est  
contra observantiam sabbati, puta si quis doceat verbo,  
vel scripto. Unde Num. 28. dicit glossa. Quod fabri, &  
huiusmodi artifices otiantur in die sabbati. Lector au-  
tē divinæ legis, vel Doctor ab opere suo non desinit: nec  
tamen contaminatur sabbatum: sicut Sacerdotes in  
templo sabbatum violant, & sine crimine sunt.

Sed alia opera servilia primo vel secundo modo contra-  
riantur observantiæ sabbati in quantum impediunt ap-  
plicationem hominis ad divina. Et quia magis homo im-  
peditur à rebus diuinis per peccatum, vel per opus pec-  
cati quam per opus licitum quamvis sit corporale: ideo  
magis contra hoc præceptum agit, qui peccat in die festo  
quam qui aliud corporale opus licitum facit. Non au-  
tem qui peccat venialiter in sabbato, contra hoc præcep-  
tum facit, quia peccatum veniale non excludit sancti-  
tatem.

Opera autem corporalia ad spiritualem cultum non  
pertinentia in tantum servilia dicuntur in quantum pro-  
prie pertinent ad servientes. In quantum vero sunt com-  
munia servis, & liberis, servilia non dicuntur. Quilibet  
autem tam servus quam liber tenetur in necessarijs pro-  
videre non tantum sibi sed etiam proximo, præcipue  
quidē in his quæ ad salutem corporis pertinent *Im Prov.*

24. Erue eos qui ducuntur ad mortem. Secundario autem etiam in damno rerum vitando *Im Deuter. 22.* Non videbis bouem fratris tui aut ouem errantem, & præteribis, sed reduces fratri tuo. Et ideo opus corporale pertinens ad conseruandam salutem proprii corporis non violat sabbatum.

Non enim est contra obseruantiam sabbati quod aliquis comedat, & alia huiusmodi faciat quibus salus corporis conseruatur. Et propter hoc Machabæi non poluerunt sabbatum pugnantes ad sui defensionem die sabbati 1. *Machab. 1.* Nec Elias fugiens à facie Jezabel in die sabbati iterfaciens. Et propter hoc etiam Dominus *Math. 12.* Excusat discipulos suos qui colligebant spicas in die sabbati propter necessitatem quam patiebantur.

Similiter opus corporale quod ordinatur ad salutem corporalem alterius non est contra obseruantiam sabbati. Vnde dicitur *Joan. 7.* Mihi indignamini quia totum hominem saluum feci in sabbato. Similiter etiam opus corporale quod ordinatur ad imminens damnum rei exterioris vitandum non violat sabbatum. Vnde dicit Dominus *Math. 12.* Quis erit ex vobis homo qui habet vnã ouem, & si ceciderit sabbato in foveam, nonne tenebit, & levabit eam?

In nova autem lege in qua obseruantia sabbati correspondet obseruantia diei Dominicæ non est tan arcta prohibitio operandi. Sed quædam opera conceduntur in die Dominica quæ in sabbato prohibebantur, sicut decoctio ciborum, & alia huiusmodi. Et etiam in quibusdam operibus prohibitis facilius propter necessitatem dispensatur in noua quam in veteri lege.

Franc. Hinc apparet opera plurima esse licita in diebus festis veluti docere alios & scribere etiam si hæc fiant lucri gratia.

*p. 2. tra. 1.* *di p. 4. q.* *et ultra* Leand. à SS. Sacr. Quia totum hoc est exercere actus liberales qui nequaquam sunt in festis prohibiti, neque quod fiat ob lucrum, extrahit illos à sua conditione. Pariter cantare, & pulsare musica instrumenta in festis non solum ob pietatem, vel honestam animi recreationem, sed etiam si fiat ob lucrum & pecunias, licitum est. Etiam est licitum transcribere quamvis sit ob lucrum. Nam transcribere essentialiter nihil est aliud quam scribere. Hoc autem quod fiat propter lucrum non tollit rem à statu operis liberalis: unde licitum est transcribere in festis quamvis sit propter lucrum, quod accidentale est transcriptioni.

*pra. 2. d. 4.* *n. 5.* Rocafull Typographici quoque Compositores audita missa diebus festis possunt characteres ordinare. Ratio est quia est quoddam scripturæ genus characterum ordinatio, neque minus spirituali ac mentali actione exercetur quam scriptio & ordinatur ad instructionem mentis: nihilominus si consuetudine id introductum non sit, abstinendum à compositione typographica diebus festivis iudico.

Franc. Plura autem sunt ultra prædicta quæ videntur ex vna parte, esse licita opera in diebus festis, & ex alia parte illicita. V. g. Consulere in die festo propter quæstum. Facere Notarios scripturas. Facere computus arithmeticos in negotijs. Pingere. Transumere picturas ex aliorum exemplaribus. Facere Architectos lineas, & exemplaria ad fabricandum, venari, piscari, ludere. Torneamenta, & Choræas exercere iterfacere. Molare triticum, vel alia grana. Portare que ad molendinū. Ligna è monte ad domum adducere. Et alia huiusmodi in quibus & consuetudo Patriæ notanda est, & prudentis viri iudicio standum. Circa hæc tamen quod verius & probabilius nobis videtur ponemus hic. & in primis

Consulere in die festo, seu virum doctum dare consilium ob lucrum seu quæstum, non est peccatum.

Martin. Navar. Tum quia consilium non est opus servile, neque aliquod ex alijs quinque prohibitis, tum quia quod licitum est facere in diebus festis, perinde fieri potest ob lucrum. Quare non est peccatum instruere siue informare judicem, etiam cum Procuratore, & Advocato, verbo, aut scripto, etiam ob pecuniam.

*In Enchyri-  
c. 13. n. 12.*

Franc. Circa scripturas autem quas facere possunt Notarij in diebus festis, sciendum alias esse prohibitas, contentas in quinque prohibitis (de quibus infra erit sermo) alias vero esse non prohibitas.

Leard. à SS Sacr. Unde licitum est in festis facere instrumenta publica, & scripturas quæ continent illos actus qui non sunt prohibiti in die festo v. g. testamenta, scripturas donationis & renuntiationis, debiti, soluti &c. Secus vero scripturas quæ continent actus prohibitos fieri in diebus festis: ut scripturam quæ continet examinationem testium &c.

*p. 3 tra. 1.  
disp. 4 q. 35*

Franc. Circa computus, & rationes idem est dicendum. Nam descriptio dati, & accepti, & transcriptio de vno in alium librum, in quo, actio reddendi rationem rei datæ, & acceptæ, aut reddituum consistit, non est opus servile, sed omnino liberale. Ergo & licitum in festo. Unde Sanchez, ita sentire, asserit, doctos recentiores, addentes id praticari sine scrupulo inter Religiosos timoratos. Licet neget esse licitum rationem facere in festis, illis qui pro mercede aut ex officio, id faciunt. Quia sic, id opus redditur servile. Cæterum oppositum videtur valde probabile. Nam opus im se liberum non fit servile quamvis ex officio aut mercede fiat, ut sæpius dictum est; quia hæc nullo modo variant naturam actus: unde videtur posse ista licite in festis fieri.

*to. 2. opusc.  
l. 5. c. 2.  
dub. 11. n. 2*

Circa vero picturam esto jucundum sit exercitium, afferendum est nec recreationis nec lucri gratia esse licitum pingere in diebus festis: nam est opus corporale & laboriosum, atque seruire. Quamvis ubi viget consuetudo brevi in tabella transumere picturam ex exemplari per parvum tempus licere videatur in festo. Nam id non est pingere, sed solum delineare artificiose, quod accedit ad liberale opus: & præterea parvitas temporis in id insumpti facit opus non esse illicitum saltem graviter.

Ob quam rationem etiam est afferendum licere in festis Architectorum idæas, & delineamenta ad fabricas postea construendas: id enim videtur esse veluti scripturam saltem virtualementem, & quid liberale.

Circa Venationem, & aucupium est maior difficultas. Est enim communiter probabilissimum ea licere si fiant recreationis gratia. Est autem dubium si fiant lucri gratia, num liceant, an non?

*sum. silv.*  
*v. Domi*  
*q. 5.* Silvest. Ego dico quod licita est venatio de se diebus festis si fiat ad honestam recreationem, quia non est opus seruire formaliter: si autem sit ob lucrum, vel omissis divinis est peccatum mortale.

*p. 2. tra. 1.*  
*dis. 4. q.*  
*29.* Leon. Etiam licet venari, & aucupari in festis quamvis fiant ex lucri gratia. Quia actio venandi, & aucupandi aut non est seruire opus, aut si seruire opus sit, & ex capite hoc non sit per se licitum, est tamen iam, ratione consuetudinis receptæ, & toleratæ à Pastoribus Ecclesiæ.

Franc. Circa piscationem autem communiter tenent Doctores eam esse licitam in fluminibus saltem ex consuetudine si fiat arundine recreationis gratia. Ceterum quoad piscationem in mari cum retibus & navigijs cum magno labore, quamvis sit tam recreationis causa, quã  
lucii

lucris gratia, probabilius est eam non licere, ut pote quid servile, & consequenter prohibitum in festis.

Est autem non modicum dubium circa piscationem nonnullarum piscium qui certis tantum temporibus apparere solent puta Ballenarum quæ in Oceano Cantabrico tempore hiemis advenire solent ad oras Guipuzcoæ, & Vizcayæ?

Caietan. In jure unum indulgum invenio scilicet piscationem Haleccum ut pat. in cap. licet extra de feriis. Quod ideo in juris corpore positum puto, ut ex eo similes casus dispensati intelligantur, puta piscationem Tynnorum, & similia. Quoniam eadem est ratio, quia scilicet non omni tempore capiuntur Verum si beneficio huius indulgentiæ utuntur aliqui in simili casu memores sint sufferre adjunctum onus, ut scilicet Ecclesijs circum positus, & Christi pauperibus honestam de lucro portionem faciant.

22. q. 122.

a 4. §. In

septi. casu.

Leand. In festiuitatibus autem maioribus non est licita ex se, & absolute hæc piscatio; bene tamen ubi introducta fuerit consuetudo piscandi, etiam in dictis festiuitatibus. Prima pars responsionis ( seu huius assertio nis ) constat. Quia Pontifex dispensavit cum Piscatoribus ad hoc ut possint diebus festis piscari Haleccias, excludens dies maioris solemnitatis quales sunt ( ut ibi explic. gloss. verb. Maioribus ) Natiuitatis Domini, dies Epiphaniæ, Paschatis, Ascensionis Domini, & Pentecostes. Ergo in his diebus non erit licita absolute talis piscatio. Secunda pars etiam patet, quia consuetudo legi derogat.

In hac. q.

cit. q. 33.

Franc. Est autem adhuc dubium. Num huiusmodi Piscatores teneantur ad audiendam missam? V. g. Num cum sit signum, apparere Ballenam, possint Piscatores qui non audierunt factum pergere ad eam capiendam in

die festo exponentes se periculo probabili non audiendi missam. Est dubium singulare à nullo quem viderim motum. Cuius resolutio pendet ex generalibus principijs lucri cessantis. Unde dicendum quod Piscatores ex officio qui bona temporalia ad victum necessaria habent mediocriter & officium piscandi, per quod etiam vitæ necessaria acquirunt ut in suum statum se & familiam alant: & ulterius, si probabile sit eos non lubituros damnum graue quamvis non concurrant ad piscationem prædictæ Ballenæ, & consequenter lucrum etiam fore paruum, vel esto sit magnum, teneri ad audiendam missam: secus Piscatores valde pauperes quibus cessatio huiusmodi lucri causat indigentiam gravem, & lucrum ipsum esto non magnum, erit tamen remedium aliquale quotidianarum ferem necessitatem.

Si autem in aliquibus locis consuetudo sit pergendi ad Ballenarum piscationem etiam in diebus festis absque missa audita, & cum periculo non audiendi eam, puto bonam fidem excusare eos: oportet tamen quod à Parochis advertantur, & instruantur circa hoc, Piscatores, ut non patiantur detrimentum animarum propter temporale lucrum.

Circa torneamenta dicendum licita esse ea in diebus festis cum sint quid liberale, & immediate ordinentur ad animi recreationem, & ad vires exercendas. Debent autem fieri sine periculo mortis, vel gravis percussio- nis. In quadragesima vero non licent, & esset peccatum veniale ea exercere.

*In hac q. 3.*  
*36.* Lean. Esset vero mortale peccatum ea exercere post Dominicam passionis ratione scandali, & irreverentia.

Franc. Circa Choræas autem oportet clare procedere ad multorum scrupulosorum quietem. Est autem



Choræa ludus hilaris saltandi artificiose sine sonum, vel cantum, in quo ludo plures saltant & circumferuntur sequentes ductum unius qui eos regit.

Armilla. Choræas ducere ex suo genere peccatum non est aliter nunquam liceret, & tamen aliquando licet ut in nuptijs, & publicis lætitijs.

*Verb. Choræa.*

Caier. Propter instructionem pusillorum scito, quod ex tempore puta die festo Choræa non sit peccatum mortale: qui non est opus servile. Imo imprudenter arcentur à choreis rustici festis diebus chorizare assueti, qui nisi occupentur choreis, vacarent otio, & malis machinationibus perturbatiuis rei publicæ.

*In sum. v. Choræa.*

Armilla. Nec ex genere actus, chorea, periculum est, quia hic non est actus libidinis sed lætitiæ: ideo si ex qualitate personæ imminet periculum libidinis unusquisque sibi provideat, & caveat periculum, sicut caveret quando immineret periculum ex aspectu mulieris, licet hoc ex se peccatum non sit.

*Vbi nup.*

Actus qui ibi ex levitate fiunt ut stringere manu, & huiusmodi sunt venialia peccata nisi fiant intentione mala ut provocandi se vel alios ad libidinem extra matrimonium. Vel si fiant contra prohibitionem, vel in Ecclesia, seu loco sacro magis videtur mortale quam veniale propter contemptum præcepti vel irreverentiam Dei. Similiter si fuerint à Clericis, vel religiosis cum monialibus propter scandalum: secus si fiant ab huiusmodi inter se sine scandalo, & secrete. Quinque igitur requiruntur ut chorææ sint licitæ. 1. Quod fiant tempore debito. 2. Cum honestis personis. 3. Honesto modo. 4. Non simul Clerici vel Religiosi cum Sæcularibus. 5. Quod sonus & cantus sint de honestis.

Qui se vel alios exponunt probabiliter peccato mortali in choreis, non excusantur à mortali quia videntur

magis de huiusmodi delectatione curare quam de animæ suæ salute quam pro huiusmodi delectatione periculo damnationis exponunt. Et quoniam ut plurimum in his choreis accidunt peccata multa, ideo & si choreæ non sunt penitus damnandæ, sunt tamen homines bonis persuasionibus ab huiusmodi retrahendi, tanquam à re periculosa, nec id erit imprudens: imo bonum esset si hæ choreæ modernorum temporum possent annihilari.

Franc. Licere ludum in diebus festis per se patet puta ludus pilæ, & alij honesti ludi qui sunt quid liberale, & consuetudine & praxi recepti. Communitè tamen asseritur à Doctoribus esse illicitum ludere publice fer. 5. in Cœna Domini, & in Parasceve propter irreverentiam, & scandalum.

Lubious. Ludere pila, & alios ludos exercere publice fer. 5. in Cœna Domini, & fer. 6. in Parasceve, omnes dicunt esse mortale propter sanctitatem temporis.

Circa itinerationem dicendum eam licere in diebus festis est enim quid commune liberis, & servis itinerare.

Leand. à SS. Sacr. Dico tanquam certum quod non solum ex consuetudine, sed etiam de se, licitum est itinerari sive id pedibus sive equo fiat. Quia certum est quod iterfacere etiam pedibus non sit opus servile sed mere naturalis motus tan servis quam ingenuis communis. Rursus etiam est certum id etiam ex consuetudine licere. Unde itineratio vel modica, vel longa ut per totum diem licita est quia adhuc per longitudinem viæ non fit opus servile cum ex natura sua servilis non sit.

Franc. Circa Molendina opera dicendum est: quod cum necessitas urget, v. g. quia aqua molendinorum

to. 7. sum.  
v. festum  
n. 4.

Hic q. 46.  
& 47.

non est continua, sed certis temporibus adveniens: vel quia plures dies festi continuantur in quibus si non moleretur triticum, sequeretur vrgens necessitas. Vel tandem ubi consuetudo viget introducta, & tolerata à Prælati publicæ utilitatis causa: tunc licitum esse molere diebus festis. Nam necessitas, & consuetudo faciunt licere quod alias non esset licitum.

Qua propter ratione consuetudinis audita missa, etiã licet in festis portare grana ad molendinum, vel ligna jam cæssa adducere domum: quamvis hæc consuetudo semper associatur cum parvitate operis, nimirum cum itinere modico ad propinquum molendinum, & montem lignorum.

Remig. Hoc pacto etiam Agricones, audita missa, possunt in festis incipere iter cum bestiis onustis, in terris vbi viget hæc consuetudo; secus vbi non viget: quamquam iter inceptum ante festum, possint continuare in festo eis in itinere occurrente ratione damni quod vergeret eis si interrumpere inchoatum iter. Imo excusantur ab audienda missa quando tenentur sistere ad eam audiendam, & ex hoc sequuntur eis gravia incommoda ad suum iter, vt si desistere deberent vt quærant missam quando instat eos cura, & dispositio ad iter agendum.

Franc: Tandem sunt novem generales causæ ob quas licet in Dominicis, & festis efficere opera servilia citra peccatum mortale. 1. Parvitas materiæ, seu operis. Vnde secluso contemptu erit materia parva labor vnius horæ. Quamvis Filliucius, Granados, atque Diana citati à Rocafull. asserant laborem per spatium duarum horarum in festis non esse pecc. mortale. Quibus favet Remigius vbi super n. 3. Asserens id solum fore veniale, Imo addit numero sequenti ex Pasqualigo non

In prim.  
c. 4. n. 6.

tra. 2. l. 4.  
de 3. prac.  
deca. n. 33.

peccaturum mortaliter qui in die festo faceret plures homines Officiarios laborare singulos per spatium duarum horarum. Cæterum licet laborare vnum vel plures per duas horas in festis, possit non esse mortale in festis minoribus: non tamen audeo excusare à peccato mortali laborantes per spatium præfatum in diebus maioribus vt Paschate, Pentecoste &c. Nam hi dies maiorem exigunt reverentiam, & solemnitatem.

Secunda causa est cultus Dei: vnde ea opera quæ sunt per se coniuncta cum diuino cultu possunt in festis effici, vt portare Crucem in processione, Sanctorum imagines pullare campanas.

Rocaff. Nota vero quod opera ea quæ non per se cultui diuino coniuncta sunt, sed ipsum antecedunt, debent fieri ante diem festum si autem ob continuum dierum festorum concursum fieri commode non potuerunt pridie diei festi, aut per socordiam, & negligentiam prætermissa fuerunt, possunt die festo fieri, & ita potest templum scopis mundare, altare ornari, parietes tapetibus sericis decorari.

Caiet. Nam hæc opera, ex rationabili causa licita sunt in festo. Esset autem rationabilis causa faciendi in festo si festum aliquod eveniret v.g. in Sabbato Sancto. Tunc enim cum non decuerit prius ornare templum propter luctum passionis Domini, rationi consonat vt sine crimine parent pro Paschali solemnitate. Similiter si continuatis festis templa ad concursum immunda reddita sunt, mundanda sunt ne immunditia inter solemnitates duret, & sic de similibus. Si tamen hæc præparatoria opera fiat sine causa rationabili, simplici tamen corde in festo: veniale tantum peccatum est.

Franc. Tertia causa est pietas, per quam licitum est pietatis officia licet alias servilia exhibere locis pijs &

vbi nup.  
n. 34.

2.2.9. 122.  
sup. 4. 4.

sacris, puta deferre lapides arenam, ligna ad edificium Ecclesiæ, colere agros Ecclesiæ vel alterius loci pij. Id tamen intelligendum est quando loca sacra, & pia, paupercula sunt, & indigentia, & prius audita missa.

Quarta causa est charitas per quam licent opera misericordiæ vt vestire nudum, sepelire mortuum. Curare ægrotos, & similia.

Quinta causa est publica utilitas. Per quam imminente bello v. g. licite laboratur in festis, faciendo fossas, aggeres, propugnacula. Hinc imminente pluvia vitatur licite dampnum rerum sub dio damnificandarum, auferendo inde eas quæcunque res sint. Vnde qui segetes habent in agro, ne lædantur tuta conscientia parant, colligunt, & in horrea congregant, purgant triticum ob venti commoditatem, ne ab eo destituti postea patiantur documentum, tam ipsi quam Republica, cum panis sit cibus publicus, & communis.

Rocaff. Causa etiam publicæ utilitatis, cum ludi publici aut spectacula in Republica fiunt, possunt facti facere in festis tabulationes, & huiusmodi, si commode in præcedenti die non potuerunt fieri: id enim publica utilitas tuadet si quidem spectacula publica dantur, & ludi publici fiunt vt populus recreetur.

*vbi sup.*

n. 37.

Franc. Sexta causa est necessitas. Nam lex non obligat necessitate urgente. Non enim vult Ecclesia suis legibus obligare filios suos cum gravi incon modo, aut damno Vnde Artifices, & operarij pauperes poterunt in festis audita missa laborare secreto ad vitandum scandalum si non possunt sufficienter aliter se, & familiam sustentare dummodo tamen labor non protrahatur nisi quoad vsque sufficiat ad sub levandam necessitatem.

Pasqualig. Et quia status eorum qui sibi victum acquirunt per exercitium operis servilis consistit in victu, &

*decis. 296.**num. 4.*

vestitu, & congruenti suppellectili domus: ideo quotiescumque in his notabile detrimentum paterentur, siue quoad se siue quoad familiam, non tenentur cessare ab opere seruili. Tunc autem censetur pati notabile detrimentum, quando non habent ea quæ congrunt illi statui; vnde si ipsis deesset moderatum obsonium, aut vestitus, aut decens, & necessaria suppellex, censerentur pati notabile detrimentum.

p. 3. tra. 1.  
disp. 6. q.  
14. & ult.

Leand. à SS. Sacr. Ratione quoque necessitatis excusatur à peccato Pater laborans infesto vt seponat dotem filia, quia aliter seponere non potest nisi subtrahendo familiae necessaria. Nam ex vna parte non tenetur subtrahere Pater necessaria familiae: nam subtrahendo illa, pateretur notabile damnum, & ex alia parte dos pro filia est necessaria omnino ne decidat à suo statu. Eademque ratione filia familias excusatur à peccato quæ pro acquirenda suppellectile quæ solet pro dote dari, infesto laborat: nam hæc suppellex est necessaria: Ergo si aliunde acquiri non potest, eo quod diebus non festis laborare tenetur pro victu quærendo, optime poterit laborare in diebus festis ad acquirendam hanc suppellectilem.

Franc. Ratione quoque necessitatis possunt seruæ infestis refarcire proprias vestes, quando alias tempus non habent.

ubi sup.  
n. 38.

Rocas. Causa etiam necessitatis laborant, & non damnantur Macellarij, Caupones, Stabularij qui panem, vinum, olera, sal fructus que arborum vendunt, & qui coquunt pastellos, & alios huius generis cibos, vel eos præparant. Similiter non damnantur tuendæ, & conservandæ valetudinis causa medici Chirurghi, pharmacopola, aromatarij necessarij. Similiter juxta Layman excusantur Sutores qui suunt diebus festis vel pro aliquo

l. 4. tra. 7.  
c. 2. n. 3.

quo funere, vel pro toga v. g. juratorum, vel quia aliquantulum deest ad vestes deferendas Domino.

Bonaci. Ratione etiã necessitatis excusantur Pistores, qui panem pridie conficere non potuerunt ad totã multitudinem pane egentem, vel etiam quando panis deterior redderetur ob concursum festorum.

*cir 3 præc.  
dec. 9 vnic  
diss. 5. p. 3.  
n. 9. &  
ultra.*

Ratione quoque necessitatis excusantur bello decertantes aggeres, vel foueas struentes, tormenta bellica parantes urgente necessitate muros edificantes causa belli.

*ibid. n. II.*

Excusantur etiam ratione propriæ necessitatis, vel alienæ qui segetes metunt, ne imminente tempestate pereant. Et etiam qui in autumno ferunt in festo timentes periculum futuri temporis non opportuni, præcisio tamen scandalo ad quod vitandum tenentur.

*n. 13.*

Franc. Idem est dicendum de Agriculis vniuersimodis in festis, metuentibus ne postea temporis inclementia impediatur. Et etiam ratione parvi laboris posunt hortulani, & agricolæ licite in festo, vel saltim absque mortali peccato rigare segetes, vineas, olera &c.

Excusantur etiam à peccato qui in festis laborant continuantes opus inceptum, quod si interrumpere in festo. Vt decoctio vitri, decolatio ferri, coctio saponis laterum, tegularum, ollarum, calcis, & huiusmodi. Nam talis decoctio absque gravi damno interrumpi non potest.

Excusantur etiam qui in festis qui ferrant equos iter agentium. Et etiam qui ferrant bestias eorum qui sequenti die valde mane profecturi sunt ad iter, vel ad laborandum in agro. Et etiam qui reficiunt diebus festis post vespertas dictas, fractos vomeres agricolarum, ut die sequenti summo mane ad laborandum exire possint: hoc tamen est intelligendũ ubi viget consuetudo scita, & tolerata à Prælati.

Vrgente etiam necessitate excusantur à peccato qui in festis reficiunt pontes, & vias publicas, & huiusmodi, eo quod sine magno incommodo, hæc in alios dies differri non possunt. Nam hic reperitur necessitas communis.

*ubi sup. n. 8*

Bonaci. Nam est causa excusans, necessitas, non enim Ecclesia obligat cum gravi incommodo, & in legibus humanis datur Epiqueia.

Franc. Septima causa est consuetudo: ratione cuius ubi ea viget Barbitonfores tondent diebus festis plurimas barbas, & capillos. Vbi tamen ea consuetudo non viget non licet eos tondere in festis; nisi forte ratione utilitatis publicæ, vel necessitatis. Ut cum barbitonsor pergat in festis ad tondendum in parvis oppidis eo quod Agricola in non festis non possunt habere tempus sufficiens ad se tondendos. Vel etiam quando ipsi Agricole, vel alij accedunt ad barbitonfores in festis, eo quod in alijs diebus sunt occupati.

Octava causa est, vis, & metus gravis extrinsecus incussus.

*ubi sup.  
n. 39.*

Rocaf. Ut si quis vi aut metu mortis in die festo compellatur opus servile efficere potest illud præstare nisi in contemptum fidei ad hoc compelletur: tunc enim nullo modo id præstare potest. Propter hanc causam famuli, & servi qui iussu heri, aut Domini faciunt opera servilia ob metum gravem, vel vim illatum non peccant.

*In Enchyv.  
c. 13. n. 7.*

Nota famulos conductos ad certum tempus non teneri ex hoc quod Dominus eos laborare facit diebus festis dominos deserere, sed finito tempore ab his discedere ut doc. Navarr. At famuli liberi qui officiales dicuntur tenentur desere Dominos talia præcipientes. Vtrumque tamen hoc dictum intelligendum est modo grave damnum non incurrant, quia scilicet illum Do-



minum relinquentes facile alium Dominum non reperirent.

Franc. Idem dicendum est de filiis, vxore, alijs que subditis personis: imo etiam ob vitandum gravem indignationem Parentum, aut virorum, & Dominorum possunt subditi exercere sine peccato opera servilia in festis, secus ob vitandum levem indignationem.

Leand. Quando autem indignatio debet censeri gravis, vel levis, principaliter colligenda est si causet in subditis gravem, notabilem tristitiam, & inquietudinē, quam esse talem ipsi subditi judicare possunt ex dolore, & mæstitia quam patiuntur.

Franc. Tandem nona & vltima causa est, dispensatio Ecclesiæ unde Summus Pontifex, Episcopi, Parrochi, & Prælati regulares possunt dispensare.

Leand. à SS. Sac. Summus Pontifex potest in omnibus dispensare: Episcopus etiam vt non solum particulares personæ, sed etiam populus laboret in festis: hanc enim potestatem revera habent Episcopi quia est moraliter necessaria ad regimen animarum pro casibus repentinis, & extraordinarie occurrentibus. Imo etiam potest Episcopus concedere alicui facultatem laborandi in festo imponens ei onus vt eroget aliquam eleemosynam in pios vsus: hoc enim est commutare honorem cessationis ab opere servili in opus pium erogandi eleemosynam vel luci ad Eucharistiam, vel ad fabricam templi, vel &c. Parrochus etiam ad tempus quando facile non potest recurri ad Episcopum potest licentiam dare pro ratione occasionis actualis occurrentis; vel loco Parrochi is qui in absentia Episcopi maiorem in populo habet authoritatem.

¶ Pariter Prælati Regulares vt Generales Provinciales, Priores Commendatores Guardiani possunt dispensare

vbi sup.

q. 31.

vbi sup. q.

68. &amp; ult.

ex causa cum suis tantum domesticis intra claustra de-  
gentibus vt in diebus festis laborent.

## QUAESTIO LIII.

*De operibus non seruilibus in festis prohibitis.*

*1<sup>o</sup> Enchyr.  
c. 13 n. 3.*

**M** Art. Nav. Quinque sunt opera non seruilia quae prohibentur in festis iure Canonico. Nam in cap. 1. de Ferijs prohibentur Mercatus Placitum, Iudicium Civile, vel Criminale, iuramentum nisi pace vel alia necessitate praestetur. Et in cap. fin de Ferijs, omnis strepitus & processus iudicialis nisi pietas suadeat, & necessitas urgeat.

*2. fest. n. 15*

**Armilla.** Nomine Mercatus duo possunt intelligi. 1. Nundinae quae bis vel semel in anno fiunt: vel mercatus qui semel vel, bis in hebdomada fiunt. 2. Actus emendi, vel vendendi. Si primo intelligas Nundinas standum est consuetudini per quam jus ab rogatum est cum Praelati hoc sciant, & tolerant. Si pro actu accipias, in multis attendenda est consuetudo quae quasi vbique habet vt ea quae diutim consumuntur ad minutum vt panes, carnes, herra, & huiusmodi passim emuntur, venduntur, & licitum est nisi Episcopus aliquod horum prohibeat, vel reprehendat.

*pa. 3. tra. 1.  
disp. 5. q.  
4. 5.*

**Lean. à SS. Sacr.** Mercatus qui semel in hebdomada fieri solent, licite possunt fieri vbi consuetudo recepta, & approbata est secus alias. Vendare tamen & emere si in eis consumatur tota dies festi aut notabilis pars, erit peccatum mortale, secus quando modicum tempus consumitur. Attamen vbi fuerit consuetudo legitima emendi, & vendendi in festis, ea ab omni peccato excusant.

Privatæ quoque emptiones, venditiones licent in festis interveniente consuetudine, vel alia causa justa. Unde adhuc seclusa consuetudine possunt fieri in festo particulares venditiones ob commodum rusticorum, qui in festo commodius ad emendum res quibus egent, accedunt. q. 9.

Licet etiam in festis facere venditionem vulgo Almondam, & alias venditiones (v. g. cum magis danti ad extinctionem Candelæ applicatur quod emit, vel sine emptione sibi adiudicat sub tanto, vel tanto onere) tum ex consuetudine, tum ob commodum, & præsertim in parvis oppidis, quia alias, pauci essent emptores, & vilissime res venderentur. q. 8.

Licitum est etiam locationes, conductiones, & similes contractus facere in festis. Quia ita habet consuetudo ut constat cum passim fiat à timoratis viris consumendo totam vesperam festi in incunda venditione domus, vel hæreditatis & in conveniendo de prætio: & tamen id à nemine damnatur. q. 10.

Licitum est etiam venditoribus vestium veterorum eas vendere apertis januis, in festo: dummodo id non faciant tempore celebrationis Missæ maioris. Nam consuetudo ex vna parte; & necessitas venientium, ex altera, ad emendas vestes, quibus alijs diebus venire non licet propter suas occupationes, hanc actionem licitam reddunt. Sutores quoque licite calceos in festis vendunt tam propter consuetudinem, quam propter parvitatem temporis quod in hoc in sumitur.

Mart. Nav. Non est enim peccatum parum temporis consumere in festo in venditione, aut emptione, ut fieri solet in emendis, aut vendendis candelis, & alijs similibus: in quibus depretio non est conveniendum, quia iam æstimata sunt, aut cito fit. ubi sup. n. 8.

*Vbi supr.*

1. 5. **L**eand Placitum quod prohibetur in festis est lis, aut causa fori quæ agitur in iudicio, seu ipsum iudicium civile, seu quæcumque pertinent intrinsece ad acta iudicij, vt citatio partis formatio processus, cognitio causæ, & prolatio sententiæ.

*Vbi supr.*

n. 19. **A**rmill. Quo ad placitum autem excusantur iudices rurales jus dicentes rusticis sm quædam consuetudines suas ne perdant diurnum laborem eis necessarium ad vitam, cum pietatis causa hoc sit.

**F**ranc. Vnde nec testes possunt licite, aut valide examinari judicialiter in festo, nec ab eis exigi iudicum iuramentum cæterum necessitate urgente licitum est jurare in festo, testes que examinare, vt pro pace, fama &c.

Licitum etiam est in festis ferre sententiam excommunicationis, suspensionis vel interdicti. Nam hoc non est strepitus judicialis, vel processus, sed legem ferre, & præceptum imponere. Et consequenter absolutio ab excommunicatione &c. Licita etiam erit in festo, nam id est quid favorabile & non dicens iudiciale strepitum. Qua ratione licent etiam in festis dispensationes, concessiones privilegiorum, collationes, & prouisiones beneficiorum, & alij actus voluntariæ jurisdictionis quæ sine strepitu judiciali fiunt.

**C**irca sententias tam iudicij civilis quam criminalis dicendum urgente necessitate eas licere in festis. Et quidem de sententia civili vt supra dictum est de iudicibus ruralibus.

*3. præ dec.**dis. p. 5.**que est. vnic**p. 2. n. 10.*

**B**onaci. Nomine iudicij criminalis intelligitur sententia mortis, aut alia quæuis corporalis pæna quam iura in festo vetant, præmissa tamen necessitate, qualis contingit quando expedit captum ob sceleris notorij gravitatem statim absque processu damnari: aut quan-

do periculum timetur impediendæ justitiæ si reus captus ulterius detineatur, aut quando ita postulat conditio belli. Lex enim benigne accipienda est, nec præsumitur obligare cum graui incommodo, aut contra commune justitiæ, vel reipublicæ bonum.

Appellatio etiam licita est in festo, non autem appellationis prosecutio. Nam jure naturali cuilibet competit jus tuendi seipsum quolibet die, appellatio autem instituta est ad sui defensionem. Præterquam quod licet appellatio ad actus judiciales pertineat, fit tamen sine magno strepitu, & alias est res favorabilis. Prosecutio autem appellationis exigit maiorem strepitum, nec est adeo necessaria sicut appellatio: unde ea non licet in festo. Ibid. n. 13.

Franc. Circa sententias judicis arbitri dicendum eas non licere in festo, nam is servato ordine judicialis strepitus fert sententiam. Sententia vero judicis arbitratoris licita est in festo, nam is est amicabile compositor & mediator fæderator pacis, & non exigit strepitum judicialem, sed charitativam pacem, & compositionem.

Leand. à SS. Sacram. Licitum etiam est in festis visitare Ecclesias, aut Clericos dummodo fiat modo Religioso, & absque strepitu judiciali. Quia sic praxis, & usus. Ibi supr.  
q. 40.



## DE QUARTO PRÆCEPTO DECALOGI.

## QUÆSTIO LIV.

*Nam convenienter tradatur hoc præceptum?*

2. 2. q. 122.  
4. 3.

**F**RANC. Convenienter. Sic enim traditur Exod. 20.  
Honora Patrem tuum, & Matrem tuam ut sis longevus super terram.

**D.** Thom. Præcepta Decalogi ordinantur ad dilectionem Dei, & proximi. Inter proximos autem maxime obligamur Parentibus. Et ideo immediate post præcepta nos ordinantia in Deum, ponitur præceptum ordinans nos ad parentes qui sunt particulare principium nostri esse, sicut Deus est universale principium. Et sic est quædam affinitas huius præcepti ad præcepta primæ tabulæ.

**Franc.** Promittitur autem longitudo vitæ honorantibus parentes tanquam gratis beneficio vitæ quam acceperunt à parentibus: licet quandoque sine occultam rationem divinorum iudiciorum respicientium maxime futuram remunerationem, aliqui qui sunt pii in parentes citius vita privantur quam aliqui alij impij in parentes.

Ultra tamen Parentum honorationem implicite præcipitur in hoc præcepto & secundario honoratio consanguineorum, Superiorum, Maiorum &c. Parentibus vero ultra honorem debemus etiam sustentationem, & hoc quidem per accidens, scilicet quia sunt indigentes, vel servi, vel aliquid huiusmodi. Vnde in hoc præcepto

to de pietate & honoratione parentum intelligitur mandari quidquid tam per se quam per accidens parentibus debetur, ut honor, sustentatio, amor obedientia &c.

Armilla. Pietas parentum non potest tenere filios quin eis invitis ingrediantur religionem dummodo parentes habeant unde vivere possint & sustentari sine illis: vel quando ipsi traherent filios ad peccatum, & sic ministrando parentibus abstraherentur à divino cultu: secus quando non abstraherentur à Dei cultu propter hoc, & aliter non possent sustentari, quia tunc non possunt eos deserere.

v. pietas.

D. Thom. Ille enim qui est in sæculo constitutus si habet parentes qui sine ipso sustentari non possunt non debet eis relictis Religionem intrare: quia transgredetur præceptum de honoratione parentum. Si vero sine eo parentes vitam transigere possent, licitum esset eis relictis parentibus religionem intrare, quia filij non tenentur ad sustentationem parentum nisi causa necessitatis. Qui vero est profectus in religionem, non debet occasione sustentationis parentum exire claustrum. Tenetur tamen salva sui Prælati obedientia, & suæ religionis statu pium studium adhibere qualiter eius parentibus subveniatur.

2.2. q. 101.  
4. 4. ad 4.

Armilla. Intellige hæc extra extremam necessitatem: quia in ea non solum propter parentes sed etiam propter alios tenetur exire: quia hoc est de jure naturæ contra quod vetum non potuit obligare. Subvenire enim proximo in extrema necessitate, dum juris est, contra quod hominis præceptum non tenet.

vbi sup.

Remig. Peccat mortaliter filius contra hoc præceptum cum non subvenit parentibus in necessitate gravitam spirituali quam corporali constitutis, & deserit eos (indigentes eo ad sustentationem) etiam ut intet reli-

In prompt.  
6. 5. n. 10  
2. 3.

gionem a qua ante professionem debet exire, si potest in saeculo succurrere eis. Peccat quoque mortaliter non obediens eis in rebus attinentibus ad bonos mores & regimen domus: veniale vero est eis non obedire in levibus. Pariter peccat mortaliter filius maledicens parentibus, eos percutiens esto leviter contemnens vel tristans, eos deliberate verbis grauibus, vel iniuriosis.

Franc. Peccata cōmissa in parentes necessario debent ex primi in confessione propter specialem deformitatē. Vnde qui peccat in Patrem, vel Matrem, non declarat sufficienter suum peccatum, dicens, peccavi in proximum.

*In Enchy.* Marti. Nav. Peccant etiam Pater, & Mater notabiliter negligentes exhibere filijs illa quæ pertinent ad eorum necessitatem spiritualem, & corporalem, si nulla est eis excusatio paupertatis, vel alterius rationabilis causæ.

*de 4. prac. dec. disp. 6. quest. vnic p. 6. v. 2.* Bonaci. Vnde pater qui non studet quantum in se est vt filius præcepta Dei & Ecclesiæ seruet, vt ab omni peccato saltim mortali abstineat, vt virtuti acquirendæ operam nauet vt necessaria ad salutem cognoscat, & addiscat (puta rudimenta fidei xstianæ) grauiter peccat: facit enim contra præceptum, & contra naturalē obligationem qua filiorum curam habere tenetur. Peccat etiam graviter Pater, & Mater qui peccatorum mortaliū occasiones à filijs non avertunt, ut si filiabus permittant amatorem ad malum finem, aut si permittant tactus impudicos inter sponsam, & sponsum de futuro.

*In instr. l. 5. c. 4. n. 9.* Toletus. Debent etiam parentes in corporalibus non negare alimenta filijs, nisi aliquando ad tempus in pœnam alicuius peccati grauis, & dum non incurrat filius aliquod notabile nocuum. Hinc fit vt expo-



perere filios in templis extra necessitatem fit mortale. Similiter non subuenire in alijs necessitatibus corporis. Tentur etiam non extrahere filios à bono statu: unde qui filium à religione extrahit, mortaliter peccat, & qui volentem ingredi, sine iusta causa impedit. Et qui cogunt filios ad statum, v. g. invitos filios, vel filias ad matrimonium contrahendum, iurgentes eos matrimonio gravissime peccant: tum etiam qui invitas filias in monasterium trahunt, ibique profiteri compellunt.

Franc. Anathemati etiam Concilium Tridentinum subijcit cogentes feminas intrare religionem (exceptis casibus in iure expressis.

*Sess. 25. de refor. c. 18.*

Marti. Nav. Peccant quoque parentes qui absque causa votum aliquod sive peregrinationis, sive abstinentiæ quod filij cum eorum bona venia fecerant, revocant.

*vbi supr. n. 17.*



DE QUINTO PRÆCEPTO DECALOGI.

QUÆSTIO LV.

*Num convenienter tradatur hoc præceptum?*

Franc. Convenienter. Sic enim traditur Exod. 20. Non occides. Scilicet hominem.

D. Aug. Cum audimus: Non occides: non accipimus hoc dictum esse de fructibus, quia nullus eis est sensus: nec de irrationabilibus animalibus quia nulla nobis ratione sociantur. Restat ergo vt intelligamus de homine, quod dictum est, non occides.

*1. de civit. Dei c.*

D. Thom. Unde qui occidit bovem v. g. proximi, peccat quidem: non quia occidit bovem, sed quia damni

*2. 2. q. 64. a. 1. ad 3.*

ficat hominem in re sua; unde non continetur sub peccato homicidij, sed sub peccato furti, vel rapinæ.

*In instru.  
Sacerd. l. 5  
c. 6. n. 1.*

Tolet. Homicidium igitur est hominis occisio. quam vis Theologi non quancunque occisionem hominis vocent homicidium, sed quæ est cum peccato, unde sic describi solet. Homicidium est injusta hominis occisio. In jure autem tale homicidium quod cum peccato fit, dicitur homicidium voluntarium.

*2. 2. q. 100.  
a. 8. ad 3.*

D. Thom. Unde occisio hominis quæ prohibetur in decalogo est occisio hominis indebita.

## QUAESTIO LVI.

*Num sit licitum occidere peccatores?*

**F**RANC. Licitum est occidere peccatores. Dicitur enim Exo. 22. Maleficos non patieris vivere.

*2. 2. q. 64.  
a. 2 p. 101.*

D. Thom. Si saluti corporis humani expediat præcisio alicuius membri, puta cum est putridum, vel corruptivum aliorum membrorum laudabiliter & salubriter abscinditur. Sic igitur quælibet persona singularis comparatur ad totam communitatem sicut pars ad totum: & ideo si aliquis homo sit periculosus communitati & corruptivus ipsius propter aliquod peccatum laudabiliter, & salubriter occiditur, ut bonum commune conservetur.

Quando autem non possunt occidi mali quin simul occidantur & boni vel quia latent inter bonos: vel quia habent multos sequaces ita quod sine bonorum periculo interfici non possunt tunc sinendi sunt mali vivere, & ultio reservanda ad extremum iudicium: quando vero ex occisione malorum non imminet periculum bonis, sed magis tutela, & salus, tunc licite possunt mali oc-

credi. Non vero omnes mali sunt occidendi, sed mali perniciosi in alios : illi vero qui peccant, alijs graviter non nocentes, sunt reservandi ad pœnitentiam.

## QUAESTIO LVII.

*Quibus competat occidere Malefactores ?*

**A**ug. Qui sine aliqua publica administratione maleficum occiderit velut homicida iudicabitur : & tanto amplius quanto sibi potestatem a Deo non concessam vsurpare non timuit. 1. de civi. Dei c.

D. Thom. Occidere malefactorem licitum est in quantum ordinatur ad salutem totius Communitatis. Et ideo ad illum solum pertinet cui committitur cura communitatis servandæ : sicut ad medicum pertinet præcidere membrum putridum quando ei commissa fuerit cura salutis totius corporis. Cura autem communis boni commissa est Principibus habentibus publicam auctoritatem. Et ideo eis solis licet malefactores occidere, non autem privatis personis, quæ licet possint facere aliquid ad communem utilitatem quod nulli nocet, secus quod est cum nocimento alterius : hoc enim indiget iudicio publico ut discernatur si quis occidendus est propter salutem communem. 2. 2. q. 64  
a. 3. per tot

Rocaff. Dubitabis tamen an liceat Tyrannum privata auctoritate interficere : Ut respondeamus distinguendum est de Tyranno, duplex enim potest esse. Primus qui tyrannice, & nullo jure Regnum acquisivit. Secundus, qui licet iuste regnum acquisivit, tamen illud tyrannice administrat. Hoc posito respondeo quod si est tyrannus primo modo, quilibet privata auctoritate potest occidere. Tamen Consilium optimum esset, docet So-

*l. unic. de  
5. pra. dec.  
c. 1. n. 3.*

tus, id solum facere quando nulla alia via potest libera-  
ri Respublica à Tyranno, & quando eo extincto, li-  
bera manebit Respublica. Sive est Tyrannus secundo  
modo non est nisi per publicum iudicium expolian-  
dus.

Franc. Ministri seu executores Principis etiam habent  
authoritate Principis potestatem occidendi, sicut Miles  
interficat hostem authoritate Principis, & executor al-  
tæ iustitiæ latronem authoritate iudicis.

1b. a. 4.

D. Thom. Clericis autem non competit occidere,  
cum sint ministri altaris in quo repræsentatur passio  
xpti, qui cum percuteretur non repercutiebat. Et ite-  
rum, quia Clericis committitur ministerium novæ legis,  
in qua non determinatur pæna occisionis, vel mutila-  
tionis corporalis. Et quando Prælati Ecclesiæ accipiunt  
officia Principum terræ, non accipiunt, ut ipsi iudiciū  
sanguinis exerceant per se ipsos, sed quod eorum autho-  
ritate per alios exerceatur.

## QUÆSTIO LVIII.

*Num liceat alicui occidere se ipsum, optare sibi mortem,  
vel brevitate vivere?*

**A**Vgust. Restat ut de homine intelligamus illud  
quod dictum est. Non occides, nec alterum: ergo  
nec te. Neque enim aliud quam hominem occidit qui  
se ipsum occidit.

Franc. Illicitum igitur est se ipsum occidere. 1. con-  
tra charitatem, quia quilibet debet seipsum diligere. 2.  
contra iustitiam, nam quilibet est pars communitatis,  
cui injuriam facit, occidendo se ipsum contra Deum,  
cui subijcitur vita: unde peccat in Deum, qui se ipsum

occidit tanquam vsurpator rei ei non commissæ, nec  
subjectæ.

Talet. Et hoc peccatum est mortale ex genere. Et *l. 5 c. 6 n.*  
non solum peccat qui se occidit, sed qui præcipit, vel *2. c. vlt.*  
consultit, vel iuvat; vel cum possit facile prohibere, non  
prohibet: sunt enim isti suo modo homicidæ, & mor-  
taliter peccant. Pariter permittere se occidi, ex se est  
peccatum mortale; Tenetur enim homo vitæ suæ con-  
sulere in quantum potest, & debet.

Cæterum potest quis & tenetur mortem pati prius  
quam negare fidem, vel committere peccatum, si ad hoc  
pæna mortis cogatur. Pariter tenetur se morti offerre  
ad liberandam Rempublicam, si causa eius, esto inno-  
centis, sit Respublica ab hostibus circumdata.

Potest etiam quis pro amico, & proximo exponere  
vitam v. g. cum amicus damnatur pæna capitis loco eius  
se subrogare; vel in mari non accipere tabulam sed re-  
linquere vt amicus salvetur; vel in bello permittere se  
vinci, & occidi ne hostis in peccato moriatur, hæc au-  
tem intelligenda sunt, non de persona publica, & utili  
Reipublicæ uel multis alijs sed de persona privata: nam  
persona utilis multis non debet vitam suam pro alijs pri-  
vatis amittere.

D. Thom. Obligant autem se Episcopi ad exequen- *2. 2. q. 181*  
dum pastorale officium propter subditorum salutem. Et *4. 5.*  
ideo vbi subditorum salus exigit personæ pastoris præ-  
sentiam, non debet pastor personaliter suum gregem  
deserere, neque propter aliquod commodum tempora-  
le, neque etiam propter aliquod personale periculum  
imminens, cum bonus pastor animam suam teneatur  
ponere pro ovibus suis. Si vero subditorum saluti possit  
sufficiens in absentia Pastoris per alium provideri,  
tunc licet Pastori, vel propter aliquod commodum Ec.

clesiæ, vel personæ periculum, corporaliter gregem deserere.

*In Epist.  
ad Honor.*

Augu. Fugiant de civitate in civitatem servi Christi quando eorum quisque specialiter a persecutoribus queritur, ut ab alijs qui non ita quærentur, non deseratur Ecclesia.

*ibi sup.*

D. Thom. Cum autem omnium est commune periculum, ij qui alijs indigent non deserantur ab ijs, quibus indigent. Si enim perniciosum est Nautam in tranquillitate nauem deserere, quanto magis in fluctibus?

Franc. Ex quibus videtur etiam cum periculo vitæ teneri inferiores etiam Prælatos, ut Curam animarum gerentes, assistere suis Parochianis tempore pestis, persecutionis communis, & in alijs casibus in quibus tenentur Superiores Prælati scilicet Episcopi.

*ibi sup.  
n. 7.*

Toletus. Potest qui damnatus est morte exhibere actiones, quæ sunt dispositiones ad mortem: ut si suspendi debet, ascendere scalam, collum funi apponere, non tamen se eijcere ex scala. Nec defendere pugno vel vulnere, esto sit innocens, à ludice. Unum tamen est quod licet, nempe fugere si potest à carcere, licet juste sit comprehensus: rumpere vincula, murum forare, effringere portas, non tamen licet vlli nocere, tenetur que restituere tantum, damnum illatum ex raptura.

*In prompt.  
c. 3 n. 16.*

Remig. Qui exit à carcere jurans se ibi redditurum, si fuit comprehensus levi causa non tenetur redire si probabiliter timeat se damnandum iniuste: quia materia juramenti facta est iniqua. Idem dicendum, si post exitum commisit crimen morte dignum: quia post juramentum facta est talis & tanta rerum mutatio, quæ si ad fuisset juramentum non fieret. Si autem juste meruit pœnam mortis, tenetur adimplere juramentum,

&

& redire ad carcerem, quamvis sciat se morte damnandum.

Franc. Etiam est peccatum mortale ex genere suo exponere se periculo perdendi vitam. Secus quando probabile est mortem non sequendam ex periculo.

*ib. n. 8.*

Tolet. Et sic non peccant mortaliter funambuli, & aggressores taurorum, cum sunt exercitati in tali arte: & si aliquando accidat mors, non ob id mortale peccatum est, quia in illo fuit multum accidentalis.

Mart. Nav. Peccat mortaliter, qui deliberato animo sibi mortem, aut membri mutilationem præ ira, impatientia dedecore, pauperate, aut quocumque alio infortunio exoptat: quoniam nemo est Dominus, saltem quoad hoc, suæ vitæ, aut suorum membrorum. Proinde si ea de causa cum esset Clericus, aut monachus sibi ipsi manus iniecit excommunicationem incurrit. Non autem illam incurrit, qui zelo devotionis pectus pugno, faciem palma, vel corpus ut cohibeat, disciplina percutit. Neque etiam iudicio nostro si talis est percussio ut sibi licite posset inferre, licet non consentire, ut sibi ab alio inferretur; qualis est capillos aut barbam belle, se alapis cedere ob mortem parentum aut amicorum.

*In Enchyr.  
c. 15. n. 11.*

Joan. Enriquez Augustinianus. Optare tamen mortem modo licito licitum est. V. g. resignans se homo in voluntate Dei, & desiderans mori; exireque à miseris huius vitæ, si Deus vellet. Cæterum desiderare mortem impatienter peccatum mortale est, & pariter impatienter velle se natum non fuisse, secus si hoc vellet, ut sic non offendisset Deum.

*sect. 7. q. 14*

Villalobos. Mortale peccatum est abstinentiis nimis, vel cibis nocivis se affligere id enim esset occidere se,

*to. 2. tra.  
12. diffi.  
oleta 4.*

Franc. Etiam esset peccatū mortale & tentare Deum, si quis absque vlla necessitate, vel vtilitate nollet recipere medicinas congruentes ad salutem corporalem, & remedia naturalia, volens salutē corporalem: id enim esset tacite & interpretative tentare Deum.

.I. quarto. c.  
19. n. 2.  
Q. 4.

Toletus. Tacite enim tentatur Deus, cum quis relictis medijs naturalibus, & à Deo ordinatis ad effectus proprios, querit tales effectus: vt qui infirmus existens, volens que sanari, nollet naturale remedium adhibere. Quæ tacita tentatio peccatum mortale est ex genere suo.

2. 2. q. 97.  
sup. n. 1.

Caieta. Respuere tamen corporalem medicinam contingit tripliciter. 1. tempore Martyrij: & hoc non est tentare Deum, imo ostenditur promptitudo animi ad sustinendum, & perhibendum fidei testimonium. 2. absolute toto vitæ tempore vt B. Agatha gloriabatur nunquam se exhibuisse corpori medicinam carnalem, & non tentavit Deum, imo habebat divinam experientiam: licet hoc de communi lege esset tentare Deum, qui creavit medicinam. 3. ratione spiritualis profectus. Et hoc si intra limites rationalis obsequij sit, non est tentare Deum, sed semetipsum offerre hostiam viventem Deo: vnde viri sancti, dolores iliacos, vlcera &c. quæ patiuntur, suscipiunt libenter ad carnis subiectionem, & mortificationem, & ad Jesu Christi passionis participationem: & ideo respuunt medicinam: & licet infirmen- tur in carne, sunt fortissimi ad spiritualia.

6. n. 13.

Remig. Nec peccat mortaliter qui in fine vitæ, & modicissima vitæ spe non recipit remedia salutis, nec vult manducare ob magnū laborem quem in manducando sentit, cū certus non sit per illa, sanitatem recuperandā. Nec tenetur brachium canceratum præbere ad scindendum ob vitæ conservatiōē nisi esset persona valde vti-



lis, & necessaria ad bonum commune: non enim tenetur infirmus tanto cruciatus vitam conservare; nec fœmina honestior tenetur se à Chirurgo sinere curari in partibus occultis, ob verecundiam.

D. Thom. Quando autem legitur de Sansone, & etiã de non nullis sanctis in tempore persecutionis quod se ipsos occiderunt hoc fuit per latentem Spiritus Sancti jussionem. 2. 2. q. 64.  
4. 5. ad 4.

Acacius Marc. Denique: quamvis peccet mortaliter immoderate affligens corpus jeunijs, disciplinis, & abstinentijs advertens notabiliter se nocere salutis, & breviate vitam: secus tamen est si non advertit nec hæc faciat animo sibi nocendi notabiliter, sed placendi Deo, & satisfaciendi pro peccatis: imo sic, meretur. Et advertendum est licere uti cibis communibus hominum: esto id vergat in damnum salutis, & brevitatis vitæ: nemo enim tenetur ad querendos delicatos cibos ad prolongandam vitam. 2. homicid.  
resolut. 28.  
n. 3.

## QUAESTIO LIX.

*Num liceat in aliquo casu innocentem occidere?*

D. Thom. Occisio peccatoris fit licita per comparisonem ad bonum commune quod per peccatum corrumpitur; vita autem justorum est conservativa, & promotiva boni communis: quia ipsi sunt principalior pars multitudinis, & ideo nullo modo licet occidere innocentem. 2. 2. q. 64.  
4. 6.

Quando autem iudex scit aliquem innocentem esse, qui falsis testibus convincitur, debet diligentius examinare testes, ut habeat occasionem liberandi innocentem, sicut Daniel fecit ad liberandum Susannam. Si ibid. ad 4.

autem hoc non potest, debet eum Superiori relinquere judicandum. Si autem hoc non potest, non peccat *sm* allegata sententiam ferens: quia ipse non occidit innocentem, sed illi, qui eum asserunt nocentem. Minister autem judicis condemnantis, si sententia intolerabilem errorem contineat, non debet obedire: alias excusarentur carnifices, qui martyres occiderunt: si vero non contineat manifestam iniustitiam, non peccat præceptum exequendo: quia ipse non habet discutere Superioris sententiam, nec ipse occidit innocentem, sed iudex cui ministerium exhibet.

*de 5. præc.  
decal. n. 53.  
54.*

Rocaff. Tenetur tamen iudex, si potest absque scandalo, procurare, ut innocens fugiat à carcere: tenetur etiam jurare eum innocentem esse, si iuramentum tale sit ei profuturum. Et ratio horum est, quia iudex tenetur favere innocenti quantum commode potest. Supremus autem iudex tenetur absolvere innocentem probatum nocentem *sm* allegata, & probata.

*to. 2. tra. 12  
diffic. 11.*

Villalob. In casu autem, quo Tyrannus minaretur, Remplicam se destructurum, nisi traderetur ei innocens, dicit Aragon non licere tradere eum, nam id est intrinsece malum: quamvis oppositum censeat probabile esse. Et addit nec Remplicam posse compellere eum, nam solum ex charitate tenetur ad tradendum se. Verius tamen videtur quod dicunt Bañez, Ledesma, & Orellana, nempe quod innocens cum teneatur in hoc casu tradere se, posse Remplicam id ei præcipere: si autem noluerit obedire justo præcepto, tunc iam non est innocens: unde poterit Respublica tradere eum tanquam delinquentem. Si vero Tyrannus exigeret à Republica ut occideret innocentem: id non esset licitum: nam esset id cooperari peccato Tyranni, & constituere se Remplicam Tyranni Ministrum.

Acac. March. Si autem sit aliud medium liberandi patriam præter innocentis traditionem, non debet innocens tradi, esto plurimorum sanguis effundere necessarium esset ad patriæ defensionem. *v. homicia resolu. 30.*

## QUAESTIO LX.

*Num liceat alicui occidere aliquem, se defendendo?*

**D.** Thom. Si aliquis ad defendendam propriam vitam utatur maiori violentia quam oporteat, erit illicitum. Si vero moderate violentiam repellat, erit licita defensio. Nam sm jura vim vi repellere licet cum moderamine inculpatæ tutelæ. Nec est necessarium ad salutem ut hunc actum moderatæ tutelæ prætermittat ad vitandam occisionem alterius: quia plus tenetur homo vitæ suæ providere quam vitæ alienæ. *2.2. q. 64. 4.7.*

Sed quia occidere hominem non licet nisi publica auctoritate propter bonum commune (ut ex suprædictis patet) illicitum est quod homo intendat occidere hominem ut se ipsum defendat, nisi ei, qui habet publicam auctoritatem, qui intendens hominem occidere ad sui defensionem refert hoc ad publicum bonum, ut patet in milite pugnante contra hostes, & in ministro judicis pugnante contra latrones: quamvis etiam & isti peccent si privata libidine moueantur.

Rocas. Licitum est vim vi repellere jure naturali divino, canonico, & civili cum moderamine inculpatæ tutelæ, ad quod moderamen requiritur ut inuasor sit in justus inuadens contra justitiam, ut inuasus non prius offendat quam inuadatur, ut inuasus, tueri se si potest non occidendo, non occidat: vnde non debet maiori vi repellere vim inuasoris: ut probabiliter existimet in- *l. vnic. de 5. prac. dec n. 61.*

vasus se grauiter lædendum, vel occidendum nisi vim repellat, vt defensio sit in congressu, idest quando inuaditur, non vero post inuasionem finitam, ut sit in casu iniustæ aggresionis per vim: vnde si iudex per iniquum processum, vel falsi testes per calumniam me vita priuare intendunt non possum eos occidere: quia iniquitas horum est calumnia, non vis.

n. 68.

Licitum tamen est aliquando, præuenire & occidere inuasorem, scilicet quando vita aliter defendi non potest nisi præueniendo inuasoris vim.

l. 5, n. 14.

Tolet. Hinc patet solutio illius casus, quem Soto non audet determinare: si esset fœmina à marito conclusa cubiculo, à quo fugere non potest, habetque uir pugionem ad ipsam confodiendam, expectat tamen vt ipsa quiescat, an liceat vxori præuenire & occidere virum? Dico licere, & ratio est aperta, quia iam est inuasa, cū primum à marito conclusa est, & expectat paratus occidere: nam si tunc non est tempus defendendi se, profecto nullum aliud erit. Et simile de illo qui præparat bombardam, ut alium occidat, sed ille aliam iam habet præparatam, & incipiat emittere qui potest præuenire.

vbi nup. n.  
68. & 69.

Rocas. Quando autem vita defendi potest sine præuentione, quia licet per tempus euadere, tunc non est licitum præuenire: quod tamen sic intelligendum est, quod inuasus fugiat ad vitandam mortem, si id facere potest absque ignominia. Nam est opinio Navarra, Soti, & aliorum quos refert & sequitur Couarrubias, posse inuasum in hoc casu non fugere, sed occidere inuasorem: nam licitum est proprium honorem defendere contra iniuste auferentem ex malitia. Similiter potest inuasus occidere inuasorem, & non fugere, quando aduersarij à tergo instant, vel quando inuasor fiet audacior, vel quando facilius insequetur fugientem. Si autem potest euadere inuasus sine dedecore, vel damno vitæ tenebitur fugere.

Quod dixi de inuaso, posse occidere quando fuga est ignominiosa non intelligitur in hoc inuasus religiosus, vel Clericus, vel homo inferioris conditionis, cui fuga non est ignominiosa.

Remig. Quando autem Clericus, vel religiosus est debilis, claudus, vel aliter impotens ad fugiendum, potest defendere se, & inuasorem si occidat, non manet irregularis. *in 5. præc. decal. n. 4.*

Acacius March. Licitum est propter tuendam castitatem occidere inuasorem. In hoc enim casu fœmina vim vi repellit: quod facere potest pro tuendo honore, vel vitanda aliqua membri mutilatione: ergo licite poterit occidere, si aliter nequit defendere castitatem. Et tunc non tenebitur ad ullam restitutionem, sicut nec, qui occidit pro tuenda vita, membro, vel honore. Et in hoc casu licet iuuare fœminam, ipsa exigente auxilium, secus aliter: nisi ipsa tacuerit timore ne eius manifestetur infelicitas: cæterum, si constat abhorrere eam concubitus, licebit id scienti occidere inuasorem eam oprimentem, causa liberationis fœminæ à tali injuria.

Rocas. Licet etiam pro defensione alterius personæ interficere inuasorem, vt pro defensione Regis, Principis, personæ publicæ, Patris, Fratris, & cuiuscumque personæ sanguine coniunctæ. Item pro defensione Domini, pro quæ cuiuscumque innocentis defensione.

## QUAESTIO LXI.

*Num sit licita occisio pro defensionem temporalium bonorum?*

**A** Caci. March. Licet occidere latronem qui furatus est mea bona, puta pecuniam, vel vestes in *v. Homic. recol. 43.*

magna quantitate, & secum ea fert, non remanenti mihi alio medio ad eorum recuperationem. Nam bona temporalia ordinantur ad conservationem vitæ. Imo id etiam licet protuendis necessarijs rebus ad decentiam status vniuscuiusque, quando aliter defendi non possunt nisi per occisionem inuasoris. Et sm Malderum id licet Clericis & potest etiam ad Religiosos extendi.

Vnde infertur 1. licere occidere latronem per totum tempus quo durat defensio rerum quas fert latro: nam toto illo tempore est in fraganti delicto. Cæterum secus est, cum latro sistit in tuto loco; non enim tunc est iniustus inuasor, sed iniustus detentor. 2. cum bona furata possunt alia via recuperari, non licet interficere latronem: secus si dubitat an possit, vel non aliter recuperari.

Franc. Vnde si facili via per auctoritatem iudicis, possunt recuperari bona: vel vocibus, & clamore potest quis facere vt comprehendatur latro fugiens, non debet, nec potest licite, inuasus occidere latronem.

## QUAESTIO LXII.

*Num sit licitum occidere pro defensione rerum proximi?*

*l. vnic. des.  
prac. decal  
nn. 78.*

**R**Ocaf. Licitum est interficere inuasorem pro defendendis rebus innocentis, & pro rebus propinquorum sm Silve. v. bellum 2. quæst. 7.

*v. Homic.  
ref. 42. n. 6*

Acaci. March. Licitum quoque est pro defendendis bonis amici occidere inuasorem, si aliter nequit defendere amicum.



## QUAESTIO LXIII.

*Num liceat alicui optare mortem alterius?*

**M**Art. Navar. Licitum est optare alterius mortem, aut morbum aut rei familiaris jacturam, in finem ut convertatur ad Dominum: vel ne tot tanta que facinora perpetret, vel in alium finem honestum, & sanctum juxta Alexand. in tract. de maledi, & D. Thom. 2. 2. q. 36. a. 2. & multi sancte desiderant mortem Turcarum Principis, si non se convertat, ut Deus Christianismum liberet ab eius Tyrannide. Imo & inimicis Xptianis iniuste nos persequentibus, quando aliud non adesset commodius remedium, possemus ob hunc finem desiderare eam.

*In Eschy.**c. 15. v. 102*

Remig. Non peccat Mater desiderans mortem filii-  
bus pauperibus, ne videantur in periculo: nec Pater  
gaudens de ægitudine filij male morigerati, spem ha-  
bens sic eum bene morigerandi.

*In prompt.**c. 6. de y.**prac. des.**n. 14.*

Licitum est optare mortem hæreticis, ne falsitate de-  
cipiant alios. Etiam licet velle latronem puniri juste. In  
his enim casibus, & similibus non desideratur malum  
proximo, quia malum illi est, vel odio habetur: imo  
desideratur ei bonum, nempe quod amplius non peccet,  
cum omnia morte finiantur.

## QUAESTIO LXIV.

*Quotuplex sit Homicidium?*

**F**Ranc. Non est sermo in presenti de Homicidio in  
tota sua latitudine: actum enim est de occisione inva-

loris iniusti cum moderamine inculpate tutelæ. Item supra etiam egimus de duello ubi accidunt iniusta homicidia. Infra quoque agendum est de bello & homicidijs ibi contingentibus. Vnde his præiactis. Homicidium quoad præiens est duplex: aliud voluntarium aliud casuale.

*l. unic. des. prae. de ca. n. 18.* Rocaff. Homicidium voluntarium est quod est per se intentum & procuratum: & hoc dupliciter contingit.

1. Quando quis facit aliquid eo animo ut mors alicuius sequatur. 2. Quando quis facit opus quod sua natura ordinatur ad mortem alicuius, licet ex intentione operantis non ordinetur ad necem. v. g. si quis porrigat venenū mortiferum non animo occidendi.

*nu. 20.* Homicidium casuale est quando contingit præter intentionem agentis, aut ommittentis aliquod opus, vnde mors alterius consequitur.

*v. Homic. resolu. 44.* Acaci. Mareb. Homicidium voluntarium directe & expresse commissum est peccatum mortale: directe enim charitati opponitur, & iustitiæ. Homicida nanque iniuste privat hominem vita, quæ inter temporalia bona, obinet primum locum.

*n. 6.* Vtcrius qui non impedit mortem proximi cum possit, peccat mortaliter contra charitatem, non autem contra iustitiam, nisi sit iudex, Gubernator, vel minister, quibus non solum ex charitate, verum & ex iustitia incumbit impedire mortem hominis. Idem dicendum de Medico, & Chirurgo, si hominem quem faciliter curare possunt permittant mori: & hi non solum peccant mortaliter contra charitatem, imo irregularitatem incurrunt juxta Nav. & Layman.

*p. 2. q. 64. n. 8. per tot.* D. Thom. Homicidium autem casuale potest contingere dupliciter. 1. Cum quis dans operam rebus illicitis, quas vitare debet, homicidium incurrit. Vel quando




non adhibet debitam sollicitudinem. 2. Cum dat operam rei licitæ, debitam que adhibens diligentiam. Et in hoc secundo casu si sequatur homicidium, non incurritur homicidij reatus: bene vero in primo casu, nempe si quis det operam rei licitæ, vel etiam illicitæ non adhibens debitam diligentiam, si ex eius opere mors hominis consequatur. Vnde qui percutit mulierem pregnantem dat operam rei illicitæ. Et ideo si sequatur mors, vel mulieris, vel pueri animati, non effugiet homicidij crimen: præcipue cum ex tali percussione in promptu sit quod mors sequatur.

Caict. Quando autem homicidium sequitur non autem ex intentione, nec ex opere percutientis non est ratio cur imputetur illi occisio. Et ex hoc capite excusatur non intendens occidere percussor ab homicidio quando mors ex mala cura, vel regimine sequitur.

Franc. Denique circa homicidium iniustum sciendum, esse illius multas species explicandas in confessione. Est enim homicidium quod appellatur Parricidium, seu Patris occisio. Item homicidia propinquorum consanguinitate, vel affinitate: vnde gradus huius propinquitatis sunt explicandi in confessione. Item homicidium sacrilegum cum occisio est personæ Ecclesiasticæ, vel alterius personæ, in loco tamen sacro. Homicidium quoque proditorium seu Assassinatorum occidentium proditorie. Homicidium fætus animati in utero. Homicidium vxoris adultæræ factum à marito. In quibus omnibus gravitas, & species peccati attendenda est vt fiat legitime confessio.

*sup. hunc  
loc. 1.  
Thom.*



## QUAESTIO LXV.

### De pœnis Homicidarum

*In Macha-  
di Compen.  
sup. 5. pra.  
dec. 9. 10.*

**F**RANC. Apolinar. Iniuste occidens vel feriens alium, tenetur ad expensas Medici, Pharmacopolæ, & ad alia extraordinaria solvenda, quæ requiruntur ad curationem. Probabile est quod ob damnum vitæ hominis etiam soluti debet occissor restituere juxta boni viri arbitrium. Item tenetur recompensare damna hæredibus conseguta, ea nempe lucra restituendo quæ acquireret labore suo occisus, vel vulneratus.

Hæc restitutio, ait Mayor, non debet fieri ad integrum, sed ablatis sumptibus, quos à fortiori faceret occisus si viueret, ablatoque valore laboris de quo liberatur. Et iterum minui debet hæc restitutio ratione incertitudinis vitæ & periculorum quibus subiacet, forte enim posset naturali morte cito obire.

Probabile etiam est contra Navarrum quod homicida cum luit penam homicidij cum propria vita, vel vulnerus cum pœna corporali non teneri eius hæredes ad solvenda damna hæredibus occisi: & præcipue quando reus punitur ad instantiam heredum occisi.

*v. Honuc.  
ref. 46. n.  
10.*

**Acaci. March.** Qui autem egrediuntur ad duellum vnanimi consensu, si vnus occidat, vel feriat alterum, non tenentur ad restitutionem. Ratio est quia neuter facit alteri iniuriam: non enim hæc fit volenti & consentienti. Et vltcrius juxta Iessium, & Molinam provocatus ad rixam quamuis peccet occidens, vel feriens, ad nullam tamen tenetur restitutionem: nam provocans quantum est ex se dat facultatem & se exponit vt fiat ei damnum.

Uterius. Qui non excedit moderamen inculpatæ tutelæ, nec tamen fugit cum posset & teneretur propter charitatem: ad nullam tenetur restitutionem, quamvis occidat invassorem: nam tunc peccat mortaliter contra charitatem, non vero contra justitiam cum non teneatur ex justitia ad fugiendum.

n. 11.  
Ibid. res. 1  
42 n. 4.

Et Generaliter, sive Layman, & Malderum tam Ecclesiastici quam sæculares aggressi, potentes fugere, non tamen fugientes imo resistentes aggressori, & se defendentes occidunt vel mutilant eum, peccant contra charitatem, non tamen contra justitiam: & sic ad nullam tenentur restitutionem.

Voi sup.

Franc. Apolmar. Nec tenetur ad restitutionem cum quis cum moderamine inculpatæ tutelæ occidit aggressorem quamvis occidat cum odio, vel vindicta.

§ 12.

Franc. Tandem Occissor qui absolute tenetur ad restitutionem etiam debet eam facere creditoribus occissi.

Hurtado. Verum tamen est quod non tenetur Homicida illis offerre debita; sed si petantur, tenetur reddere quantum valebat spes quam creditores habebant ea recuperandi ab occisso: quod si nullam spem habebant, ad nihil tenetur homicida.

2 p. tra 8.  
nu. 236.

## QUAESTIO LXVI.

### De Homicidio per abortum.

**A**Rmilla. Abortus est contra naturam: & ideo procurans abortum voluntarie, si fetus informatus est anima rationali, vere est homicida, mortaliter que peccat, & effectus si sequitur, irregularis est. Si autem fetus non vivebat anima rationali, licet mortaliter

v. Abortus

peccet, non tamen efficitur irregularis. Dare medicinam prægnantibus ut abortiantur ad præservandum eas à morte, si fœtus est animatus anima rationali, non licet sine peccato mortali. Non enim debemus uni nocere, ut aliter juvetur. Si vero nondum erat tali anima vivens, licet dare talem medicinam ad liberandam à morte mulierem prægnantem: quia quamvis impediatur talis animatio, non tamen est causa mortis hominis.

*L. vnic. de s  
prac. decal  
nu. 46.*

**Rocaff.** Id tamen intelligendum est quando fœtu nondum animato medicina datur non ut abortus fiat, sed ut fœminæ periclitantis vita salvetur. In dubio autem num fœtus animatus sit nec ne? non licet medio hoc facere quia se exponit periculo occidendi fœtum.

*Ibid.*

**Arnil.** Et in hoc dubio si medicus porrigeret medicinam videtur mortaliter peccaturum.

*Ibid. n. 50.*

**Rocaff.** Circa dubium autem: an quando fœmina prægnans est, liceat dare ad eius salutem procurandam aliquod medicamentum quod periculosum est fœtui; duæ sunt sententiæ prima ait non esse licitum. Secunda est **Cordua** l. 1. q. 38. dub. 3. afferentis id licere: quam probabilem putat **Azor** tom. 3. l. 2. c. 4. q. 7 & ultima.

*v. Homi.  
ref. 47. n. 1*

**Acac. March.** Tripliciter autem abortus contingere potest 1. impediendo ne fœmina concipiat: v. g. si vir præbeat ei ante accessum, potum ut maneat infecunda. Id tamen non est proprie procurare abortum. 2. Procurando ut conceptus non animatus fœtus eijciatur. 3. Procurando fœtum animatum eijcere. Et in his duobus ultimis modis datur proprie abortus procuratio. Et potest contingere per sumptionem potionis, per magnos labores &c.

*• 2.*

In primo casu datur peccatum mortale homicidij re-

ductive. In 2. peccatum mortale contra naturam: frustratur enim humanum semen suo fine naturali. In 3. datur vere & proprie homicidium. Et si id facit Pater vocabitur Parricida ( sumpto latè parricidio pro occisione personæ coniunctæ ) Datur etiam in hoc 3. casu ultra <sup>n. 3.</sup> peccatum mortale, excommunicatio latæ sententiæ, & irregularitas. Quæ irregularitas ut pote homicidio voluntario annexa, esto sit delictum occultum, est summo Pontifici reservata.

A peccato tamen & excommunicatione incurta ob homicidium fætus animati per absorsum poterit absolvere <sup>n. 7.</sup> quilibet Confessarius approbatus ab Ordinario, & specialiter ad id deputatus. Pariter Confessarij regulares specialiter ad id deputati à suis Provincialibus; secus videtur aliter.

Qui vero procurat abortum fætu non dum animato, <sup>n. 6.</sup> vel parit potum, vel quidpiam facit ut maneat fæmina sterilis, vel ut non concipiat, non manet excommunicatus, nec irregularis.

Franc. Tempus animationis in masculis est spatium dierum quadraginta; in fæminis vero octoginta, vel circa: ut communiter tenetur cum philosopho l. 7. de animal. c. 3.

Rocaff. Tandem est dubium, Num ad vitandum infamiam, vel scandalum, quod sequitur, si sciatur fæmina <sup>l. unic. de s. præc. deca.</sup> illicitè esse gravidam, sit licitum procurare remedium <sup>n. 48.</sup> impediens conceptionem fætus? Resp. non licere: est enim contra ordinem naturæ impedire conceptionem fætus. Ex quo infertur nec licere fatum tam animatum quam non animatum excludere propter vitandam infamiam in fæmina, vel vitandum scandalum quod sequitur. Hoc nanque etiam est contra naturam: & consequenter illicitum.

## QUAESTIO LXVII.

*De bello. Num sit licitum?*2.2. q. 40.  
a. 1.

**D.** Thom. Licitum est justum bellum ad quod tria requiruntur. 1. *Authoritas Principis*, cuius mandato bellum est gerendum, cum ad ipsum competat cura Reipublicæ eius que defensio. 2. *Causa iusta*, ut scilicet, illi, qui impugnantur, propter aliquam culpam mereantur impugnationem. Vnde Aug. dicit in lib. 83. quæst. iusta bella solent definiri, quæ vlciscuntur iniurias, si gens, vel civitas plectenda est: vel reddere quod per iniuriam ablatum est. 3. *Ut sit intentio bellantium recta*, quæ scilicet intenditur vel ut bonum promoveatur, vel ut malum vitetur. Potesse autem contingere ut sit legitima authoritas indicentis bellum, & causa iusta, nihilominus propter pravam intentionem bellum reddatur illicitum.

1. contr.  
Falsum.

**Augu.** Nocendi enim cupiditas, vlciscendi crudelitas implacatus, & implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si qua sunt similia, hæc sunt quæ in bellis jure culpantur.

2.2. Guber.  
xpian. 1.  
35.

**Marquez.** Est etiam alia conditio requisita ad bellum justum, nimirum, *modus conveniens consistens in eo ut fiat bellum minori damno possibili & absque innocentium detrimento: nisi per accidens, & casu fiat eis damnum, quod vitari nequit, ad hoc ut delinquentes puniantur.*

## QVAESTIO LXVIII.

*Num sit licitum in bellis uti insidijs?*

**F**RANC. Licitum est. Nam Dominus jussit Josuæ Principi Hæbreorum, ut poneret insidias vrbi Hai, quas posuit Josuæ. Ergo licitum est uti insidijs in bellis. Iosua. 8.

Aug. Cum justum bellum suscipitur, ut aperte pugnet aliquis, an ex insidijs, nihil ad justitiam interest. 1. 83. quæst.

D. Thom. Insidiæ ordinantur ad fallendum hostes. Dupliciter autem aliquis potest falli ex dicto, vel facto alterius. 1. quia dicitur ei falsum, vel non servatur promissum: & hoc est illicitum semper & hoc modo nullus debet Hostes fallere. 2. potest quis falli, quia non aperimus ei nostrum propositum, ad quod non semper tenemur: imo est consilium bonum occultare consilia, & alia, quæ parantur ad hostium impugnationem. Et talis occultatio pertinet ad rationem insidiarum, quibus licitum est uti in bellis justis. Non enim hic est fraus, nec quidpiam repugnans justitiæ, nec ordinatæ voluntati. Effet enim inordinata voluntas, si quis vellet nihil sibi ab alijs occultari. 2. 2. q. 40. a. 3.

## QVAESTIO LXIX.

*Num liceat pugnare Clericis, & Episcopis?*

**A**CACI. March. Dico 1. Papa dispensare potest cum Clericis, & Religiosis, ut pugnent in bello justo quin incurrant irregularitatem. Nam ex solo jure positivo impediuntur præfati à pugnando proprijs manibus. Pariter incurrere irregularitatem occidendo, tantum v. Guerra. ref. 7. n. 1. n. 2.

est de lege positiva: Dico 2. Dum Respublica est in extrema necessitate, vel grauissima licet Clericis pugnare propria manu, dummodo sit bellum defensivum, & potius in defensionem propriam, vel suæ civitatis adhuc sine licentia Summi Pontificis. Vnde licite possunt pugnare contra hostes habentes urbem obsessam, cum adesse probabilitas, ipsis scilicet Clericis pugnantibus non capiendam urbem ab hostibus.

de s. prac  
de s. 26

Rocaff. Et in bello iusto pugnantes Clerici & occidentes propria manu, non erunt irregulares, si pugnent & occidant ad defensionem Regis, Principis, patriæ, quando aliter patria, aut exercitus deleteretur. Nec essent irregulares Clerici, qui in bello occiderent ad necessariam defensionem, parentum, & filiorum.

de p. 2. 2

Franc. Dubitatur autem: Num aliquando liceat Clericis pugnare in bello defensivo? Resp. cum Bannez, probabile esse posse Clericum in offensivo bello pugnare ad consequendam victoriam, si est id omnino necessarium; ex præsumpta voluntate Papæ.

vbi sup.

Acaci. March. Dicit Caietanus, Bannez, & alij posse Clericos propria manu pugnare, quando necessarium esset ad obtinendam victoriam ex qua penderet pax, bonum que commune Ecclesie: nam tunc jure naturali tenentur ad id.

vbi sup.

Rocaff. Non essent irregulares Clerici occidentes, quando ex parta victoria nasceretur pax, & bonum Ecclesie, & Fidei Catholicæ.

2. 2. q. 40.  
4. 2. ad 2.

D. Thom. Clerici autem ex autoritate Superioris possunt interesse bellis non vt propria manu pugnent, sed vt iuste pugnantibus spiritualiter subueniant suis exhortationibus, & absolutionibus, & similibus alijs huiusmodi spiritualibus subventionibus.



Villalob. Possunt quoque suadere, & inducere alios ad bellum justum, militibus que dicere vt viriliter pugnent in ipso bello, non tamen possunt in particulari dicere, percutite, mutilate &c. Nec possunt esse præpositi rumpentium machinis muros. *tra. 5. de bello diff. n. 2.*

Caict. In casu autem, in quo nisi aliqui Clerici pugnent, civitas vel exercitus evertitur ab hoste, non peccant Clerici pugnando manu propria: & licite Clericus sciens bene dirigere barbaras, alijs ad hoc non existentibus, vel alio simili casu, manu propria salvat patriam vel exercitum sine tali auxilio pereuntem. Et hoc intelligitur in bello defensivo. *2. 2. q. 40. a. 2.*

Silvest. Prælati Ecclesiæ ratione temporalis jurisdictionis licite possunt indicare bella. *v. bellum a. 3. q. 1.*

Villalob. Ratio est quia huiusmodi Prælati cum habeant dominium temporale supra Rempublicam, non esset perfectus Princeps, nisi posset iusta bella mouere. Vnde credendum est quod Pontifex Summus, cum præbet dominium temporale Episcopo, dispensat cum eo ad hoc, vt possit indicare bella iusta. *vbi supr. n. 4.*

Rocaff. Possunt etiam Monachi in bello aggressivo pugnare quando bellum est pro defensione totius Remplicæ: nam hoc est maxime necessarium ad prædictam defensionem. *vbi supr. n. 24.*

Villalob. Clerici propriæ manu præliantes, quando eis id non licet, si sint maioribus initiati, peccant mortaliter, & manent privati exercitio ordinum. Si sint minoribus ordinibus initiati, & habeant beneficium, asserit Molina, eos debere timere, ne forte peccent mortaliter, nisi prius renuntient beneficium, si quidem inhabilitantur ad beneficium habendum. Si vero non habeant beneficium, fruuntur tamen fori privilegio, peccant venialiter: secus si non gaudent prædicto privilegio. *vbi supr. n. 5.*

giosi laici peccant solum propter indecentiam, quod tamen peccatum meo iudicio non est mortale.

## QUAESTIO LXX.

*De nonnullis advertentijs attinentibus ad milites.*

v. bellum.  
n. 1.

**A**Rmilla. Quamvis ad bellum justum requiratur auctoritas Principis, quantum vero ad bellandum resistendo impugnantibus non requiritur dicta auctoritas: quia de jure naturali licet vim vi repellere à se, & à socijs cum moderamine inculpatæ tutelæ, & incontinentiæ.

In Enchy.  
c. 15. n. 15.

Mart. Nav. Peccat qui profisciscitur, aut vult in bellum profiscisci sciens illud esse iniustum saltem ex parte illius, cui vult opem ferre. Imo etiam si eo pergit stipendij solius intuitu nihil attendens an justum sit vel iniustum, siue sit subditus, siue non. Verum est tamen subditum posse iuste ad bellum profiscisci, si imperio Domini sui admonitus pergat, etiamsi non secum præmeditetur, an sit iustum, dum tamen credat esse tale.

22. q. 68.  
a. 8. ad 1.

D. Thom. Illi qui deprædantur hostes, si habeant bellum iustum, ea, quæ per violentiam acquirunt, eorum efficiuntur, vnde hoc nec est rapina, nec quid obligans ad restitutionem. Si vero, qui prædã accipiunt habeant bellum iniustum, rapinam committunt, & tenentur ad restitutionem.

l. vnic. de 5  
pra. dec. n.  
99. c. 100

Rocaff. In bello justo, in quo licent spolia, non possunt Ecclesiæ, & Monasteria spoliari. Alia autem licita spolia sunt distribuenda inter milites à duce, nisi consuetudo sit, ut vnus quisque capiat partem, quam potest. Cũ autem milites accipiunt spolia in bello iniusto, restitutio sic facienda est. Si vnusquisque per se spoliat tene-

vid. March  
v. guerra.  
res. 9. n. 3.

tur restituere, quod accepit. Si autem communi consensu concurrunt ad spolia, tenetur unusquisque in solidum: nam tunc omnes sunt in causa damni illati.

**Armill.** Reperti in teris iuste bellantium qui Dominis non dederunt consilium, auxilium, nec favorem non sunt expoliandi, nec in aliquo puniendi. Similiter neque Clerici, Religiosi, Conversi, Peregrini, mercatores transeuntes (non autem incolæ sm Caiet.) rustici euntes, & redeuntes, vel existentes in culturis agrorum, animalia quibus arant, & semina portant.

Caietanus tamen in summa ibi dicit, quod si civitas ex iusto bello in prædam daretur, liceret cuiusque civis bona diripere, licet aliquis eorum forte esset innocens, quia sententia iustitiæ bellicæ non tenetur discutere an aliqua pars Reipublicæ sibi iniuste hostis sit innocens, quia præsumitur tota hostis & totâ habet pro hoste, & totâ damnat, & iuste per se loquendo accipit, quâvis innocens per accidens patiat. Secus esset si ex intentione contra innocentem ageretur.

Existentes in bello peccant mortaliter opprimendo rusticos, & hospitando ad discretionem, ut dicitur, imo sine discretionem, & alia latrocinia committendo. Nec excusantur, si eis stipendia non dantur: quoniam ex hoc bona civium, vel rusticorum eis non sunt obligata. Neque authoritas Capitanei eos excusat, nisi in pœnam eis inflictam hoc fieret, ut si essent rebelles &c.

**Acaci. March.** Duces præsentantes plures milites, quam eos, quos sub se in Societate habent, ut accipiant stipendia eorum, quos fingunt vel substituunt, peccant mortaliter & tenentur ad restitutionem. Et iterum huiusmodi promilites, qui numerantur, quando fit recensensus militum etiâ peccant mortaliter, & tenentur ad restitutionem, nisi restituat Dux (qui eos fictè fecit

v. bellu  
n. 9. 10.  
c. 12.

v. Guerra.  
ref. 8. n. 1.

recenseri) ad integrum. Non tamen peccabunt isti promilites, nec cooperabunt peccato ducis, si ipsi ignorent intentum eius, nec constet eis, cur sic aduemerentur seu recenscantur.

Cur autem isti duces peccant? Prima ratio est quia capiunt stipendia eis non debita. 2. Quia fallunt Regē, & ducem generalem, qui confisi in numero militum recensitorum, & putantes sufficientes se habere ad prælium, incunt id, quod non inirent, si multo minorem esse scirent militum numerum, quam ipsi putabant. Et quidem propter paucitatem militum multoties perditur prælium. 3. Quia, duces qui dant officia militaria suis famulis, reservantes sibi partem stipendij eorum, peccant, quia dant honores militie indignis. Vnde Mercado dixit teneri præfatos duces ad restituendam partē stipendij, quam acceperunt, & reliquum stipendium quod indignis tribuunt. Id enim est contra voluntatem Principis nolentis indignis dari honores dignorum. Tenentur etiā hi duces ad restituenda damna secuta ex indignorum electione. Quod etiā habet Rodriguez.

de restit.  
tit. 15.

In sum. c.  
179. v.  
Guerr. n. 1

n. 2.

Poterit tamen Dux, cum non potest recuperare debita sibi à Rege stipendia, aliquomodo & secrete absque scandalo recuperare, non tamen cum damno belli.

Tenetur miles suum tenere locum, & non deserere nec fugere, alias peccabit mortaliter, tenetur enim ad id ex iustitia, ratione sui officij. Idem dicendū de duce. Hoc autem intelligitur in casu, quo eorum assistentia in tali loco esset utilis, secus aliter.

Franc. Tandem est dubium. Num liceat in mari duces nauium eas comburere, cum nulla est spes evadendi hostes, ne in horum manus veniant opes. Et quidem videtur quod non. Nam hæc combustio nequit fieri quin etiā ipsi duces & nauæ, & milites comburantur

voluntarie & proprijs manibus, ut ita dicam. Quod illicium est. Aliud videtur licere: nam si comburentes navem non intendunt se ipsos occidere, sed perdere opes, ne cum eis fiat hostis & bustior, cujus vires sunt contra bonum commune: unde per accidens sequitur ducum & militum occisio, seu combustio.

Nihilominus quamvis hæc ultima sit probabilis & teneatur a gravissimis Doctoribus afferendum est non licere præfatam combustionem, ex qua sequitur hominum mors à se ipsis, & non ab hostibus: nulli autem licet se ipsum occidere. Vid. Sagundez in 5. præc. decal. cap. 11. n. 6. §. Sed gravis dubium.

## QUÆSTIO LXXI.

*Quid sit scandalum*

**D.** Thom. Scandalum est dictum, vel factum minus rectum præbens occasionem ruinæ. Explicatur de finitio: nam hic minus rectum ponitur, ut comprehendantur dicta vel facta; tam ea, quæ sunt peccata, quam ea, quæ habent speciem mali, licet peccata non sint. Reliquæ voces definitionis significant Scandalum esse obicem in vita spirituali: nam quis disponitur ad spirituales ruinas per dictum, vel factum alterius: in quantum scilicet aliquis sua admonitione, vel inductione, aut exemplo alterum trahit ad peccandum.

Dictum autem vel factum alterius potest esse dupliciter alteri causa siue occasio peccandi. 1. Per se, cum quis suo malo verbo, vel facto intendit alium ad peccandum inducere: vel etiam si ipse non intendat, tamen ipsum factum est inductivum ad peccandum, ut cum quis publice facit peccatum, vel quod habet similitudi-

2. 2. q. 43.  
a. 1. per tot.

nem peccati. Et tunc ille, qui huiusmodi facit actum proprie dat occasionem ruinæ: vnde vocatur scandalum actiuum. 2. Per accidens, cum verbum vel factum vnius est alteri causa peccandi, præter intentionem operantis, & præter conditionem operis, sed quia quis est male dispositus ex huiusmodi opere inducitur ad peccandum, vt cum quis inuidet bonis aliorum. Et tunc ille, qui facit actum rectum, non dat occasionem, quantum in se est: sed alius sumit occasionem. Et ideo hoc est scandalum passivum sine activo. Quia, qui recte agit quantum est de se, non dat occasionem ruinæ, quam alter patitur.

Quandoque ergo contingit quod etiam sit simul scandalum actiuum in vno, & passivum in altero, vt cum ad inductionem vnius, peccat alius. Quandoque vero est scandalum actiuum sine passiuo: vt cum quis inducit verbo vel facto alium ad peccandum, & ille non consentit.

Franc. Est autem scandalum tam actiuum quam passivum peccatum vel mortale vel veniale sm quod fuerit ruina & eius occasio. Ad quorum intelligentiam sciendum est scandalum passivum non esse speciale peccatū, nam ex dicto vel facto alterius sumere occasionem ruinæ & ruere potest contingere sm quodcumque genus peccati. Scandalum autem actiuum ( de quo sm quod est scandalum per se inductivum cum intentione ad peccatum diximus esse peccatum ) potest accipi dnpliter. 1. Per accidens, vt cum quis peccans non intendit dare alteri occasionem ruinæ sed suæ satisfacere inordinatæ voluntati. Et hoc modo non est speciale peccatum scandalum distinctum ab alia specie peccati: nam quod est per accidens non constituit novam speciem. 2. Per se in quantum quis suo inordinato dicto, vel facto intendit alium

trahere ad peccatum : hoc modo est speciale proprium-  
que scandali peccatum.

Quare scandalum passivum erit peccatum veniale, cū  
quis ex inordinato facto, vel dicto alterius commove-  
tur motu venialis peccati. Erit autem mortale si ex  
præfata inordinatione procedit vsque ad mortale pecca-  
tum.


Scandalum autem activum, si sit per accidens, potest  
esse quandoque peccatum veniale, vt cum quis actum  
venialis peccati, vel actum qui non est *fm se* peccatum,  
sed habet speciē mali cum levi indiseretione committit.  
Potest quoque esse mortale, siue cum committit actum  
peccati mortalis, siue cum contemnit salutem proximi  
non prætermittens pro ea servanda quod sibi libet. Si  
vero scandalum activum sit per se, si per id intendatur  
inducere alium ad peccandum mortaliter, vel per actū  
mortalis peccati ad peccandum venialiter, est peccatum  
mortale. Est tamen veniale per actum venialis peccati  
inducere proximum ad venialiter peccandum.

D. Thom. Circa vitandum scandalum passivum, scien- *Ibid. a. 7<sup>o</sup>  
per 100.*  
dum quod ea quæ sunt de necessitate salutis non sunt  
prætermittenda propter vitandum scandalum passivum:  
in his autem spiritualibus bonis quæ non sunt de neces-  
sitate salutis videtur distinguendum: si enim ad hæc bona  
impedienda, concitentur scandala, hoc est ex malitia,  
& dicitur scandalum Pharisæorum qui de doctrina Do-  
mini scandalizabantur, quod esse contemnendum Do-  
minus docet Math. 15. Quandoque vero scandalum  
passivum procedit ex ignorantia, vel infirmitate, & hoc  
dicitur scandalum pusillorum propter quod sunt spiri-  
tualia bona, vel occultanda vel etiam interdum diffe-  
renda: vbi periculum non imminet, quousque reddita  
ratione huiusmodi scandalum cesset. Si autem post red-

ditam rationem, adhuc duret, videtur esse ex malitia: & sic propter id non sunt huiusmodi spiritualia opera dimittenda.

n. 8.

Circa temporalia quoque bona est considerandum: nam bona Ecclesiæ commissa Prælati, & bona cōmunia Reipublicæ Rectoribus imminent eis sicut & depositorum conseruatio eis, quibus sunt commissa ex necessitate. Et ideo non sunt propter scandalum dimittenda. Bona vero temporalia nostra, vel sunt dimittenda ne oriatur scandalum pusillorum, vel sedandum est scandalum propter aliquam admonitionem. Non autem sunt dimittenda propter scandalum Phariseorum.



## DE SEPTO RPÆCEPTO DECALOGI.

### QUÆSTIO LXXII.

*Num convenienter tradatur?*

**F**Ranc. Convenienter: sic enim traditur Exod. 20.  
Non mæchaberis.

*In Enchyry  
c. 16. n. 1.*

Marti. Nav. Hoc præcepto interdicitur nobis à Domino quæcumque carnalis copula extra legitimum matrimonium. Excusaret tamen vis absoluta, qua sine ullo consensu cogeretur quis ad copulam extra matrimonium, etiam si ex ea perciperet delectationem, cui tamen deliberata voluntate non consentiret, nan talis delectatio esset naturalis, non voluntaria. Vnde Lucia Virgo ad Paschasium, si invitam, ait iusseris me violari, castitas mihi duplicabitur ad Coronam. Ex quo apparet Virginem inuite violatam, permanсурam Virginem saltem quoad Deum.



Remig. Prohibentur etiam per hoc præceptum verba, & desideria venerea atque luxuriosa. in 6. præc. deca. 6. 7.

## QUAESTIO LXXIII.

### *De speciebus luxuriæ.*

**D**: Thom. Sex sunt species luxuriæ, scilicet Fornicatio simplex, Adulterium, Incestus, Stuprum, Raptus, & Vitia contra naturam. Nam peccatum luxuriæ consistit in hoc quod aliquis non secundum rectam rationem delectatione venerea utatur. Quod quidem contingit dupliciter. 1. secundum materiã, in qua huiusmodi delectatio queritur. 2. Quando materia debita existente aliæ conditiones non servantur. Et quia circumstantiæ, in quantum huiusmodi non dant speciem actui morali, sed eius species sumitur ab obiecto, quod est materia actus: ideo oportuit species luxuriæ assignari ex parte materiæ, vel obiecti. 2.2. q. 154. a. 1. per 10.

¶ Potest autem materia dupliciter rationi rectæ non convenire. 1. Quia habet repugnantiam ad finem veneri actus. Et sic in quantum impeditur generatio prolis est vitium contra naturam, quod est in omni actu venereo ex quo generatio sequi non potest. In quantum autem impeditur debita educatio, & promotio prolis natæ, est fornicatio simplex, quæ est soluti cum soluta.

2. Materia in qua exercetur actus venereus potest esse non conveniens rationi rectæ per comparisonem ad alios homines. Et hoc vel ex parte ipsius fæminæ, cui debitus honor non servatur: & sic est incestus, cum quis commiscetur mulieri consanguinæ, vel affini. Vel ex parte eius in cuius potestate est fæmina, quæ si est in

potestate viri, est adulterium, si in potestate Patris, Au-  
prum, si non inferatur violentia, raptus autem, si infe-  
artur.

Diversificantur autem istæ species magis ex parte sæ-  
minæ quam viri, quia in actu venereo sæmina se habet vt  
patiens & per modum materiæ. Et iste species fm ma-  
riam assignantur.

Franc. Videtur tamen insufficientem esse hunc nume-  
rum specierum luxuriæ. Nam hic non ponitur Sacri-  
legium, quod tamen species luxuriæ est cum quis misce-  
tur sæminæ obligatæ & sacratæ Deo per votum conti-  
nentiæ.

Præterea. Potest dari copula veneræ, quæ speciem  
sumat ex viro, & non ex sæmina, vt cum meretrix se  
immiscet viro nupto vbi reperitur adulterium, & tamen  
non ex parte sæminæ sed viri.

Tandem. Inter conjugatos possunt esse peccata specie  
distincta, vt si vir extra vas naturale seminaret. Vel si  
accederet ad sæminam alteri nuptam, cum qua surrep-  
titie vivente priori marito, nupsit, Ergo insufficientis est  
numerus præfatus.

Sed contra est, & ad 1. Dicendum quod mulier vo-  
vens continentiam, quoddam spirituale matrimonium  
facit cum Deo. Et ideo sacrilegium quod committitur  
cum tali sæmina est quoddam adulterium spirituale.

Ad 2. Dicendum verum esse posse contingere id  
quod dicitur in argumento, & comodo quo ibi dicitur  
sumendam esse speciem peccati: cæterum quia sæmina  
est patiens, & recipiens, Masculus autem agens, com-  
muniter sumuntur species luxuriæ ex parte patientis,  
sive materiæ recipientis.

Ad 3. Quod sermo est in præsentibus de conjugato legi-  
time se matrimonialiter miscenti uxori, non autem ac-

cedente ad uxorem, vel quæ non sit eius, uel cum contra naturam extra vas seminat: nam huiusmodi accessus non est matrimonialis. Quod autem hac vel illa circumstantia non impediente generationem proles vir, & uxor copulentur absque malo fine non mutat speciem; non enim est contra indebitam materiam.

## QVÆSTIO LXXIV.

*Num fornicatio simplex sit peccatum mortale?*

**D.** Thom. Absque omni dubio tenendum est quod 2.2 q.15.  
4.2. Fornicatio simplex est peccatum mortale. Ad huius autem evidentiam considerandum est quod peccatū mortale est omne peccatum, quod committitur directe contra vitam hominis. Fornicatio autem simplex importat inordinationem, quæ vergit in nocumentum vitæ eius, qui est ex tali concubitu nasciturus.

Videmus enim in omnibus animalibus, in quibus ad educationem proles requiritur cura maris, & fæminæ, quod in eis non est vagus concubitus, sed maris ad certam fæminam vnã, vel plures, sicut patet in omnibus auibus. Secus autem in animalibus in quibus sola fæmina sufficit ad educationē fætus, in quibus est vagus concubitus, vt patet in canibus, & huiusmodi alijs animalibus.

Manifestum est autem ad educandum hominem requiri curam matris, à qua nutritur, magis autem curam Patris, à quo est instruendus, defendendus, & promovendus in bonis exterioribus & interioribus. Vnde contra naturam hominis est vti vago concubitu, sed oportet, quod sit maris ad certam fæminam, cum qua permaneat diu, & per totam vitam. Et inde est quod natu-

raliter est maribus in specie humana sollicitudo de certitudine prolis, quia eis imminet educatio prolis: hæc autem certitudo tolleretur, si esset vagus concubitus. Hæc autem determinatio certæ fæminæ matrimonium vocatur, & ideo dicitur esse de jure naturali.

Sed quia concubitus ordinatur ad bonum commune totius humani generis, bona autem communia cadunt sub determinatione legis, ita etiam matrimonium lege aliqua determinatur. Et quidem quomodo sit apud Xptianos, in tractatu de Sacramento matrimonij dicitur. Fornicatio igitur, quæ est vagus concubitus, ut pote præter matrimonium existens, est contra bonum prolis educandæ & ideo est peccatum mortale.

Nec obstat si aliquis fornicando aliquam cognoscens sufficienter provideat proli de educatione: quia id quod cadit sub legis determinatione, iudicatur sicut id, quod communiter accidit, & non sicut id, quod in aliquo casu potest accidere.

Tolet. Est igitur simplex fornicatio, concubitus soluti cum soluta. Voco solutum, simplicem hominem, qui non habet statum coniugati, nec Clerici, nec Religionis, nec votum, sed est simplex homo. Voco solutam, similem fæminam, quæ jam amisit virginitatem.

Remig. Fictæ spondens solutæ se nupturum ei, intendens sic uti ea, non tenetur nubere, nisi in casu, quod soluta maneret impotens ratione scandali, & infamiæ, ut nuberet alijs. Si vero non fictæ, sed animo se obligandi promissit tenetur nubere ei. Secus cum sit promissio etiam jurata publicæ meretrici. Nam huiusmodi promissio est prodiga, nec obligat juramentum ad prodigalitatem, sed pro quantitate intra limites liberalitatis licita.

l. 5. c. 10.  
n. 2.

de 6. præc.  
d. cal. c. 7.  
n. 23.

Armill. De jure Canonico filij nati ex damnato coitu debent alia à parentibus : & huic juri statatur hodie etiam de jure civili, quia hoc induxit Ecclesia ex quandam naturali æquitate ne filij alimentis privati pereant.

## QUAESTIO LXXV.

### Quid sit stuprum?

**T**Olet. stuprum est Virginis fæminæ defloratio : cū enim vir primo defloratur non dicitur stuprum sed cum virgo fæmina defloratur. l. 5. c. 11. n. 1.

**Caiet.** Unde in Masculo primo coeunte cum meretrice, differentia stupri non salvatur, quia nec signaculum aliquod naturale perdit, quo inhabilior redditur conjugio, nec aliquid perdit quod paternæ custodiæ naturaliter sit commendatum ad servandum vsque ad coniugiū, ut patet ex hoc quod filij ante coniugiū post pubertatis annos, absque vlla custodia communiter discurrunt. Et hinc habes, quod, si masculus confitetur de luxuriæ peccato, non oportet quærare, si erat Virgo. 2. 2. p. 154. sup. 4. 6 9. Ad 2. dubium.

**Joannes Enriquez.** Communiter asseritur à Doctores modernis per probabiliter Virginem voluntarie consentientem absque violentia actui luxurioso non committere peccatum stupri sed simplicis fornicationis. Unde infertur fæminam consentientem cogitationes luxuriosas, quibus consensum præbuit, non teneri ad exprimendum se esse virginem. Nam supposito stuprum voluntarium esse eiusdem speciei cum simplici fornicatione sequitur cogitationes luxuriosas fæminarum virginum non distingui à cogitationibus fæminarum quæ virgines non sunt. sect. 8. q. 1. n. 2. & 4.

sup. Mach.  
so. 1. 174.  
18. l. 2.  
par. 3. § 2.

Franc. Apolinar. Secundum jus Canonicum tenetur stuprator nubere complici, & competentur dotare eam: si autem fuerit Clericus tenetur dotare eam.

In promt.  
n. 21.

Remig. Est autem considerandum quod estрупator ultra peccatum strupi, quod committit deflorans Virginem, si fecit ei vim, vel falsis verbis eam fefellit, tenetur nubere ei, dummodo sint æquales: si tamen ipsa, vel ipsius Parentes noluerint tenetur eam dotare. Ad quam dotem dandam etiam tenetur si quis nuptus & Clericus virginem, deflorat. si autem Virgo absque vi, vel fraude voluntarie consensit se struari: dabitur ei aliquid charitable, non vero ex justitia.

Vnde qui frequentibus blanditijs, precibus, donis utitur virgine non tenetur ad restitutionem: nam hæc omnia non faciunt vim, nisi essent Personæ Potentis, de cuius manu sperabat virgo remedium: talis enim Personæ instantiæ, & frequentes suasiones moraliter, licet non phisice, auferunt libertatem.

Franc. Dos vero aut restitutio, quæ facienda est Virgini deflorate, debet esse saltem talis, ut possit adipisci maritum talem, qualem adipisceretur, si deflorata non fuisset: vel saltim talis ut cum ea restitutione possit reponi in aliquo honesto loco, in quo Dei obsequio vivat. Ita ex Nav. in Enchy. c. 16. n. 17. & 18.

vbi supr.  
q. 3 n. 11.

Joannes Henriquez. Sciendum tamen advertere lesium, quod si vir potens & magnus occulte vteretur virgine in honeste, inferioris multo fortis, spondens, fecte, se ei nuprurum, quod ei non manet obligatus, tenebatur enim ipsa scire id esse fictitium, si autem promissio facta esset coram multis, manet obligatus ad nubendum, ne infametur virgo.

In Enchy.  
c. 16. n.  
18.

Nav. In casu autem quo potens & dives obligatur promissione jurata ad ducendam vxorem virginem inæqualem,

qualem, puta mechanici, vel Agricolaë filiam, dummodo ea potiatur, tenetur ad eam ducendam, vel dotandam, & maxime si non posset habere ei. quia maximum aliquod scandalum probabile esset sequendum ex matrimonio.

## QUAESTIO LXXVI.

### *Quid sit Raptus?*

**D.** Thom. Raptus quandoque est idem cum stupro, quandoque est sine stupro, & quandoque strupum sine raptu. Concurrunt quidem in idem quando aliquis violentiam infert ad virginem illicite deflorandam: quæ quidem violentia infertur quandoque tam virgini quam Patri: quandoque virgini non, sed Patri, cum scilicet ipsa consentit, ut per violentiam de domo Patris abstrahatur. Differt etiam violentia, & raptus alio modo quia quandoque puella violenter abducitur à domo parentum, & violenter corrumpitur: quandoque autem, & si violenter abducatur, non tamen violenter corrumpitur, sed de voluntate virginis, siue corrumpatur voluntario concubitu, siue matrimoniali. Qualitercumque enim violentia adsit, salvatur ratio raptus, Invenitur autem raptus sine stupro, ut si quis rapiat viduam, vel puellam corruptam. Strupum vero sine raptu cum quis absque violentia virginem illicite deflorat.

2.2.4.154.

6. 7.

Toler. Raptus potest esse, non solum Virginis, sed etiam solutæ conjugatæ, & sponsæ, & tenetur raptus restituere raptam vel sponso, vel marito, vel Patri, si Virgo sit rapta. Et in Concilio Tridentino raptores decernuntur infames, ipso jure excommunicati, omnium dignitatum incapaces: & non solum hi, sed omnes Consilium auxilium, & favorem dantes. Ultra hoc raptor

l. 5. c. 12.

nu. 2.

sess. 24. c. 6

tenetur dotare raptam, siue ducat eam, siue non: tamen nullum est matrimonium cum ea, nisi prius in loco tuto, & libero ponatur, ut, si velit, consentiat, & quamvis consentiat, & fiat matrimonium, tamen prædictæ pænæ incurruntur.

Ulterius, qui rapit alienam sponsam, non potest amplius matrimonium contrahere, estque impedimentū impediens contrahendum, sed non dirimens contractum.

v. luxuria  
resol. 205.  
p. 4. 5

Acaci. March. Ad raptum requiritur quod fæminæ vi abducatur libidinis causa: vnde si abducenteâ ad captivandum non esset raptus. Erit tamen raptus, si ea nolente vi abducatur eius parentibus consentientibus; & etiam: si ea volente abducatur parentibus, vel curatoribus eius non consentientibus. Cæterum non erit raptus cum ipsa consentit, dummodo præcesserint sponsalia de futuro: esto tunc Parentes non consentiant in raptum.

## QUAESTIO LXXVII.

*Quid sit adulterium?*

2.2.9.154  
a.8.

**D** Thom. Adulterium est accessus ad alienum thorum, Vbi dupliciter delinquit aliquis contra castitatem, & humanæ generationis bonum. 1. In quantum accedit ad mulierem non sibi matrimonio copulatâ, quod requiritur ad bonum prolis propriæ educandæ. 2. Quia accedit ad mulierem alteri per matrimonium copulatam, & sic impedit bonum prolis alienæ. Eadem ratio est de muliere coniugata, quæ per adulterum corrumpitur.



Acaci. March. Tripliciter potest contingere peccatū adulterij. 1. Cum solus vir est coniugatus. 2. Quando fæmina sola est coniugata. 3. Cum vterque est coniugatus. Et in hoc ultimo casu est duplex malitia vt communiter tenent Doctores, nonnullis exceptis. Vnde in Confessione necessario est aperienda hæc duplex malitia.

v. luxur.  
reso. 206.  
n. 3.

In casu quo adultera habuerit filios ex adultero, tenetur ex proprijs bonis recompensare damnum filijs legitimis, absque tamen vitæ, vel famę periculo: alias plus debito solueret, cum potiora sint vita & fama, quam res externæ. In casu autem dubij fundati, & prudentialis, num filius sit propriij viri an adulteri, ad nihil tenetur sm communem Authorum sententiam.

n. 5.

Remig. In casu vero, quo mulier certo scit filium esse ex adulterio, & non habeat bona ad recompensanda damna filijs legitimis, debet hortari eum vt ingrediatur Religionem, & laborabit maiori sollicitudine quam eius status exigat ad recompensandum damnum meliori possibili modo.

i 6. n dr. 7  
dal. eccl. 8  
n. 27.

Eadem quoque obligatione tenetur aduiter: licet sit probabilis opposita sententia, dummodo non suaserit adulteræ, vt spurium supponeret marito. Cæterum relictis opinionibus, tenetur adultera ad allendum filium ab ætate trium annorum, vsque ad ætatem in qua possit acquirere sustentationem.

n. 28.

Cum autem adultera in articulo mortis confitetur hoc peccatū, Confessarius prudenter debet se gerere in manifestando adulterio. 1. Quia filius non tenetur credere. 2. Quia si mulier conualecat, forte maritus eam occidet. 3. Quia, licet moriatur mulier, potest periclitari vita tam spurij quam Confessarij. Sciat igitur num mulier sit diffamata de hoc, & maritus an sit lenis, tunc

n. 30.

enim poterit dicere ei, vt parcat, & sic adimplet hanc obligationē, & nullum est periculum vitæ.

Tolet. Si filius adulterinus fidem adhibeat matri, tenetur relinquere hereditatem, quamuis non teneatur eam reddere, quæ bona fide consumpsit.

Franc. Licitum est ad occultandam infamiam, vel vitæ periculū in adulterio filios exponere hospitali, dummodo Pater, & Mater restituant omnes expensas hospitali si habeant, vnde possint reddere. Si vero pauperes sunt, non tenentur, quia talia loca pro pauperibus instituta sunt. Debent tamen curam animæ pueri multam habere. Et hinc datur aliquod arbitrium ad vitandam vitæ, & famæ periculum, quod ex declaratione filiorum expuriorum vergere potest.

## QVAESTIO LXXVIII.

*Quid sit incestus?*

Franc. Incestus est abusus personarum coniunctarū: sive, copula carnalis illicita inter personas consanguineas, vel affines in gradibus prohibitis. Est autem triplex coniunctio. 1. Consanguinitatis procedentis ab eadē stirpe, vel directe vt à Patre filius, filijque filius &c. vel transversaliter vt fratres, consobrini, qui inuicem à se non ducunt originē, non enim est frater à fratre, vel consobrinus à consobriño: & ad hanc coniunctionē reducitur finitas proueniens à copula licita, vel etiam illicita. 2. Est coniunctio à cognitione spirituali Baptismi, & Confirmationis proueniens. 3. Est legalis per adoptionem, per quam persona extranea assumitur in filium.

Acaci. March. Qui carnaliter copulatur personæ descendenti à copulantis stirpe usque ad quartum gra-

dum inclusive per lineam transversalem, vel personæ per lineam rectam descendenti à copulante, in omnibus gradibus committit peccatum incestus. Si vero copula sit cum consanguinea vxoris, vsque ad prædictum quartum gradum committit incestum affinitatis, & peccatū adulterij, & manet priuatus ad petendum debitum (non tamen soluendi si ab eo petatur) si copula fuit intra secundum gradum inclusive. Idem dicendum de fæmina carnaliter cognoscente consanguineum mariti intra ipsum gradum.

Remig. Obtenta autem dispensatione ab Episcopo, vel Confessario regulari approbato cum speciali licentia à Provinciali poterit huiusmodi incestuosus petere debitum. *in 6. præc. decal. c. 7. n. 32.*

Acaci. March. Nam tutius est Confessarios Regulares debere esse adhuc effectum deputatos a suis Provincialibus. Semel tamen facta hoc deputatione, esto moriatur Provincialis, non spirat potestas iam data. *ibid. n. 48*

Toletus. Qui cum consanguinea vxoris rem habuit, non potest ( ipsa mortua ) amplius ducere sine dispensatione. Imo etiam, qui rem habuit cum consanguinea, cum qua fornicatus est, non potest ducere vxorē: nam fornicatio etiam facit affinitatem; potest tamen Episcopus dispensare vt incestuosus ducat vxorem, si prior moriatur, aut si incestuosus non erat conjugatus. *l. 5. c. 12. de n. l. c. 2.*

Remig. Committit enim incestum, qui habet carnalem copulam cum cognata concubinæ vsque ad secundum gradum: vnde qui carnaliter cognoscit filiam, matrem, sororem, vel sobrinam mulieris, cum qua habuit accessum carnalem, debet circumstantiam pandere in confessione. *In sum. tra. 2. c. 6. §. 9.*

*l. 4. de sexi  
prae. dec.  
n. 71.*

**Rocaff** Dubium est an incestus affinitatis, qui per fornicationem committuntur in viris, & faeminis matrimonio solutis sint vere, & proprie incestus per se, & ex natura rei. V. g. coiuit quis cum matre aliena, & postea cum filia eius, aut coiuit cum sorore aliena, & postea cum sorore eius, an isti coitus fornicarij cum affinibus per fornicationem sint vere & proprie incestus? In hoc certum est, quantum ad matrimonium esse incestus in primo, & secundo gradu juxta Tridentinum.

*n. 75.*

Vnde Accessus ad consanguineam eius, cum qua quis fornicatus est, si sit consanguinea in tertio vel quarto gradu, non est incestus post Tridentinum: nam cessavit post Tridentinum prohibitio matrimonij inter affines extra primum, & secundum gradum. Ergo & cessavit incestus.

*sess. 24. de  
matrimon.  
c. 4.*

**Franc.** Cognatio spiritualis est inter Baptizantem, & baptizatum, inter Confirmantem, & Confirmatum. Item inter Patrinum, Baptizatum, & inter Patrinum & Confirmatum. Item baptizans, & Confirmans contrahunt spirituales cognationem cum Parentibus baptizati, & Confirmati. Pariter Patrini Confirmationis, & baptismi, & Confirmationis contrahunt spirituales cognationem cum Parentibus baptizati, & Confirmati.

*vbi nup.  
n. 99.*

**Rocaff.** Vnde incestus ex cognatione spirituali tunc reperitur quando est coitus baptizantis, vel Confirmantis, & patrinorum Confirmationis vel baptismi ex vna parte, cum persona baptizata, vel confirmata ex alia. Et coitus Patris vel matris baptizati, vel confirmati ex vna parte, cum baptizante, vel confirmante, vel Patris baptismi vel confirmationis ex alia.

*in sum. in  
6. prae. dec.  
§. 9. n. 6.*

**Remig.** Et huiusmodi incestus habet duplicem malitiam, primam incestus, secundam sacrilegij: quia pro

hibitio ista oritur præcipue ex reverentia debita Sacramentis: & præter hoc impedit petitionem debiti.

Rocaff. Incestus ex cognitione legali tunc reperitur quando est coitus inter adoptantem, & adoptatum, & eius-filios, & successores in linea recta, & inter adoptatum, & filios naturales adoptantis, & inter adoptatū & uxorem adoptantis.

Salazar. Nam cognitio legalis est inter adoptantem, & adoptatum, & filios amborum vsque ad quartum gradum: inter uxorem adoptati & adoptantem. Inter adoptatum, & filios legitimos, & naturales adoptantis quantum fuerint sub Patris potestate.

ubirup. n.  
58.

in. preempt.  
tra. 10. de  
matrim. in  
impedi. cog  
nationis.

## QUAESTIO LXXIX.

*Num sacrilegium possit esse species luxuriae?*

**D.** Thom. Sicut iniquum est, ut Augu. dicit 15. de civi. Dei c. aviditate possidendi transgredi limitem agrorum, ita etiam est iniquum libidine concumbendi subvertere limitem morum. Sed transgredi limitem agrorum in rebus sacris est peccatum sacrilegij: ergo pari ratione subvertere limites morum libidine concumbendi in rebus sacris facit sacrilegij vitium: sed libido concumbendi pertinet ad luxuriam. Ergo sacrilegium est luxuriae species.

2. 2 q. 157  
4. 10.

Actus enim unius virtutis vel vitij ordinatus ad finem alterius assumit speciem illius, sicut furtum, quod propter adulterium committitur transit in speciem adulterij. Manifestum est autem quod observatio castitatis scilicet quod ordinatur ad cultum Dei, fit actus religionis, ut patet in illis, qui vovent & servant virginitatem. Unde manifestum est quod etiam luxuria scilicet quod violat aliquid ad divinum cultum pertinens pertinet ad speciem

sacrilegij. Et sm hoc sacrilegium potest poni species luxuriæ.

Potest autem sacrilegium concurrere cum diversis luxuriæ speciebus: si enim quis abutatur persona sibi coniuncta per spiritualem cognationem committit sacrilegium ad modum incestus. Si autem abutatur virgine Deo sacrata in quantum est sponsa Christi, est sacrilegium per modum adulterij. In quantum vero est sub spiritualis Patris cura constituta, erit quodam spirituale stuprum. Et violentia si inferatur, erit spirituslis raptus.

*I*  
*n sum. 176*  
*2. c. l. 5. 5.*  
*n. 3.*

Remig. Committitur etiam sacrilegium contra locū sacrum per effusionem mortaliter culpabilem humani seminis. Et iterum per copulam conjugalem habitam in Ecclesia abs periculo incontinentiæ. Nomine Ecclesiæ intellige spatium quod continent Ecclesiæ parietes, non cellulas Confessariorum, Turrim cymbalorū, Sacristiam, Dormitorium, & Claustrum Monasterij, nec Oratoria.

Dixi, sine periculo incontinentiæ: nam cum periculo, vt quando coniugati recluduntur in Ecclesia per longum tempus, puta per mensem, docet Sanchez non peccare eos in copula conjugali. Lessius quatuordecim dies ponit pro longo tempore. Suarez vero tenet quatuor vel quinque dies sufficere vt à peccato excusentur.

*l. 5. c. 12.*  
*n. 4.*

Tolet. Copula autem conjugatorum conclusorum in Ecclesia, si non sit ad vitandum incontinentiam, & peccatum carnis quo vexatur coniux, sed ad alium finem, vel delectationem, vel filiorum procreationem, sine necessitate tamen vel periculo incontinentiæ est quid illicitum, & peccatum mortale.

## QUAESTIO LXXX.

*Num in tactibus, & osculis consistat peccatum?*

**D.** Thom. Minus est aspectus libidinosus, quam 2.2.9.154  
 tactus, amplexus, & osculum: sed aspectus libi- 4.4.  
 dinosus est peccatum mortale sicut illud Math. 5. Qui vi-  
 derit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœcha-  
 tus est in corde suo. Ergo multo magis osculum libidi-  
 nosum & alia huiusmodi sunt peccata mortalia.

Franc. Sciendum tamen quod osculum amplexus,  
 & tactus cum abs libidine fiunt, vel propter consuetu-  
 dinem patriæ, vel propter aliquam necessitatem, vel  
 rationabilem causam, non esse peccata mortalia, sed  
 quando sunt libidinosi, & propter delectationem.

**D.** Thom. Nam consensus in peccati mortalis dele- ubi sup.  
 ctationem, est peccatum mortale, & non solum consen-  
 sus in actum. Et ideo, cum fornicatio sit peccatum mor-  
 tale, & multo magis aliæ luxuriæ species: consequens  
 est, quod consensus in delectationem talis peccati sit  
 peccatum mortale, & non solum consensus in actum.  
 Et ideo, cum oscula, & amplexus huiusmodi propter  
 delectationem huiusmodi fiant, consequens est quod  
 sint peccata mortalia, & sic solum dicuntur libidinosi,  
 & ut libidinosi sunt peccata mortalia.

Verum est tamen, quod oscula & tactus sicut se non im-  
 pediunt bonum prolis humanæ, cum vero procedunt  
 ex libidine, quæ est radix huiusmodi impedimenti, ha-  
 bent rationem peccati mortalis.

**Caieta.** Hinc sequitur, quod oscula & huiusmodi ad loc. cit.  
 cum uxore ad concubitum matrimonialis delectationem, D. Th. 9. 1.  
 cum soluta ad fornicationis delectationem, cum consan-

guinea ad incestus delectationem spectant. Et propterea cum vxore non sunt peccata mortalia, cum alijs autem sunt mortalia peccata.

*In prompt.*  
c. 6. n. 9. Remig. Qui autem carnaliter novit foeminam, non tenetur aperire in confessione oscula, tactus, verba que turpia, quæ præcesserunt copulam, vel immediate ad eam sequuta sunt: nam, cum hæc omnia ordinentur ad copulam, includuntur in eodem actu.

n. 10. Pariter. Qui habuit oscula, tactus que lascivos cum fæmina, vel é contra non tenetur declare partem tactã: nam vel sint in pectore, vel in scapulis, differentia solû est penes magis & minus: dummodo non fuerint tactus specie diversi, vt sodomitici.

n. 6. Sunt etiam peccata mortalia tactus in partibus inhonestis, sicut etiam desiderare, videre, nam provocant nimie ad consensum.

*ubi supr.*  
q. 3. Caieta. Mulier sciens se tangi mala intentione si tactus sint ex suo genere veneri, vt tactus pudendorum, oscula furtiva, & si quid est huiusmodi, se debet subtrahere ab istis actibus exterius impudicis, alias peccat mortaliter. Secus si more patriæ se desinat tangi, osculari, vt cum consobrinus mulieris reuertitur, & de more osculatur eam. Quamvis tunc sciat fæmina, quod ex libidine iste osculatur eam, non tenetur repellere eum coram alijs ab osculo licito, nec consentiendo tali osculo, libidini illius, qui ex mala intentione illud facit, se sociat, sed bono moris, quo ille abutitur in corde suo, & vnde accipit scandali occasionem non sibi datam.

Et ex hac ratione excusatur mulier, quæ non omittit itinera, aut opera sua in loco vbi scit se videri ad concupiscentiam. Consentendo siquidem vt videatur ex hoc quod transit per loca in quibus sic videtur, nullo malo consentit, sed alij videndo apponunt libidinem suam visioni, quæ licita est de se, & communis.



## QUAESTIO LXXXI.

*Num pollutio nocturna sit peccatum?*

**D.** Thom. Nocturna pollutio dupliciter potest con- 2. 2. q. 154  
siderari. Vno modo in se: & hoc modo non ha- 4. 5.  
bet rationem peccati. Omne enim peccatum dependet  
ex iudicio rationis: quia etiam primus motus sensualitatis non habet, quod sit peccatum, nisi in quantum iudicio rationis reprimi potest: & ideo sublato iudicio rationis tollitur ratio peccati. In dormiendo autem ratio non habet liberum iudicium. Nullus enim est dormiens, qui non intendat aliquibus similitudinibus phantasmatum, velut rebus ipsis. Et ideo id, quod agit homo dormiens, qui non habet liberum iudicium rationis, non imputatur ei ad culpam, sicut nec illud quod agit furiosus, aut amens.

Alio modo potest considerari nocturna pollutio per comparationem ad suam causam, quæ potest esse triplex. Una quidem corporalis. Cum enim humor seminalis superabundat in corpore, vel cum facta est humoris resolutio, vel per nimiam calefactionem corporis, vel per quancumque aliam commotionem somniat dormiens ea, quæ pertinent ad expulsionem huius humoris abundantis, vel resoluti, sicut etiam contingit, quando natura gravatur ex aliqua superfluitate alia: ita quod quandoque formantur in imaginatione phantasmata pertinentia ad emissionem talium superfluitatum.

Si igitur superabundantia talis humoris sit ex causa culpabili, ut ex superfluitate cibi, vel potus, tunc nocturna pollutio habet rationem culpæ ex sua causa; si autem superabundantia, vel resolutio talis humoris non sit

ex aliqua causa culpabili, tunc nocturna pollutio non est culpabilis, nec in se, nec in sua causa.

Alia causa nocturna pollutionis potest esse animalis interior, vt cum ex cogitatione præcedenti contingit aliquem dormientem pollui. Cogitatio autem quæ præcessit in vigilia quandoque est pure speculatiua, vt cum quis causa disputationis cogitat de peccatis carnalibus. Quandoque autem est cum aliqua affectione, vel concupiscentiæ vel horroris. Contingit autem magis pollutio nocturna ex cogitatione carnalium vitiorum, quæ sunt cum concupiscentia talium delectationum quia ex hoc remanet quodam vestigium & inclinatio in anima ita quod dormiens facilius inducitur in sua imaginatione ad assentiendum actibus, ex quibus sequitur pollutio.

Et sic patet, quod nocturna pollutio habet rationem culpæ ex parte suæ causæ. Quando autem contingit ex præcedenti cogitatione carnalium actuum, etiam speculatiua, vel si sit cum horrore, tunc pollutio sequuta in somnis non habet rationem culpæ, nec in se, nec in sua causa.

Tertia vero causa est spiritualis extrinseca, vt cum ex operatione demonis commouentur phantasmata dormientis in ordine ad talem affectum. & hoc potest esse cum peccato præcedente, scilicet negligentia præparandi se contra dæmonis illusiones. Vnde & in sero cantatur. Hostemque nostrum comprime, ne polluantur corpora.

Quandoque vero est absque omni culpa hominis ex sola nequitia dæmonis. Sicut in collationibus Patrum legitur de quodam, qui semper in diebus festiuis pollutionem nocturnam patiebatur, hoc diabolo procurante vt impederetur à sacra communione. Sic igitur patet quod nocturna pollutio nunquã est peccatum, sed quando est sequela peccati præcedentis.

Caiet. Nam homo in somno non est Dominus suorum <sup>(sup. D. Th. bic.)</sup> actuum, ut possit peccare, cæterum per accidens potest peccare in somno, utendo eo ut instrumento malitiæ suæ. Vnde persona ideo dormiens ut polluatur vel ex somno, vel situ dormientis, vel ab alio, peccat mortaliter: ita quod peccatum inchoat elicitive, & imperative in vigilia, & consumatur per instrumentum somni executive in ipsa pollutione.

Nec obstat, quod non est in potestate sua, ex quo dormit inhibere pollutionem, sicut non obstat peccato homicidij per longum jactum bombardæ, quod ex quo emissa est, non est in potestate eius, qui emisit, inhibere homicidium: fat est enim quod in principio fuerit voluntarie imperata, & applicata sint instrumenta executive.

Rocaff. Ulterius potest nocturna pollutio esse peccatum mortale, quamvis in se non fuerit, quando ea approbatur postquam contigit. Sicut etiam peccatum est approbatio homicidij, quod quis fecit dormiendo. In casu autem quo quis det causam ad pollutionem intendens eam, si postea conteratur, & sequatur pollutio in somnis, tunc non imputatur ad culpam.

*lib. 6.**de 6. præc. dec. n. 201. & 206.*

Remig. Est Generalis regula à gravibus authoribus sancita pollutionem ortam ex peccato mortali in genere luxuriæ esse peccatum mortale, & veniale cum ex veniali oritur. Vnde si ex alio genere peccati mortalis oritur pollutio non intenta, imo contra voluntatem, & sine periculo consentiendi ei, non erit peccatum mortale, sicuti non est pollutio proveniens ex ebrietate, quæ est peccatum gulæ.

*in. promt. p. c. 7. n. 34.*

Hinc infertur 1. pollutionem causatam ex aspectu curioso feminae pulchrae non esse peccatum mortale, dummodo non fuerit intenta, & desit periculum consentien-

di ei. 2. Neminem teneri relinquere opus licitum, esto sciat sequendam esse pollutionem contra suam voluntatem, & sine periculo relato. 3. Non esse peccatum mortale pollutionem non intentam, quam habet vel patitur semidormiens, deficit enim ei tunc deliberatio plena.

vbi sup.  
n. 108.

Rocaff. Vnde pollutio incepta in somno, & profecta in vigilia non est peccatum, quando voluntas illi non consentit, quia tunc naturaliter continuatur sicut naturaliter incæpit: & si quis certus est se non consensurum non tenetur illam reprimere, sed permittere effectum illum naturalem causæ inculpabilis vt docent Sa, & Fagundez citati à Diana p. 3 tra. 5. resol. 2. Quando tamen homo experge factus à somno consentit pollutioni, quæ continuatur in vigilia, peccat, nam pollutio, quæ incæpit naturaliter, incipit esse voluntaria, cum ei consensus præbetur post somnum.

## QVÆSTIO LXXXII.

*De delectatione morosa in venereis?*

v. delectat.

**A**Rmilla. Delectatio morosa, hoc est voluntaria quando scilicet homo delectatur de actu malo cogitato sine voluntate tamen perficiendi talem actum malum, potest considerari ex parte actus de quo est delectatio, cuius est etiam obiectum, & ex parte consensus. Ex parte actus si sit mortalis, & delectatio morosa de eo erit mortalis, vt de adulterio, & huiusmodi. Si est venialis, similiter delectatio erit venialis.

Ex parte autem cogitantis iuxta veritatem deliberati consensus iudicanda est. Nam si cogitando de actu quantumvis malo, persona delectetur non aduertens

id de quo delectatur : quia si adverteret non approbaret, etiam si per vnum diem sic cogitando delectaretur, non est peccatum mortale, quia rationalis consensus ibi non est : Si vero plene advertens consentit in illam positive, peccat mortaliter, si materia sit peccatum mortale.

Discutere etiam oportet causam quare talis delectatio, seu cogitatio delectabilis continuatur : quia si ex complacentia illius delectationis provenit quod negligit expellere illam continuationem delectationis morosa, & voluntaria. Si autem non ex complacentia sed ex negligentia non æstimatæ cogitationis, vel delectationis, propter quam non timet ruere confidens in voluntate sua constanti, tunc venialiter peccat, negligens extirpare bella, & pericula.

Marti. Nav. Vnde coniux post mortem coniugis meminers actum carnalium licite habitum : nunc tamen delectans se morose carnaliter & gaudens hac delectatione, vel advertens sensualitati suæ inesse eam, ac exponi se periculo pollutionis, vel consentiendi ei, peccat, si non expellit, aut nititur expellere. Verum tamen est viduum, & viduam licite posse, & meminisse copularum carnalium temporis præteriti, & gaudere, quod eas habuerint (matrimonio durante) & quod in eis delectati fuerint : imo & velle illas habere, si qua ratione fieri possent licite.

*v. cogitat.**In Enchyri.  
c. 16. n. 10.*

## QUAESTIO LXXXIII.

*De Vitijs contra naturam.*

**F**RANC. Vicia contra naturam attinent ad luxuriam, & huius species annumeratur, quia in eis occurrit specialis ratio deformitatis, quæ facit indecentem actum venereum. Quod quidem fit, vel quia repugnat rationi rectæ, quod est commune in omni vitio luxuriæ, vel quia etiam super hoc repugnat ipsi ordini naturali veneri actus, qui convenit humanæ speciei, quod dicitur vitium contra naturam.

2. 2. q. 154  
4. 11.

**D.** Thom. Hoc autem contingit 1. Si absque omni concubitu causa delectationis veneræ pollutio procurretur, & hoc est peccatum immunditiæ quæ appellatur Mollities. 2. Si fiat per concubitum ad rem non eiusdem speciei: quod vocatur Bestialitas. 3. Si fiat per concubitum ad non debitum sexum, puta masculi ad masculum, vel femine ad feminam, quod dicitur vitium Sodomiticum. 4. Si non servetur naturalis modus concubendi aut sine instrumentum non debitum, aut quantum ad alios monstruosos, & bestiales concubendi modos.

## QUAESTIO LXXXIV.

*De gravitate peccatorum carnalium.*

l. de adult.  
coniug.

**D.** Augu. Omnium horum vitiorum (scilicet quæ ad luxuriam pertinent) pessimum est, quod contra naturam fit.

**FRANC.** Nam in quolibet genere pessima est principij corruptio, ex quo alia dependent; principia autem rationis

tionis sunt ea, quæ sunt sm naturam. Nam ratio præsuppositis his, quæ sunt à natura determinata, disponit alia sm quod conuenit. Quia ergo in vitijs contra naturam, transgreditur homo id quod est sm naturam determinatum circa vsum venererorum, inde est quod in tali materia hoc peccatum est gravissimum. Post quod est incestus, qui est contra naturalem reverentiam, quam personis coniunctis debemus.

Rocaff. Est tamen dubium an sint varie species incestus? & in primis existimo incestum consanguinitatis, & affinitatis differre specie morali.

l. 6. de 6.  
prac. deca.  
n. 70.

D. Thom. Quia tamen persona affinis coniungitur alicui propter personam consanguinitate coniunctam. Ideo quia vnum est propter aliud eiusdem rationis inconvenientiam facit consanguinitas, & affinitas.

Franc. Vnde licet aliquo modo grauior sit incestus cum consanguineis, quam cum affinibus tamen non differunt specie, & sic specificè vterque incestus est æque gravis quoad essentiã, sicut furtum decem, & duodecim regaliũ.

2. 2. q. 154  
n. 9. ad 2.

Rocaff. An vero incestus consanguineorum inter se in primo, secundo, tertio, & quarto gradu, & similiter incestus affinium in his gradibus distinguantur specie, quæstio est. Afferit que Azor solum differre istos gradus sm maiorem aut minorem violationem pietatis consanguineis debite, & hanc sententiam sequitur Diana cum alijs. A deo vt etiam si sit incestus cum filia, vel sorore non velit differre specie, nec esse circumstantiam in confessione manifestandam. At vero Vazquez existimat differre specie incestum cum parentibus ab omnibus alijs incestibus propter specialem deformitatem, quæ oritur ex peculiari reuerentia parentibus debita, quæ non debetur alijs consanguineis.

Ibid. n. 70.

tom 3. l. 3.  
c. 9.

tra. de circ.  
resol. 31.

apud Lugo  
de panis.  
disp. 16.  
sect. 3. n.  
143.

Lugo etiam probabile existimat differre specie incestum

cum fratre aut sorore ab alijs incestibus, in reliquis autē gradibus prohibitis transversalibus tenet cum alijs non differre specie, & ita non explicandos in confessione. Ego vero existimo cum Navar. quem sequitur Valentia, & Vazquez, omnes gradus consanguinitatis, & ita omnes incestus in quatuor gradibus differre specie: In vno quoque enim gradu diversa ratio attinentiæ est. Vnde incestus in illis commissi diversam speciem inducunt.

De incestu ratione affinitatis censet Iugo probabile esse incestum primi gradus lineæ rectæ differre specie ab alijs, eo quod habeat specialem deformitatem, alios vero incestus cum transversalibus non differre specie. Oppositum tamen censeo, gradus nempe, incestus que istos differre specie.

Franc. Stando ergo opinioni Rocassulli: inter incestus ille est gravior, qui est cum persona coniunctiori. Et in gradu primo filij cum Matre, filij ve cum consilia, seu sorore, maior est incestus lineæ rectæ in primo gradu quam lineæ transversalis in eodem gradu qualis est incestus fratris cum sorore. Et tandem in sententia asserente omnes gradus esse eiusdem speciei, adhuc gravior est incestus cum persona coniunctiori gravitate aggravationis, licet non gravitate specifica. Et ex his facile apparet quis sit gravior inter incestus.

D. Thom. Per alias autem luxuriæ species præteritur solum id quod est in rationem rectam determinatum ex præsuppositione tamen naturalium principiorum. Magis autem repugnat rationi quod aliquis venereis utatur non solum contra id, quod convenit proli generandæ, sed etiam cū iniuria alterius. Et ideo fornicatio simplex, quæ committitur sine iniuria alterius personæ est minima inter species luxuriæ.

ubi supr.  
no. hac q.



Maior autem iniuria est si quis abutatur muliere alterius potestati subiecta ad usum generationis quam ad solam custodiam. Et ideo est gravius adulterium quam stuprum, & utrumque aggravatur per violentiam, propter quod raptus virginis est gravior quam stuprum, & raptus uxoris quam adulterium. Et hæc etiam aggravantur sine rationem sacrilegij.

Franc. Circa sacrilegium sciendum quod gravius est, cum persona per votum continentiae Deo dicata committit peccatum luxuriæ cum alia persona simili voto obstricta, ut Sacerdos cum sanctimoniali, quam cum persona soluta a tali voto, ut Sacerdos cum virgine, vel soluta.

Apolinar. Personam autem duplici voto continentie obstrictam ( ut ordinatus ordine maiori, qui postea Religionem ingreditur & proficitur solemniter ) est probabilius hunc Religiosum simul habentem ordinem sacrum, si committit peccatum exterius luxuriæ, aut consentit, sufficere ut declaret in confessione, unam ex his duabus rebus: nam differentia peccatorum non sumitur ex distantia præceptorum, sed virtutum & motivorum specie distinctorum.

Franc. Hanc opinionem tenet etiam Acacius March cum Sanchez. Opposita tamen sententia probabilior mihi videtur, quia falsum est differentiam peccatorum non sumi ex diversitate præceptorum, de hoc tamen infra in tract. de penit. & de circumstantijs peccati.

Acacius March. Ad gravitatem etiam sacrilegij attinet copula Christiani cum infideli femina, cedit enim in dedecus Religionis ut tenet Sanchez.

D. Thom. Tandem, quia gravitas peccati magis attenditur ex abusu alicuius rei, quam ex omissione debiti usus. Ideo inter vitia quæ sunt contra naturam infi-

*sup. Macb.  
tom. I. in 6.  
prac. decal.*

*v. Religios.  
resol. 374.  
n. 5.*

*v. luxu. res  
208. n. 4.*

*vbi sup. in  
hoc q. ad 4.*

num locum tenet peccatum immunditiæ ( seu pollutionis voluntariæ ] quod consistit in sola ommissione concubitus ad alterum. Gravissimum autem est peccatum bestialitatis, quia non servatur debita species, ut in mixtione cum pecoribus, post hoc autem est vitium sodomiticum, cum ibi non servetur debitus sexus. Post hoc autem est peccatum ex eo quod non servatur debitus modus concumbendi. Magis autem si non fit debitum vas, quam si fit inordinatio sine aliqua alia pertinentia ad modum concubitus.

## QUAESTIO LXXXV.

*De Reliquis ad luxuriam continentibus.*

**F**RANC. De concubinarijs hic dicendum quod si concubiniarius vel concubina non se subtrahit ab hoc statu, & periculo non debet absolui, nam non est verus dolor sine remotione causæ peccati.

**Armill.** Si vero tale periculum ad arbitrium Sacerdotis non est, tamen factum est notorium, & vel violenta suspitio, propter scandalum non potest absolui nisi abijciat concubinam concubiniarius, vel contra, licet sit contritus de peccato.

**Remig.** Concubiniarius extra tempus Paschatis accedens ad confessionem si concubinam habeat extra domum, debet absolui, supponitur enim habere verum dolorem. Si vero accedat tempore Paschatis, & diu fuit concubiniarius, differatur ei absolutio per aliquos dies, vel saltem usque dum certiore faciat concubinam se subtrahere à malo statu concubinario. Si autem concubinam domi retineat non absolvatur etiã extra Pascha, nisi eam prius eijciat. Si vero eam habeat pro famula,

*v. concubi.*

*In prompt.*

*e. 7. n. 16.*

& commode non potest cito eijcere, absoluantur prima vice, ea conditione, vt quærat alteram famulam, & eijciat priorem.

Concubinario vero ægrotante periculose, & graviter, tunc famula concubina vel eijciatur à domo, vel saltem proponat ægrotus eam eijcere quantocius, & interim non communicet cum ea, nisi forte nullus adsit qui de ægroto possit gerere debitam curam.

Franc. De meretricibus sciendum eas diligenter debere examinari à Confessario, & in periculo mortis eas hortari ad veram pænitentiam & exactam peccatorum confessionem Im quod in tali statu potuerit fieri confessio.

Tandem Confessarius cum cognoscit quempiam inveteratum in peccatis luxuriæ, veluti consuetudinaliter habentem pollutiones voluntarias, potest negare absolutionem eam que differre, vt sic deterreat peccatorem. Si vero is valde dolet de negatione, vel dilatione absolutionis, tunc absolvet eum servatis conditionibus, quæ requiruntur ad dandam absolutionem. De quibus infra in quæst. de pænitentia.

DD SEPTIMO PRÆCEPTO DECALOGI.

QUAESTIO LXX XVI.

*Num bene tradatur hoc præceptum?*

**F**Rane. Bene. Sic enim traditur Exod. 20. Non furum facies. Vbi prohibentur furtum, contractus illiciti, fraudes, & iniustitiæ circa bona proximi.

D. Thom. Ad rationem autem furti tria concurrunt. Quorum primum conuenit sibi scilicet quod contrariatur iustitiæ, quæ unicuique tribuit quod suum est; & ex hoc competit ei, quod usurpat alienum. Secundum uero pertinet ad rationem furti, prout distinguitur à peccatis, quæ sunt contra personam, sicut ab homicidio, & adulterio: & scilicet hoc competit furto, quod sit circa rem possessam. Si quis enim accipiat id, quod est alterius, & non est ut possessio, sed quasi pars, ut si amputet membrum: vel sicut persona coniuicta, ut si auferat filiam, vel uxorem, non habet proprie rationem furti. Tertia differentia est, quæ complet rationem furti, ut scilicet occulte usurpetur alienum. Et scilicet hoc propria ratio furti est, ut sit occulta acceptio rei alienæ. Et ad hanc iniustam acceptionem reducitur etiam iniusta detentio rei alienæ.

## QUAESTIO LXXXVII.


*Quid sit furtum?*

**F**RANC. Licet ex verbis adductis D. Thomæ appareat definitio furti; tamen communiter sic definitur furtum. Occulta acceptio rei alienæ invito Domino rationabiliter. Explicatur hæc definitio. Per ly occulta acceptio, distinguitur furtum à rapina, hæc enim importat violentiam, & manifestam ablationem. Per ly invito Domino rationabiliter, significatur, Possessori rei, tolli rem contra eius voluntatem: nam si Possessoris res accipiat eo volente non est furtum. V. g. furtum erit si quis accipiat librum Petri, non autem, si accipiat sciens Petrum velle, quod eius amicus accipiat talem librum.

**Caiet.** Ad furtum igitur requiritur acceptio rei alienæ, quæ possidetur: unde quamvis non sit furtum accipere uxorem, vel filiam, bene vero accipere servam alienam, quoniam possidemus servos sicut agros, non autem filias, aut uxores. 2.2.9.66.  
sup. 4.3.

Circa detentionem quoque rei alienæ invito Domino notandum, quod cum detinere alienum non sit actio sed actionis effectus, ab actione non dependens nisi in principio: quoniam detinens aurum, vel argentum, quod accipit nihil operatur in detinendo, ex quo reposuit illud in loco tuto: consequens est quod detinens ut sic, non exercent aliquem actum voluntarium: ac per hoc non peccat continue, quamvis continue sit in statu mortalis peccati.

De contrectatione autem rei furtivæ detentæ dicendū, quod nullum est peccatum, facere actum propter bonum illius rei, ut dum vestis furtiva excutitur, remove tur à loco humido, ne putrescat. Sicut nec est peccatū eam videre, mouere, & huiusmodi actus indifferentes exercere. Cum vero fur facit actum circa usum rei furtivæ, ut cum induit se veste furtiva, expendit pecuniā furtivam, bibit in vase furtivo, tunc si intentio feratur formaliter super alieno, quoties fit talis usus discontinue, toties est peccatum mortale. Si vero usus rei materialiter consideretur, hoc est quod nihil cogitando de re aliena, si quis ea utatur ut sua: ut si cogitat de induendo se, de emendo, de comedendo, de bibendo, & non cogitat de alieno, & sic videtur quod omnes isti actus sint mali eadem numero deformitate, qua fuit mala intentio detinendi, possidendi ac per hoc utendi rebus his ut proprijs.



## QUAESTIO LXXXVIII.

*Num furtum, & rapina differant specie?*

2.2.9.66.  
q. 4.

**D.** Thom. Furtum & Rapina sunt vitia iustitiae opposita, in quantum aliquis facit alteri iniustum. Nullus autem patitur iniustum volens. Et ideo furtum, & rapina, ex hoc habent rationem peccati, quod acceptio est involuntaria ex parte eius, cui aliquid subtrahitur. Involuntarium autem dupliciter dicitur scilicet per ignorantiam, & violentiam. Et ideo aliam rationem peccati habet rapina, & aliam furtum. Ergo propter hoc differunt specie. Raptor enim per propriam voluntatem, seu potestatem vult obtinere alienum, fur vero per astutiam.

## QUAESTIO LXXXIX.

*Num furtum sit peccatum mortale?*

2.2.9.66.  
d. 6.

**D.** Thom. Peccatum mortale est quod contrariatur charitati, secundum quod est spiritualis vita animae. Charitas autem consistit quidem principaliter in dilectione Dei, secundario vero in dilectione proximi, ad quam pertinet ut proximo bonum velimus & operemur: per furtum autem homo nocet proximo in suis rebus, & passim homines si furarentur periret humana societas. Unde furtum tanquam contrarium charitati est peccatum mortale.

Franc. Videtur tamen furtum non semper esse peccatum mortale. 1. Quia in necessitate potest quis furari, nam tunc omnia sunt communia Et tamen huiusmodi furtum,

furtum, nec peccatum veniale est. 2. Potest quis furari rem propriam ab alio iniuste detentam, cum aliter non valet eam habere: & tunc pariter nullum est peccatum. 3. Accipiens rem alienam inventam furatur sine peccato, cum ignoret cuius sit res inventa. 4. Licite potest quis furari res alienas, quæ pro derelictis habentur. 5. Deus præcepit filiis Israel, ut reciperent spolia Ægyptiorum, & sine peccato acceperunt. 6. Inconueniens videtur, quod pro paruis rebus sequatur peccatum mortale, ut pro furto vnius nucis. 7. Mulier potest furari marito necessaria ad sustentationem, si maritus sit incuriosus provissor familiæ, vel alias lusor, & prodigus. 8. Filij familias furantes quidpiam parentibus, vel dependentes vane bona parentum diuitum, non videntur peccare. 9. Religiosi aliquid furantes à conuentu, in quo sunt tanquam filij sub Patre scilicet Prælato, pariter non videntur peccare. 10. Cum vxor, & filij furantur ad subueniendum parentibus, & cognatis indigentibus. 11. Potest quis habens pignus alienum, quod apud se habet, uti eo sine villo damno, & furto. Ergo videtur non semper furtum esse mortale.

Resp. cum distinctione. Et ad 1. dicendum verum esse in necessitate omnia esse communia. Est tamen sciendum duplicem esse necessitatem, aliam gravem, aliam gravissimam seu extremam.

D. Thom. Necessitas extrema est necessitas euidens, & vrgens, cui manifestum est subueniendum esse de rebus occurrentibus (puta cum imminet personæ periculum, & aliter subueniri non potest) & tunc licite potest aliquis ex rebus alienis subuenire suę necessitati siue manifesto, siue occulte sublatis, nec hoc proprie habet rationem furti, vel rapinæ.

Franc. Nam in hac necessitate res aliena efficitur

communis, & etiam propria eius, qui patitur necessitatem. Imo & qui non patitur necessitatem potest, ut subveniat proximo extreme indigenti, rem alienam occulte accipere. *Im D. Thom. 2. 2. q. 66, a. 7. ad 3.*

*sect. 9. q. 14.*

Juan. Henriquez. Dubitatur autem num qui in necessitate extrema accipit rem alienam, teneatur eam restituere cum pervenerit ad feliciorum fortunam? Ad quod respondeo probabile esse, quod non tenetur: nam in tali acceptione nullum fuit furtum, cum res aliena in casu præfatae necessitatis sit tam propria possidentis, quam extreme indigentis. Probabilius tamen est, teneri ad restitutionem: nam extrema necessitas, cum reparari possit per commodationem, vel mutuacionem, non licet reparare eam per proprietatem.

*l. 5. c. 1. § 3. & ult.*

Tolet. Ad 2. dicendum licere in eo casu rem propriam accipere nec id erit furtum, debet tamen sic accipiens servare certas condiciones. 1. ut commode non possit certum sibi debitum coram iudice exigere: quia debitor est potens, siue quia debitum (esto certum) non potest probari, siue quia timet sibi aliquod malum ab illo, vel scandalum euenturum. Cum tamen nihil horum esset, sed posset commode suas exigere res, peccaret rapiendo occulte, tamen ad restitutionem non tenetur. 3. Ut provideat, ne ille, à quo sumpsit illud debitum, restituat putans se debere, cum iam non debeat. Tandem quod sumens nihil aliud, nec magisumat, quam sibi debetur.

*2. 2. q. 66. § 5. ad 2.*

D. Thom. Ad 3. dicendum, quod circa res inventas est distinguendum. Quædam enim sunt ea, quæ nunquam fuerunt in bonis alicuius, ut lapilli & gemmæ, quæ inveniuntur in littore maris: & talia occupanti conceduntur. Et eadem ratio est de antiquo tempore sub terra occultatis, quorum non est aliquis possessor,



nisi quod secundū leges ciuiles tenetur inuentor media-  
tate dare domino agri, si in alieno agro inuenerit. Quædā  
vero inuenta fuerunt de propinquo in alicuius bonis.  
Et tunc inuentor, si ea accipiat non animo retinendi,  
sed restituendi Domino, qui ea pro derelictis non ha-  
bet, non committit furtum. Et similiter si pro derelic-  
tis habeantur, & hoc credat inuentor, licet sibi eas re-  
tineat, non committit furtum, alias autem committi-  
tur peccatum furti.

*In Enchyri-  
d. 17. 170*

Marti. Navar. Ad 4. dicendum, quod est peccatum  
adhuc veniale accipere res, quæ à suis dominis pro dere-  
lictis habentur. Pro derelicta autem quis habere rem  
suam perditam præsumitur ex coniecturis, de quibus  
est quod tacet, & non quærit per se, vel per alium.

Franc. Ad 5. patet solutio ex his, quæ diximus su-  
pra quæst. 49. & similiter, si cui auferatur.

*2. 2. q. 66.  
4. 6. ad 3.*

D. Thom. Ad 6. dicendum, quod illud quod modi-  
cum est, ratio apprehendit quasi nihil. Et ideo in his,  
quæ minima sunt, homo non reputat sibi nocumentum  
inferri. Et ille, qui accipit, potest præsumere hoc non  
esse contra voluntatē eius cuius est res. Et pro tanto si quis  
furtive huiusmodi res minimas accipiat, potest excusa-  
ri à mortali. Si tamen habet animum furandi, & inferen-  
di nocumentum proximo etiam in talibus minimis po-  
test esse peccatum mortale, sicut & in solo cogitatu per  
consensum.

*sect. 9. q. 7.*

Joan. Henriquez. De furtis autem, quæ fiunt in parua  
quantitate pluribus personis, sic quod modicum à singu-  
lis auferatur decendum, quod licet hæ parvæ quantitates  
faciant magnam quantitatem, tamen hic non committi  
mortale peccatum. Nam nulli fit nocumentum notabi-  
le, nec in affectu, nec in opere: affectus enim non fertur  
ad faciendum graue furtum, nec in re fit vllum furtum  
graue.

7. 8.

Cæterum cum fiunt parua furta vni personæ, vel per intentionem continuam, vel per interruptam, tunc erit peccatum mortale cum peruentum fuerit ad paruam quantitatem cuius additione, reliqua parua furta faciunt magnam quantitatem. Nam licet singula parua furta solum fuerint peccata venialia, cæterum vltimum paruum furtum fuit peccatum mortale faciens magnam quantitatem simul cum præcedentibus furtis paruis. Et deinde si vltra paruum furtum, quod constituit magnam quantitatem, addantur alia parua furta, semper erit peccatū mortale, nam hæc furta, parua sunt ampliatiua præcedentium furtorum.

In sum. 17.  
2. 6. 7. 8. 5.

Remig. Communiter tamen adstruunt Doctores quod furtum coalescens in furtum graue ex paruis furtis præcedentibus, licet fiant furta parua pluribus personis, & non vni esse peccatum mortale, & obligare præfatum furtum graue sub pæna peccati mortalis ad restitutionem, saltem pro quantitate, per quam furta illa parua fuerunt facta graua, vt nonnulli dicunt authores.

Apolinar. Vnde quantitates parvæ sublatae à diversis personis, sicut vendentes minutatim, si hoc fit animo tollendi vsque ad notabilem quantitatem, id erit peccatum mortale.

In Enchyri.  
c. 17. n. 4.

l. 5. c. 16.  
n. 1.

Franc. Est tamen magna difficultas assignare, quæ sit magna quantitas constituens furtum peccatum mortale? In qua difficultate est prima opinio Navarri tenentis dimidiū regale esse sufficientem materiam constituentem furtum, peccatum mortale. Secunda est Toleti tenentis quantitatem vnus Julij, seu Regalis, vel duorum facere furtum, peccatum mortale. Et sic sunt aliæ variæ opiniones.

v. Hurto.  
rej. 63. n. 3.

Acaci. March. Censeo tamen hanc rem debere iudicari à viro prudenti perpensis omnibus circumstantijs

personæ, loci, &c. Nam potest quædam quantitas notabilis esse respectu vnus, non vero alterius. Vnde absolute dici potest quantitatem decem regalium esse notabilem, & peccatum mortale furari huiusmodi quantitatem à quacumque persona. Respectu vero Regis, erit peccatum mortale furari ei duos ducatus: nam hæc est magna, & notabilis quantitas.

Respectu vero Equitum, Civium, & Mercatorum mediocris status erit peccatum mortale furari eis quatuor vel quinque regales: nam cum hac quantitate possunt commode ali per vnum diem integrum. Respectu vero Officialium mechanicorum, erit materia grauis quantitas duorum regalium, quibus ipsi commode se alunt. Respectu vero pauperum mendicantium ostiatim erit grauis materia furari eis vnum regale, vel etiam dimidium. In furto autem pecuniæ notanda est eius æstimatio nam pluris æstimantur in Hispania, & Gallia duo regalia, quam in India quatuor, nam est in India maior pecuniarum abundantia, quam in Hispania.

n. 4.

In furto autem cæterarum rerum debet attendi earum valor, nam alibi plus valent vna gallina, vel duodecim oua, quam in loco alio.

Si vero quis furetur rem minimam, veluti acum futo ri, vel pennam Scribæ cum notabili damno, peccabit mortaliter, cum ob defectum rerum furatarum non laborauerint nonnullis diebus, & tenetur restituere omne damnum, quod furans causauit.

Ibid. resol.  
64. n. 5.

Remig. Ad 7. dicendum quod licite potest mulier accipere necessaria ad prouidendum sibi, domui, & familiæ: & præcipue, si vir sit lussor prodigus, vel adeo parcus, vt necessaria non det: vnde hoc non erit fur- tum.

In sum. tra  
2. c. 7. §.  
6. n. 1.

Ad 8. dicendum peccare mortaliter filios surripientes

Ibid. §. 7. §.  
n. 1.

gravem quantitatem ex bonis parentum ad prodigaliter & vane expendendum: etiam in insumere quantitatem magnam in studijs otiantes, & tenentur ad restitutionem ex bonis castrensibus, vel quasi castrensibus. Bona castrensia sunt ea, quæ filius lucratur in bello: bona vero quasi castrensia ea, quæ acquirit in Aula seruiens Regi, vel per litteraturam, quæ bona sunt filij tam quoad proprietatem, quam quoad usum fructum.

Sunt etiam alia bona adventitia, quæ filij acquirunt sua industria, labore, aut fortuna, vel per quemcunque modum hæreditatis, donationem, legata extraneorum, vel per meliorationem in Tertio, & Quinto, vel per legitimam portionem matris, aut avorum paternorum: & usus fructus horum bonorum est penes Patrem, proprietas autem atinet ad filios.

Sunt etiam bona profeticia, vt hæreditationes, & legata data filio propter respectum Patris. Item bona, quæ filius lucratur cum bonis Patris, vel in sua domo cum proprijs ferramentis: & in dimidio horum bonorū habet Pater dominium, & usum fructum; in altera vero mediate, solum usum fructum.

Filius igitur qui prodigaliter expendit notabilem quantitatem ex furatis bonis Patris, si non potest restituere, quia non habet bona castrensia, vel quasi castrensia, tunc tenetur ea bona accipere in partem suæ legitimæ portionis, ne cæteris fratribus fiat iniustitia, nisi in casu, quo cæteri fratres fecerunt eadem furta & prodigalitates: & nisi etiam in casu, quo furta non fuerint graua, sed rerum domesticarum, tunc enim sufficiet, vt Confessarius doceat filium, vt exigat veniam, & remissionem à Patre.

Præterea: ad sciendum num id, quod filius sumpsit, sit res magni valoris, & sufficiens ad peccatum mortale,

attendi debet qualitas furti, & bonorum Patris, & in sumptio rei furatæ. Nam attento amore paterno ad filios, non est facile judicandum filium peccare graviter in accipiendo à bonis Patris, præcipue quando expenderet in licitis. Unde id attendant Confessarij: contingit enim sæpe accipere filios à parentibus agricolis triticum, vinum, oleum, & putant se mortaliter peccare, quamvis ea expendant in vestitu decenti, & comptenti &c. Solet namque parentibus displicere plus modus furandi, quam furtum. Unde.

Petrus Navarra, docet non peccatarum mortaliter filium, qui non vna, sed pluribus vicibus acciperet per spatium vnius anni quadraginta, sive quinquaginta regalia à Patre habente paucos filios, & mediocria bona ad expendendum honeste.

10. l. 4. c.  
1. dif. 1. n.  
31.

Villalobos. Ad 9. dicendum Religiosum sumentem ex bonis Communitatis sine licentia Prælati peccare contra votum paupertatis, & facere furtum, si materia sit gravis. Et idem dicendum, si quid grave accipiat à con religioso, & tenetur ad restitutionem, vel reddendo hoc ipsum, quod accepit, vel si id non permanet, faciendo restitutionem ex his, quæ habet ad usum, cum licentia tacita, vel expresse Prælati, vel alia via, & industria.

10. 2. tra.  
35. dif. 31.

Si vero paruum sit furtum, committet veniale peccatum. Quando autem accipit quicquam à Communitate, tunc religiosus debet considerari vt filius respectu Patris, & maior materia est necessaria, vt perveniat ad rationem peccati mortalis, quam in alijs, qui non sunt filij. Quare si Communitati non deficeret ad suam sustentationem, non esset peccatum mortale accipere Religiosum sibi vnam gallinam, secus esset, si eam acciperet, vt daret seculari.

Imo posset contingere casus, in quo Religiosus posset maiorem quantitatem abs vlllo peccato accipere à Communitate, vt cum indiget tunica, vel re simili, sine qua nequit degere, nec vlllo alio modo eam habere valet, & Communitas eam habet, & Prælatas, postquã ab eo postulavit indigens, non vult dare: tunc enim Prælatas non bene ministrat necessaria. Cæterum in casu, quo necessitas non sit vrgentissima, non potest Religiosus id facere, sed degere cum habitu, & tunica fragmentis pannorum consutis, & compositis. Id enim est optimum ornamentum pauperum Religiosorum.

*sect. 9. q. 6.* Joan. Enriquez. Ad 10. dicendum, quod in terris, vbi viget consuetudo, quod feminae dent eleemosynã panis, & vini abs licentia maritorum, posse eas dare licite, secus, vbi non viget hæc consuetudo. Cæterum ex bonis parafernalibus, seu ex bonis, quæ personæ diuites solent reservare tempore nubendi, vt ea mulier expendat, prout sibi libuerit, vel etiam ex alijs bonis post matrimonium sibi aduenientibus per hæreditatem, aut donationem, non ex parte mariti, possunt facere eleemosynas. Nam iure communi habet mulier facultatem & dominium ad hæc bona pro suo libito administranda, quin maritus id prohibere possit.

*ibid. q. 4.* Pariter in nonnullis regnis mulier nupta, quæ attulit dotem sufficientem ad maritum, potest abs eius licentia expendere, quæ lucratur opere propriarum manuum, quamvis lucra sint pinguia. Secus in Regnis Castellæ, vbi huiusmodi bona fiunt communia vxori, & marito, sicut cætera bona matrimonialia.

*ibid. q. 5.* Et vltcrius iusta Regnorum Castellæ iura, si mulier nupta habeat parentes, fratres, vel filios ex altero matrimonio pauperes, & indigentes esto non grauiter, indi-

indicabit id marito, ut subveniat eis, & poterit, si maritus noluerit, compellere eum auctoritate iudicis: si vero timuerit tribulationem, vel pœnam ex hac compulsiōe, poterit ipsa tuta conscientia alere eos ex bonis dotalibus.

Franc. Quod attinet ad filios iam dictum est fuisse in responsione ad octavum argumentum. Unde filius non debet furari, ut det elemosynam, nisi extreme indigenti, imo nec ad hoc, si extreme indigentis necessitati mutuando subvenire potest.

Marti. Navar. Potest tamen licite accipere, quando probabiliter conjicit patrem suū eo contentum fore: ut cum de eius licentia peregrinatur, aut in peregrinis gymnasijs versatur, tunc enim probabiliter credere potest, ratas habiturum patrem elemosynas illas, quas instar sui similibus facit. c. 17. n. 356  
in Enchir.

Joan. Enriquez. Ad 11. dicendum, quod pignus duplex est: aliud, quod quis accipit in pignus ratione pecuniæ mutuatae. Et aliud, quod quis habet in custodia, vel simili titulo. Si pignus acceptum fuit ratione mutuatae pecuniæ, ea conditione, ut accipiens pignus utatur eo, & usus sit æstimabilis, id erit illicitum, & usurarium. Cæterum, si ea conditio non fuit apposita, adhuc nequit uti eo, non tamen erit usurarium, sed furtum. Cæterum, si usus non est æstimabilis, imo proficiuus, ut cum datur in pignus horologium, quod nisi usu feratur, perdet vel in rotis, vel quia rubigine deteriorabitur, tunc licite potest uti eo, qui habet id in pignus, etiam sine licentia eius, qui horologium dedit in pignus. sect. 9. q. 13

In pignore autem secundi generis non potest quis eo uti, si pignus usu consumetur, abs licentia eius, qui dedit pignus: unde veste pignorata nequit quis uti, nā vestis usu consumitur.

## QUAESTIO LXL.

*Num rapina sit peccatum mortale?*

*v. rapina.*

**A**Rmilla. Rapina, per quam quis violenter, & contra iustitiam accipit rem alienam, mortale peccatum est, tum quia iniuria proximo infert, tum quia damnum, siue fiat à bellantibus, siue à latronibus, siue à publicis ministris, si contra iustitiam violenter rapiant, & tenentur ad restitutionem. Si autem rapiant in bello iusto, vel auctoritate publica sine iustitiâ, licet vim inferant, non dicuntur proprie raptores, nisi excedant limites commissionis.

Franc. Sunt etiam raptores, qui priuata auctoritate, & non publica rapiunt res, quas infideles, esto iniuste, possident.


Etiam sunt Raptores Principes indebite extorquentes subditos, & tenentur ad restitutionem, & tanto grauius peccant, quam latrones, quanto periculosius, & communius contra publicam iustitiam agunt, cuius custodes sunt positi.

*2. 2. q. 66.*

*4. 8. ad 3.*

D. Thom. Si autem Principes à subditis exigant, quod eis sine iustitiam debetur, propter bonum commune conservandum, etiam si violentia adhibeatur, non est rapina.

Franc. Licet autem rapina ex genere suo sit peccatum mortale, & quidem grauius furto, tum ratione violentiæ, tum quia vergit in personæ quandam ignominiam, tamen potest rapina esse peccatum veniale, sicut & furtum ratione parvitatit materiæ, & iniuriæ.





## QVAESTIO LXXI.

*De furto in loco sacro?*

**F**RANC. Furtum sacrilegum committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, aut aut sacrum de non sacro. Vnde peccatum sacrilegij est in furto, quando quis furatur rem sacram puta calicem consecratum ab Ecclesia, quæ est locus sacer. item, cū quis ab Ecclesia furatur res non sacras, vt pecunias, vel pignora, quæ ibi custodiuntur, vt ratione loci sacri tutius seruentur. Et iterum furari pecunias ab homine existente in Ecclesia etiam est sacrilegium. Et tandem sacrilegium est furari rem sacram à loco non sacro, vt calicem consecratum existentem extra Ecclesiam.

ARMIL. Est autem sacrilegium, seu sacræ rei violatio ex genere suo peccatum mortale: importat enim irreverentiam rerum sacrarum. v. sacrileg.

## QUAESTIO LXXII.

*De restitutione, quid sit?*

**D.** Thom. Restituere nihil aliud esse videtur, quam iterato aliquem statuere in possessionem, & dominium rei suæ. Et ita in restitutione attenditur æqualitas justitiæ sive recompensationem rei ad rem, quod pertinet ad justitiã commutativam. Et ideo, restitutio est actus justitiæ commutativæ, quando scilicet res vnius ab alio habetur, vel per voluntatẽ eius, sicut in mutuo & deposito, vel contra voluntatẽ eius, sicut in rapina & furto.

Quando autem res restituenda non manet, sed perijt, ibid. a. 4.

tunc recompenſatio debet fieri per quid æquale, puta ſi aliquis damnificet alium diruens domum eius, tenc-  
tur ad reſtituendum tantum, quantum valet domus.

## QUAESTIO LXLIII.

*Num reſtitutio ſit de neceſſitate ſalutis?*

*Epist. ad  
Maced. 14  
q. 6. tom.*

**A**ugusti. Si res aliena, propter quam peccatum est, reddi potest, & non redditur, pœnitentia non agitur, sed simulatur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, ſi, vt dixi, reſtitui potest.

*2. 2. q. 62.  
4. 2.*

D. Thom. Reſtitutio eſt actus commutativæ juſtitia, quæ in quadam æqualitate conſiſtit, & ideo reſtituere importat redditionem illius rei, quæ iniuſte ablata eſt. ſic enim per iteratam eius exhibitionem æqualitas repa-  
ratur. Si vero juſte ablatum ſit, inæqualitas erit, vt ei reſtituatur: quia juſtitia in æqualitate conſiſtit. Cum ergo conſervare juſtitiam ſit de neceſſitate ſalutis, con-  
ſequens eſt, quod reſtituere id, quod iniuſte ablatum eſt alicui, ſit de neceſſitate ſalutis.

Franc. Quid autem fiet, cum reſtitutio ſit impoſſibi-  
lis. 1. Cum quis aufert alteri uitam, vel membrum. 2. Cum quis aufert honorem, nam actio auferens ho-  
norem jam tranſijt. 3. Cum quis aufert famam, cuius reſtitutio non potest quandoque fieri ſine peccato: ut  
cum quis famam abſtulit verum dicendo. 4. Cum quis impedit aliquem, ne conſequatur honorem dignitatis,  
vel Præbendam, quam tamen non eſt in manu impedi-  
tis, reſtituere illi, quem impediuit.

*ibid. ad 1.*

D. Thom. Ad 1. dicendum, quod quando non potest reſtitui æquivalens, ſufficit quod reſtituatur, quod poſ-

fibile est. Vnde cum aliquis alicui abstulit membrum, debet ei recompensare vel in pecunia, vel in aliquo honore, considerata conditione vtriusque personæ secundum arbitrium boni viri.

Franc. Ad 2. dicendū, quod actiones, & passiones cito transeunt, & non manent realiter, manent tamen in effectu, vel corporali, vt cum ex percussione læditur corpus, Vel qui est in opinione hominum: sicut cum aliquis verbo opprobrioso manet infamatus, vel etiam minoratus in suo honore. Vnde is effectus scilicet diminutio dignitatis personæ in opinione hominum debet restitui, & reparari per exhibitionem reverentiæ.

D. Thom. Ad 3. dicendum, quod, cum quis aufert famam alicui verum dicendo, & iuste, vt cum prodit crimen alicuius, seruato debito ordine, non tenetur ad restitutionem. Si vero tollat falsum dicendo, & iniuste, tenetur famam restituere, confitendo se falsum dixisse. Si autem tollat verum dicendo, sed iniuste prodens crimen alterius contra ordinem debitum, tunc tenetur ad restitutionem famæ, quantum potest, sine mendacio tamen, vt pote quod dicat se malum dixisse, vel quod iniuste eum diffamauerit. Vel, si non possit famam restituere, debet ei aliter recompensare, sicut & in alijs dictum est.

*Ibid. ad 2.*

Ad 4. dicendum, quod aliquis potest impedire aliquem, ne habeat præbendam multipliciter. 1. iuste, vt si intendens honorem Dei, vel utilitatem Ecclesiæ, procuret, quod detur alicui personæ digniori, & tunc ad nullam tenetur restitutionem. 2. iniuste intendens nocere ei, quem impedit, propter odium, vindictam, aut aliquid huiusmodi: & tunc si impedit, ne præbenda detur digno consulens, quod non detur antequam sit firmatum, quod ei detur, tenetur quidem ad aliquam recompensationem

*Ibid. ad 4.*

pensatis conditionibus personarum, & negotij sm arbitrium sapientis: non tamen tenetur ad æquale, quia illam nondum fuerat adeptus, & poterat multipliciter impediri. Si vero iam firmatum sit, quod alicui detur præbenda, & aliquis propter indebitam causam procuret, quod revocetur, idem est ac si iam habitam ei auferret: & ideo tenetur ad restitutionem æqualis, tamen sm suam facultatem.

## QUAESTIO LXLIV.

*Num quis debeat restituere, quod non abstulit?*

**F**RANC. Recompensatio ad justitiam pertinet in quantum qualitatem facit: sed si aliquis recompensaret, vel restitueret, quod non accepit, hoc non esset æquale. Ergo talis restitutio non est justum, quod fiat.

Videtur tamen quandoque debere restitui, quod non est ablatum. 1. Cum quis habet depositum, cuius est custos, tunc enim tenetur ad restituendam pecuniam depositam, quam tamen iniuste non abstulit. 2. si à depositario furentur latrones ea, quæ habet in deposito, tenetur restituere ea, quæ non accepit. 3. Qui perdit semina, quæ aliquis seminavit in agro, tenetur ad restituendam messem, quæ sequeretur ex talibus seminibus. 4. Qui detinet pecuniam creditoris ultra terminum præfixum, videtur eum damnificare in toto, quod lucrari de pecunia posset, & tamen detentor non aufert illum lucrum. Ergo videtur, quod aliquis teneatur restituere illud, quod non abstulit.

Sed contra est, & ante responsionem ad hæc argumenta, sciendum est restitutionem oriri ex obligatione recompensandi, & obligationem recompensandi ex du-

plici radice, ex ratione nempe rei acceptæ, & ex ratione acceptionis, & hæc acceptio est duplex, alia iniuriosa, & alia non iniuriosa. Acceptio non iniuriosa est, vt acceptio depositi, mutui, & huiusmodi: acceptio vero iniuriosa est acceptio per furtum, atque rapinam.

D. Thom. Ad 1. ergo dicendum, quod, qui accipit depositum, tenetur id restituere, non ratione acceptionis, accipiendo enim impendit obsequium, sed ratione rei acceptæ. Et propter hoc, si ei subtrahatur res absque sua culpa, non tenetur ad restitutionem: secus autem si magna cū culpa sua rem depositam amitteret. Et per hoc patet ad secundum.

2 2. q 62.  
a. 6. in  
corp.

Franc. Ad 3. dicendum, quod quicumque aliquem damnificat videtur ei auferre id, in quo ipsum damnificat: damnium enim dicitur ex eo, quod aliquis minus habet, quam debet habere: & ideo homo tenetur ad restitutionem eius, in quo aliquem damnificauit, ratione iniustæ acceptionis.

Acaci. March. Iniusta enim acceptio includit non solum furtum, & rapinam, sed etiam damnium illatum, vt in homicidio, adulterio, stupro, vt communiter tenent Doctores.

v. restituit.  
resol. 391.  
n. 4.

D. Thom. Damnificatio vero dupliciter contingit, 1. cum auferatur id, quod quis actu habet, & tale damnium est ad æqualitatem recompenandum, vt diruens domum tenetur ad restituendum tantum, quantum valet domus. 2. Si quis damnificet alium impediendo, ne adipiscatur quod erat in via habendi. Et tale damnium non est ex æquo recompenandum: hoc enim esset plus restituere, quam debet, nam minus est rem habere in potentia, quam in actu. Tenetur tamen huiusmodi damnificator aliquam recompensationem facere sibi conditionem personarum, & negotiorum. Vnde ille, qui

vbi nup.  
a. 4.

femen spargit in agro, non dum habet messem in actu, sed solum in virtute. Et similiter ille, qui habet pecuniam, non dum habet lucrum in actu, sed solum in virtute.

Franc. Vnde vtrumque potest multipliciter impediri: & sic perditor seminum, & detentor pecuniarum tenentur solum ad aliquam recompensationem pensatis bene circumstantijs. Et per hoc patet ad 4.

## QUAESTIO LXLV.

*De personis, qui tenentur ad restitutionem?*

Franc. in primis non est dubium teneri ad restitutionem illum, qui rem alienam accepit: & quidem, si accepit per furtum vel rapinam, tenetur ad restitutionem non solum ratione rei acceptæ, sed etiam ratione iniuriôsæ acceptionis, etiam si res apud ipsum non remaneat.

2. 2. q. 62.  
4. 6. D. Thom. sicut enim, qui percutit aliquem tenetur reconpensare iniuriam passô, quamvis apud ipsum nihil maneat: ita etiam, qui furatur, vel rapit, tenetur ad recompensationem damni illati, etiamsi nihil inde habeat. Et ulterius pro iniuria illata debet puniri.

Franc. Tenentur etiam plures aliæ personæ. Et præcipue, quæ continentur in his versibus.

*Iussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus, Participans, mutus, non obstans, non manifestans.*  
In quibus versibus Iussio, Consilium, Consensus, significant personas inducentes ad capiendum, quæ inductio fit præcipiendo, consulendo, consentiendo expresse. Palpo significat Adulantem, & laudantem aliquem quasi strenuum de hoc, quod aliena accipit. Recursus, Receptorem

tatorem latronum, & eis patrocinium præstantem. Participans est, qui particeps est furti, vel rapinæ, vel quasi socius maleficij. Mutus, non obstans, non manifestans, significant personas tacentes, non impediētes, & non manifestantes delictum.

D. Thom. Sciendum tamen, quod quinque præmissorum semper obligant ad restitutionem. 1. Jussio, quia ille, qui jubet est mouens principaliter: unde ipse principaliter tenetur ad restitutionem. 2. Consensus in eo, sine quo rapina fieri non potest. 3. Recursus, quia scilicet aliquis est receptor latronum, & eis auxilium qualitercumque, vel patrocinium fert. 4. Participatio quando scilicet aliquis participat in crimine latrocinij & in præda. 5. Tenetur ille, qui non obstat, cum obstare teneatur. Sicut Principes, qui tenentur justitiam custodire in terra, si per eorum defectum lirones crescant, ad restitutionem tenentur: quia redditus, quos habent, sunt quasi stipendia ad hoc instituta, ut justitiã conseruent in terra.

*ibid. 4. 7.*

In alijs autem casibus enumeratis non semper obligatur aliquis ad restituendum. Non enim semper Consilium, vel adulatio, vel aliquid huiusmodi est efficax causa rapinæ. Unde tunc solum tenetur consiliator, aut palpo idest adulator ad restitutionem, quando probabiliter æstimari potest, quod ex huiusmodi causis fuerit iniusta acceptio subsequuta.

Principaliter autem tenetur restituere ille, qui est principalis in facto. Principaliter quidem, præcipiens, secundario vero exequens, & consequenter alij per ordinem. Vno tamen restituente illi, qui passus est damnum, alius eidem restituere non tenetur. Sed illi, qui sunt principales in facto, & ad quos res pervenit, tenentur alijs restituere, qui restituerunt. Præcipiens autem in-

*ad 2.*

justam acceptionem ea non sequuta, non tenetur ad restitutionem.

ad 3. **Uterius.** Non semper ille, qui non manifestat latronem, tenetur ad restitutionem, aut qui non obstat, vel qui non reprehendit: sed solum, quando incumbit alicui ex officio, sicut Principibus terræ, quibus ex hoc non multum imminet periculum. Propter hoc enim potestate publica potiuntur, ut sint justitiæ custodes.

in prompt. **Remig.** Circa Palponem notandum tunc teneri ad  
e. 8. §. 2. in restitutionem, quando laudatio est causatiua iniustæ  
circū. Quis acceptionis, non quando est lærificativa. Circa recursū,  
n. 8. non teneri ad restitutionem receptatorem latronum, quando eos recipit non ut latrones, sed ut proximos. Circa participantem, non teneri ad restitutionem, quando participatio est coacta, sicut quando famulus metu gravi coactus dat claves arcæ Domini. Et iterum, qui participat post furtum, solum tenetur restituere quantitatem, quam accepit: non enim fuit particeps totius iniustæ actionis cooperando ad illam.

Circa quoque mutum, non obstantem, & non manifestantem, dicendum non teneri eos ad restitutionem, nisi quando possunt sine gravi damno manifestare, & tenentur ratione officij, ut custodes, Prælati, Patres. Et ita, qui non impedit furtum, potens impedire, si ei non incumbit ex officio, non tenetur recompensare damnū: quamvis enim peccet contra charitatem, non tamen contra justitiam.

**Franc.** Rursus tenentur ad restitutionem possessores tam bonæ quam malæ fidei, possessor quidem bonæ fidei ratione rei occupatæ, & possessor malæ fidei ratione rei acceptæ, & forte etiam ratione malæ fidei, quæ reduci potest aliquo modo ad rationem iniustæ acceptionis.



Toletus ille dicitur possidere rem bona fide, qui exi- l. 5. c. 17.  
 stimat rem esse suam, quia nesciebat esse latronem, à n. 3.  
 quo emit; vel quia se iustum titulum habere rei talis pu-  
 tabat: ille autem simul atque cognoverit rem non esse  
 suam, tenetur reddere; & in mera si sit, iam est posse-  
 sor malæ fidei. Ille autem dicitur habere mala fide, qui  
 se non habere iustum titulum existimat: ut qui emit à  
 latrone, quem sciebat esse latronem, & rem esse furti-  
 vam. Uterque possessor tam malæ quam bonæ fidei, si  
 rem ipsam habeat, ratione rei acceptæ tenetur resti-  
 tuere.

Possessor tamen malæ fidei quocunque modo res pe- n. 4.  
 reat, ut si quis ei furetur, vel ipse vendat, vel si sit ani-  
 mal v. g. & hoc moriatur tenetur ad restitutionem, se-  
 cus possessor bonæ fidei, nam stante bona fide quocun-  
 que modo res pereat, vel per venditionem, vel per mor-  
 tem, vel per furtum, non tenetur ad restitutionem,  
 quam vis postea sciat eam rem fuisse furtivam: præter-  
 quam, quod si vendidit rem, & postea emptori auferatur  
 res à proprio Domino, tenetur emptori reddere, & re-  
 stituere pretium. Quando autem possessore bonæ fidei  
 translato ad malam fidem contingit rem perdi quomo-  
 dolibet, tunc ad idem tenetur ac possessor malæ fidei.

Et iterum, possessor bonæ fidei stante bona fide tene-  
 tur reddere, quidquid per illam rem lucratus est, quam-  
 vis perdita re stante bona fide, non teneatur ad resti-  
 tuendam rem. Vnde si pluris vendidit, tenetur redde-  
 re excessum; & ei si dono fuit ei data res, & vendidit,  
 totum reddere tenetur deductis expensis suis.

Præterea, tenetur malæ fidei possessor ad restituendū  
 dāpnū emergens, & lucrum cessans, quod domino  
 evenit ex mora restitutionis. v. g. emit quis scienter à  
 latrone equum locationis & detinuit per duos menses.

teneretur reddere, quidquid dominus equi lucratus esset illis mensibus, quamvis emptor equi, otiosum haberet, & insuper refarcire, si inde aliquod damnum evenit domino.

Possessor vero bonæ fidei solum tenetur ad restituenda ea, in quibus factus est ditior: unde si equum habuisset otiosum ad nil teneretur, nisi ad equi restitutionem, si vero equum locasset teneretur ad restituenda ex locatione lucra deductis expensis proprijs.

Rursus sit aliud exemplum. Si inuitatus ad conuiuium splendidissimū, ibi res magni pretij consumpsit, si mala fide accessit ad id sciens omnia ea esse furtiva tenetur ad restituenda omnia, quæ consumpsit, si vero bona fide, & postea scit ea fuisse furtiva, tenetur ad restituendum id, quod ipse consumpsisset ex proprijs, si illis non velceretur. Unde si non erat consumpturus nisi libram arictis, & panis ad horum valorem tantum tenetur.

Item: bona fide emens equum locationis à latrone, si interficiat eques per mensem, si postea sciat vere non esse suum, debet adverti, an si equum non habuisset, fuisset alium conducturus: si enim non, & pedibus iuisset, nisi ut suum habuisset, ad nihil amplius tenetur: si vero aliū fuisset conducturus, tenetur reddere, quantum ipse alias expendere putarat. Et pariter, qui emit vestem præriosam, vili, bona fide, & post consumptam, constat non fuisse suam, tenetur restituere, quantum ipse in alia veste expendisset, nisi illam emisset. At malæ fidei possessor tenetur restituere, quantum vestis illa valebat, quando emit eam.

Ulterius. Bonæ fidei possessor potest præscribere, aut usu capere rem ipsam: at vero malæ fidei, nunquam. Explico: ad lites interimendas iura concesserunt, ut qui spatio temporis rem haberet, ac si esset sua, licet vere

non esset : dominium ipsius acquireret : & hoc in rebus mobilibus dicitur vsucapio : in immobilibus dicitur præscriptio. Est autem tempus vsucapionis, trienium : in præscriptione est aliquando decennium, vel viginti, aut triginta. Vnde possessor bonæ fidei potest vsucapere, & præscribere, vt si post tempus compareat non fuisse suam rem, ad nihil teneatur, nec ipsam restituere, possessor vero male fidei nunquam potest præscribere.

Tandem. Possessor tam bonæ quam malæ fidei potest rem reddere venditori, & recuperare suum pretium : si autem hoc non potest, tunc reddere domino tenetur. Vnde potest, qui emit à latrone quacunque fide, reddere latroni emptum, si potest : ipsum tamen exhortari debet, vt reddat.

## QUAESTIO LXLVI.

### *Cui sit facienda restitutio?*

**D.** Thom. Per restitutionem fit reductio ad æqualitatem commutativæ justitiæ, quæ consistit in rerum adæquatione. Huiusmodi autem rerum adæquatio fieri non potest nisi ei, qui minus habet, quam quod suum est, supleatur quod deest. Et ad hanc suppletionem faciendam, necesse est, vt ei fiat restitutio, à quo acceptum est. 2.2. q. 62. a  
3. per tot.

Cæterum si res restituenda nociva sit ei, cui restituenda est, non debet ei tunc restitui ( nam restitutio fit sub ratione utilis ei, cui facienda est ) sed reservare, vt congruo tempore restituat, vel etiam alibi tradere ad tutiorem conservationem, & sic gladius v.g. furioso, dum sic est, non est restituendus.

In dationibus quoque illicitis quandoque restitutio

*Vide infra  
simonia q.*

non est facienda danti, vt cum datio est simoniaca: sic enim dans mereter ammittere, quod dedit. Vnde non debet ei restitutio fieri de his. Et quia etiam ille, qui accepit, contra legem accepit, non debet sibi retinere, sed debet in pios vsus conuertere. Cum autem quis illicite dat, quia propter rem illicitam dat, licet ipsa datio non sit illicita: vt cum quis dat meretrici propter fornicationem: potest mulier sibi retinere, quod ei datum est. Sed si superflue ad fraudem, vel dolum extorsisset, tenetur eidem restituere.

Cum autem ille, cui debet fieri restitutio est omnino ignotus, debet homo restituere sm quod potest, scilicet dando in eleemosynas pro salute ipsius, siue sit mortuus siue sit vivus; præmissa tamen diligenti inquisitione de persona eius, cui est restitutio facienda. Si vero sit mortuus ille, cui est restitutio facienda, debet restitui hæredi eius, qui computatur quasi vna persona cum ipso. Si vero ille sit multum distans debet sibi transmitti, quod ei debetur, & præcipue, si sit res magni valoris, & possit commode transmitti: alioquin debet in aliquo tuto loco deponi, vt pro eo conservetur, & domino significari.

Franc. Per Bullam compositionis fit, vel componitur restitutio de bonis bene, vel male habitis, quando non comparet eorum certus dominus factis debitis diligentijs. Fit autem compositio sic, dantur duo regales argentei, & sumitur vnica bulla compositionis, per quã quis componitur pro quinque mille maravetinis. Et possunt sumi viginti bullæ pro compositione centum mille Maravitinorum, & duo regales, qui dantur pro singulis bullis, sunt in subsidium belli contra infideles.

Si autem quis cum confidentia huius bullæ acquire-

ret bona incerta, tunc non habet locum compositio, sed facienda est restitutio Commissario Cruciatæ.

Tolet advertendum circa hæredes, alios esse necessarios, qui non possunt ex hæredari, nisi ex legitima causa, vt filij, Patres: alios non necessarios, quibus non obvenit hæreditas nisi ex legato, vel deficientibus necessarijs, vt alij cognati. Omnibus his est restitutio faciendæ, quæ non ratione iniuriæ, sed ratione rei acceptæ, aut malæ acceptionis debetur: suo tamen ordine, non enim res obvenit non necessarijs, existentibus necessarijs. At restitutio, quæ ratione iniuriæ fit, vt ratione homicidij, non est nisi necessarijs faciendæ *Im Soto l. 4. q. 6. n. 3. ad 3.*

*l. 5. c. 23.  
num 3.*

Restitutio autem, quæ fit pauperibus, vel hospitalibus, aut in operibus pijs, quando non comparet verus Dominus, non valet, nisi fuerit magna præmissa diligentia: vnde si postea Dominus comparet, oporteret ei facere restitutionem, secus si fuit præmissa debita diligentia.

*n. 4.*

*Caieta.* Cum quis tenetur restituere rem proprio domino ditanti, si fit ratione iniustæ acceptionis, vt furti, rapinæ, vel vsuræ tunc iniuste acceptor tenetur proprijs expensis transmittere rem ad dominum, etiam expensis in quadruplum. Nam tenetur sua culpa ad consumatam restitutionem, in qua per accidens crescunt expensæ, quas non debet soluere dominus rei, nã is damnificaretur in expensis sine culpa. Si vero quis tenetur ad restitutionem sine iniustitia, vt in inuentione, successione, mutuo, deposito, & huiusmodi, tunc cessante mora, fraude, atque iniusto quoad hoc recessu debitoris, tunc debitor non tenetur proprijs expensis transmittere rem, nam sine culpa damnificaretur in proprijs.

*2. 2. q. 62.  
supr. 4. 5.*

## QVAESTIO LXLVII.

*Quomodo sit facienda restitutio? & quo or dine?*

*In Enchyr.  
c. 17. n. 44*

**M**Arti. Navar. Restituendum est eo modo, quo natura contractus, delicti, aut ultimæ voluntatis requirit, & sufficit, quod obligatus per se, vel per alium restituat. Et delictum si occultum est, restitutio occulta debet esse.

Franc. Sed est difficultas, quomodo debeant facere restitutionem, qui minutatim furantur à pluribus, ut si qui vendentes vinum, oleum, in mensura furarentur: vel vendentes pannos, pariter metirentur male, & furarentur. Vel etiam qui vendunt ad pondus, carnem, triticum & huiusmodi:

*In prompt  
t. 8 in circ.  
quomodo  
n. 4.*

Remig. Ad hæc dicendum, quod sic furantes tenentur restituere eis, quos damnificaverunt, addentes paulatim aliquod amplius in pondere, vel mensura, ut quædam satisfaciant, sic enim fere omnes damnificati, manebunt satisfacti. Si vero isti damnificati sint incerti, & ignoti: sufficienter fiet restitutio, si pauperibus fiat: vel etiam celebrando missas pro animabus Purgatorij, vel tandem poterit fieri compositio per Bullam.

Apolinar. Animalia perdita (quæ vernacule in Hispania appellantur Mostrencos) præcepit lex Recopilationis tradi iudici loci, vel jurisdictionis ubi reperiuntur, & quod serventur per annum, & si non compareat Dominus, tradantur Cameræ Regiæ. Est tamen communis has leges non obligare in foro conscientiæ, sed tantum in foro exteriori. Hoc jus, quod lex dabat Regi, transtulit ad Patres Mercenarios ad redimendos Captivos.

Silvest. Quando autem quis non potest restituere omnibus, vel si potest, non tamen simul, servandus est is modus, & ordo, nempe quod semper prius restituenda sunt certa integraliter, quam incerta: & si quis ex restitutione incertorum fiat impotens ad restituenda certa, peccat.

v. restitu.  
6. q. 5.

Acaci. March. Quando autem debitor habet sufficientia bona ad restituendum suis creditoribus, nulla est necessitas servandi ordinem in restitutione, solvendo prius antiquioribus, & deinde alijs: nam hic parum refert prius quibusdam & posterius alijs restituere. In casu autem, quo omnibus fieri potest restitutio, debet prius restitui res restituenda si existat, suo domino cuius erat, antequam cæteris creditoribus, esto privilegiatis & antiquioribus fiat restitutio. Nam hi nullum jus, aut privilegium habent ad rem alienam, & non propriam debitoris: & hoc adeo verum est, ut si creditor præfate rei esset incertus, non alijs creditoribus, sed pauperibus deberet ea res restitui.

v. restitu.  
ref. 398. n. 1.

n. 3.

Dico ulterius quod si jus licet prius solvenda sint debita anteriora, adhuc tamen est dispositio ipsius juris, quod creditores hypothecati, esto posteriores, præferantur creditoribus personalibus. Et hic adverti debet si communem doctrinam Doctorum, omnes leges civiles disponentes circa privilegium creditorum obligare in foro conscientie: sunt enim conformes juri naturali: & alias est materia in qua Respublica potest disponere ad vitandas lites, & molestias.

n. 6.

n. 7.

Joan. Henriquez. Nam si lessium lex de solvendis antiquioribus debitis quam de posterioribus, intelligenda est de debitis æqualis conditionis, non autem de debitis inæqualibus.

si est. 10. q.  
23. n. 73.

D. Thom. Quando autem vnus est dives, & alter pau-

opusc. 73.  
c. 18.

peret plus indigens his, de quibus restitutio est facienda: & æqualiter sit clarum in utroque: adhuc prius pauperi potest juste restitutio fieri, quam diviti: eo quod plus læsus est in ablatione suorum, & quia plus indiget.

Franc. Ordo servandus in restitutione, is est, quod in cæcis debitis personalibus non habentibus prælationem, licet alia veniant ex delicto, alia vero ex contractu, nullus servandus est ordo, sed debent solvi proportionem servata secundum quod fuerit quantitas bonorum, ex quibus facienda est restitutio.

p. 2. tr. II.  
dif. 24. n.  
22.

Villalobos. Id mihi videtur probabilius cum Angelo, Silvestro, Petro de Navar. & Lessio. Ratio est quia leges disponentes ne servetur ordo in creditoribus non habentibus actionem realem in bonis, sed tantum personalem, non distinguunt inter acquisitum licite, vel illicite. Et ubi jus non distinguit, nec nos distinguere debemus.

Præterea. Quamvis fiat maior iniuria in furto: tamen transacto termino in debitis iniuste contractis: æqualiter iniustum est non solvere hoc debitum, ac illud, & utrumque est eiusdem speciei. Vnde nulla est maior obligatio soluendi vnum ac aliud.

Quamvis autem Joannes de Medina, & Salon oppositum asserant, nempe debita iniuste contracta esse prius satisfacienda, & inter hæc, ea, quæ cum maiori iniuria proximi fuerunt contracta. Resp. tamen restitutionem non adeo respicere iniuriam in modo recipiendi rem, quam æqualitatem eius, quod recipitur.

Caietanus autem, & Navarrus tenent prius restitui debere debita iusta, quam iniuste contracta: præterquam, si in contractibus licitis, quos fecit (postquam habebat debitum de rebus, quas iniuste acquisitas habebat) factus fuit pauperior ad restituenda priora.



Franc. hæ tres opiniones sunt probabiles, licet opinio, quam tenet Villalobos, probabilior, & verior nobis videatur propter eius rationes.

## QUAESTIO LXLVIII.

*Quando sit facienda restitutio?*

**F**Ranc. Respondeo quod statim, quando res aliena invito domino tenetur. Quando vero restitutio est facienda ratione contractus, tunc fiet tempore præfixo inter convenientes.

In casu autem, quo quis potest restituere iniuste ablatum, & non restituit, peccat, nam iniuste detinet rem alienam.

Mart. Nav. Quando autem quis nocte in lecto, aut in Ecclesia recordatur se alienum habere, & posse commodè restituere, statim debet proponere actualiter, vel virtualiter restituere; non tamen statim à lecto surgere, & Ecclesiam egredi, ut restituat, nam id non potest commode, & satis est id facere cum commode poterit boni viri arbitrio. An autem hæc commoditas referatur ad tempus, vel ad facultatem restituendi? Respondetur ad utrumq; referri hanc arbitrariam commoditatem.

*In Enchyri-  
d. l. 7. n. 55.*

Ille autem dicitur non posse commodè restituere, qui non potest sine damno suorum bonorum altioris ordinis, qualia sunt vitæ, & salutis respectu famæ, & rei familiaris; & qualia famæ respectu rei familiaris. Aut non sine magno damno eorum, quæ sunt eiusdem ordinis, quod aliqua dilatio parum creditori nocens excusare potest. Et ita, qui statim aliena bona fortunæ restituere sine ammissione propriorum suæ vitæ, salutis, aut famæ non potest, ad statim restituendum non tenetur.

Nemo enim regulariter tenetur ad bona aliena inferioris ordinis restituenda, cum damno suorum altioris ordinis.

Sic eadem ratione, qui debet centum aureos statim solvendo, si non potest statim solvere sine magno damno suæ rei familiaris, puta, non nisi domum suam, aut aliquod prædium multo minus vendat, quam valeat, ad statim restituendum non tenetur. Et hoc, tam in debito ex contractu, vel ultima voluntate, quam in eo, quod ex furto, aut alio delicto nascitur.

Sec. 10. q. 1

Joan. Henriquez. Si restituenda res consumpta erat, quia acceptor eam vendidit, & expendit pecunia, & valor rei nequit restitui, nisi notabiliter cadat debitor à suo statu, eo quod ad restituendum debet vendere, & male perdere sua bona, & adhuc parum subvenietur creditori: potest in hoc casu differre debitor restitutionem usque dum perveniat ad meliorem fortunam, & possit restituere sine tali damno: nam in hoc casu juste debet creditor velle restitutionis dilationem.

In casu tamen paris necessitatis non debet debitor differre restitutionem, imo statim restituere, quamvis cadat à suo statu, nam tunc melior est conditio innocentis quam culpam habentis & melius est, quod is patiatur damnum, quam ille. Et ulterius consumptis rebus furatis, si existant aliæ cum eis emptæ: hæc debent vendi, & facere restitutionem, quamvis cadat debitor à suo statu: nullum enim dominium super eas habet, sicut nec haberet supra res furatas.



## QUAESTIO LXLIX.

*De Contractibus.*

**F**RANC. Hic communiter agitur à Doctoribus de Contractibus : quare nos quoque in præfenti de illis agemus in genere, & infra per fequentes quæftiones de Contractibus tam licitis quam illicitis, eorum quæ speciebus, ac diuifionibus, & de non nullis alijs, quæ aliquantulum attinent ad Contractus, quamvis rigorose loquendo Contractus non fint, fed habeant aliquantulum cū Contractibus fimilitudinem.

Silueft. Contractus eft. Vltro citroque, id eft hinc inde, vel ex vtraque parte obligatio ex voluntate partium furgens. v. Contract

FRANC. Vt Emptio. Venditio, locatio &c. Sunt autem alij quafi Contractus, in quibus datur obligatio ex voluntate expreffa vnius, & implicita alterius. Quo pacto eft obligatus tutor refpectu pupilli, curator refpectu furiofi. Sunt etiam alij Contractus improprie dicti : quando fcilicet vna tantum pars obligatur, & non alia. v. g. in donatione, vbi donans folus obligatur ad donandum : & in mutuo, folus recipiens obligatur ad tantundem reftituendum.

## QUAESTIO C.

*De Emptione, & venditione.*

**F**RANC. Emptio, & venditio funt notiffimi, atque communiffimi Contractus in quibus transfertur res emptæ in dominum emptoris foluentis pecuniam feu

prærium justum venditori. Prærium autem est multiplex. 1. legale, id est lege sancitum. v. g. quod uncia argenti valeat prærium novem regalium. 2. Vulgare, illud nempe, quod vulgus dat mercibus secundum communem estimationem, & hoc prærium aliud est pium, aliud mediocriter, & aliud rigorosum v. g. vlna panni valet piè. 20. regalia: mediocriter 22. & rigorose 24. Et hinc habetur, hoc prærium habere latitudinem; quã non habet prærium legale, puntualiter nempe determinatum.

In rebus autem sub hastatione ( vulgo, Almoneda ) vendi solitis datur amplior latitudo inter supremum, & infimum prærium: sicut etiam in copia rerum, & paucitate pecuniæ, vel emptorum vilius res venduntur: carius autem in inopia rerum, vel abundantia emptorum.

In omni tamen emptione, & venditione semper servanda est justitia ex parte emptoris, & venditoris, sic sane quod venditor non vendat rem pluris, seu carius quam valeat, id enim injustum esset, & peccatum vel mortale, vel veniale secundum quod fuerit excessus in prætio justo.

Armill. Quando autem emens, & vendens sciunt valorem rei, & cessat fraus, & non est talis necessitas, quæ excludat voluntarium, & non desit prudentia, vt solet fieri in luforibus, & furiosis, & quod sit ab eo, qui potest alienare, talis contractus etiam in conscientia est licitus, etiam si majori prætio vendatur vel minori ematur, quam sit justum prærium.

Joan. Henriquez. Præsumitur enim hic esse donationem inter emptorem, & venditorem: & hæc regula est valde clara ad emptionem, & venditionem.

Franc. In rebus, denique, raris, vt gemmis, sma;

ragdis &c. emptio, & venditio debet fieri secundum prudentum iudicium, & eorum qui de his extraordinarijs rebus aliqualem saltim habeant notitiam, & valoris cognitionem.

## QVAESTIO CI.

*Num liceat carius vendere quam emere?*

**F**RANC. Licet in aliquibus casibus. 1. cum quis lucrū moderatum, quod negociando quærit, ordinat ad domus suæ sustentationem. 2. Cum quis negotiationi intendit propter publicam utilitatem, ne scilicet res necessariae ad vitam, patriæ desint, & lucrum expetit non quasi finem, sed quasi stipendium laboris. 3. Cum quis rem emptam meliorat. 4. Quando quis rem emptam, plus valere comperit, ratione temporis, vel loci.

## QUAESTIO CII.

*Num liceat emere triticum, ad iterum vendendum?*

**V**ILLALOB. Non licet emere triticum, cum valet minori pretio, ad iterum vendendum. Huiusmodi enim emptores, & revenditores notabiliter nocent Reipublicæ, & frequenter impediunt, ne pauperes emant triticum necessarium, quando valet moderato pretio: nam divites anticipant se ad emendum, ex quo nascitur carius pretium.

Est ergo id illicitum, turpe que lucrum, & in Regno Castellæ prohibitum. Vnde hi negotiatores tenentur ad restitutionem, tam eis, qui moderato pretio empturi erant triticum necessarium sibi, & domesticæ fa-

miliæ, quam toti Republicæ; eo quod fecerint carius esse prætium: & hæc satisfactio debet fieri arbitrio virorum prudentum.

Franc. Idem dicendum de Hordeo, ac de Tritico secundum Joan. Henriquez sect. 10. q. 40.

### QUAESTIO CIII.

*Num liceat Clericis negotiari?*

**F**ranc. Loquendo de negotiatione quasi naturali: & necessaria ad vitam, licitum est Clericis negotiari, ut vendendo superflua, & emendo ea, quibus ad victum, vestitum &c. indigent. Ita enim negotiatio pertinet ad æconomiam, vel politicam, à qua non excluduntur Clerici. Cæterum negotiari propter lucrum, est vituperabile in eis, & forte peccatum mortale ob gravem irreverentiam advenientem statui Clericali ex hac negotiatione.

v. Emptio  
n. 17.

Armill. Per alios autem videtur, quod possint Clerici exercere negotiationem, dando pecuniam mercatori, quia cessat ratioprohibitionis, quia non impediuntur hoc modo vacare divinis; dummodo lucrum ordinetur ad honestum finem, & sine fraude, quia sic nulli liceret.

### QUAESTIO CIV.

*De Monopolijs. Num liceant.*

**C**Aietanus. Facientes monopolium, ut prætium pro ut volunt, imponant, iniustissimi sunt: quoniam coguntur ex hoc homines plus solvere, quam communiter venderetur, si non esset monopolium. Vnde tenen-

tur

tur ad restitutionem totius summæ excedentis præ-  
tium, quod valeret, si non esset huiusmodi monopo-  
lium.

Franc. Hinc habetur, Monopolium esse Conuen-  
tionem Mercatorum de non vendendis mercibus, nisi  
determinato pretio. Si autem hæc conuentio sit de pre-  
tio iniusto, peccant mortaliter, & tenentur ad restituo-  
tionem. Imo & mercator abscondens merces, vt det  
intelligere earum inopiam, vt sic possit iniustis pretijs  
vendere, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem  
excessus pretij iusti.

Joan. Henriq. Peccat etiam peccato monopolij mer-  
cator impediens vi, vel fraude ne merces a foris veniant, *sect. 10. q. 38. n. 106.*  
vt ipse, hac arte, possit suas res carius vendere.

Franc. Si vero mercatores conveniant ad vendendas  
res pretio iusto, timentes aliquem venditurum eas pretio  
valde infimo. Vel si qui in subhastatione conveniant ad  
non transgrediendum determinatum iustum pretium,  
quando timent alios emptores pertinaciter, & stimula-  
tione actos levaturos merces ad excessiva iniusta prætia,  
in his casibus nullum est peccatum in foro conscientiæ.

## QVÆSTIO CV.

*Num venditio reddatur illicita propter defectum rei  
vendiæ?*

Franc. Resp. affirmative, quando defectus est in spe-  
cie rei, vel in quantitate, vel in qualitate. In specie,  
vt si aurichalcum pro auro vendatur. In quantitate, vt  
si quis in vendendo vtatur mensura deficienti. In quali-  
tate, vt si quis animal infirmum pro sano vendat. Et in  
his casibus peccat venditor, & tenetur ad restitutio-  
nem.

Hoc autem est intelligendum quando venditor sciēter vtitur his fraudibus. Si enim ignoraret defectum, non peccaret, quamvis post modum, si ad eius notitiam veniret defectus, teneretur ad recompensandum damnum emptori.

2.2.9.77.  
4.2.

D. Thom. Cum autem vsus rei, & si non competat venditori, potest tamen conueniens esse alijs, & ipse propter hoc subtrahat, quantum oportet de pretio, non tenetur ad manifestandum vitium rei: quia forte propter huiusmodi vitium emptor vellet plus subtrahi de pretio, quam esset subtrahendum. Vnde potest licite venditor indemnitati suæ consulere vitium rei reticendo.

Franc. Quod intelligitur de vitio levi, quod non noceat rei venditæ, & eius vsui. Et idem dicendum de vitio levi potenti, & patenti cognosci ab emptore. v. g. emptor vellet emere equum omnino album, & venditor daret ei equum album esto non omnino: tunc enim venditor subtracta aliqua parte de pretio posset licite equum vendere.

## QUAESTIO CVI.

### *De Retrovenditione.*

**R**Ocaf. Solent venditores vendere res suas cum pacto in suum favorem, quod possint redimere dato pretio. Solent etiam emptores emere cum pacto in suum favorem, quod venditor teneatur postea eandem rem emere.

Franc. Et huiusmodi Redemptiones, & Retrovenditiones sunt licitæ seruatis iustis conditionibus, vt scilicet pretium rei non compensetur secundum valorem quem secundum se habet: nam semper in his contractibus ali-



quis manet gravatus, cui fauendum est arbitrio virorum prudentum vel augendo, vel subtrahendo de iusto pretio secundum quod expedierit ad leuamen grauaminis.

## QUAESTIO CVII.

*De Mutuo. Quid sit?*

**R**Emig. Mutuum est traditio pecuniæ, vel alterius rei cum translatione demonij ad tempus restituendi in æquiualehti. Vnde res tradita potest consumi, & expendi, & pro ea debet restitui alia eiusdem speciei res, æquiualens, & æque bona. Et hinc apparet rem mutuatam ( si perdatur ) mutuatario, non mutuanti perdi.

*In sum. tra*

*2. c. 7. §. 27*

## QUAESTIO CVIII.

*De Commodatio. Quid sit?*

**F**Ranc. Commodatum est concessio gratiosa vsus rei ad tempus sine translatione dominij. V. g. cum quis commodat amico equum ad iter agendum per vnū, vel duos dies. Et in commodato, si contingat rem perdi, vel notabiliter deteriorari, commodanti accidit damnum, nam is est dominus: si vero aliquid horum contingat per culpam Commodatarij, is tenetur ad restauranda damna.

## QUAESTIO CIX.

*De Emphyteosi. Quid sit?*

**S**ilve. Emphyteosis Græce, Latine dicitur melioratio propter hoc quod olim per istum contractum,

*v. Emphi.*

solum viles quædam terræ, & steriles concedebantur, ut accipiens melioraret, & fertiles redderet: sed deinde permissum est de rebus fertilibus, & fertilissimis emphytheotitari posse. Vulgariter etiam Emphytheosis dicitur Datio ad libellum.

Vnde Emphytheota est qui rem immobilem hæditarario jure meliorandam, vel colendam sub certo pretio, & pactis conditionibus accipit perpetuo, vel ad tempus (puta in secundam, vel tertiam generationem. Imo contrahi potest ad decem, vel viginti annos, & usque ad tempus illud succedit hæres.

Franc. Emphytheosis igitur est, contractus de melioranda re, solvendi que pensionem directo Domino, de bono utili, quod percipit emphytheota. Vnde directum dominium rei emphytheoticatæ est apud dantem: dominium vero utile apud emphytheotam.

Et hinc infertur, quod si res perditur absque culpa emphytheotæ, non tenetur is solvere pensionem.

*ir. 1. l. 3. r.*

*ir. 5. §. 1.*

Apolin. Nam res secundum jus perit Domino proprietatis: si vero remaneat pars eius, tunc si pensio est magna, ex æquitate est minuenda.

## QUAETIO CX.

### *De Contractu Locationis.*

**F**Ranc. Locatio est Contractus, quo res, vel persona ad usum, & fructum conceditur pro pretio. V. g. Domus, equus, rus. Vel etiam cum Agricoltæ sub certo pretio conducuntur ad colendam terram, & hujusmodi. Et uterque tam locator quam conductor, is scilicet qui rem sibi collatam conducit, tenentur servare contractum inter eos factum.

Excipe tamen nonnullos casus. 1. Propter impedimentum, damnum, vel impossibilitatem. v. g. Petrus locat domum Joanni, deinde domus habitationis Petri perit vel per ignem, vel aliter: tunc Petrus non habens domum ad habitandum, potest expellere à domo locata Joannem suum inquilinum, & conductorem domus locatæ. 2. propter culpam inquilini, vt si Joannes perperam tractaret domum locatam. 3. Si domus locata indigeret reparationibus, quæ fieri non possunt, dum ibi manet inquilinus. 4. Si inquilinus dehonoreret domum locatam recipiens ibi personas sceleratas. 5. Si Conductor non solvat pretium locationis tempore præfixo. Jus tamen Canonicum disponit inquilinum non expelli à domo nisi differat solutionem per duos annos. Est tamen audiendus si paratus est solvere.

Pariter Conductor non tenetur ad contractum, & ad solvendum pretium locationis, si res locata sine eius culpa perit, vt si hortus, vel vinea locata per bella dissipantur.

*Apolin.* Quando vero ex parte Conductoris locator non habet suam rem, licet ea nec utatur conductor; *10. 1. l. 5. p.* adhuc is tenetur solvere pretium. v. g. Si domum locatam relinquit Canonicus ante tempus, eo quod fuerit *5. 11. 4. 9.* promotus ad episcopatum, & migret ad ædes episcopales.

## QVAESTIO CXI.

### *De Contractu Societatum.*

**F**RANC. Societas est Plurium Conventio honeste contracta ad vberiolem quæstum, & commodiorem usum, V. g. Cum duo, vel plures ponunt indus-

triam, & pecuniam ad negotiandum: vel alius ponit pecuniam, alius industriam, & laborem. Et in his casibus, quæstus debet distribui proportione servata, ut scilicet socio potiori magis detur. Id est socio ponenti maiorem pecuniæ quantitatem: & pariter socio maioris industriæ, & laboris plus quam alijs, qui non posuerunt æqualem laborem: quæ omnia prudenti iudicio examinanda sunt.

4. 5. 41. Tolet. Est alia societatis species circa animalia, cum quis emit ea, & alij dat curanda, reservata parte lucri, & est licita dummodo pars reservata sit iusta, & habeatur ratio laboris, industriæ, & expensarum, illorum, quibus committuntur animalia. Et ut animalia pereant domino, non tractantibus ea. Et tandem, cum non habeatur lucrum ex eis, absque negotiatorum tamen culpa, tunc liberi sint socij à lucro reddendo domino.

Franc. In omni autem contractu societatum, damna, quæ Societati insurgunt ex culpa alicuius socij, huic imputantur; damna vero fortuita, sunt penes omnes socios.

## QVAESTIO CXII.

### *De Contractu Censuum.*

Franc. Census est jus, quod quis habet super bona alterius. V. g. supra domum, vineas &c. Et secundum Motum proprium Sanctissimi Pij V. Cum onus, &c. non potest poni nisi super rem immobilem, aut quæ pro immobili habeatur. Res autem immobiles sunt, ager, vinea, silva, domus, & huiusmodi: res autem pro immobiles, vestigalia, annui redditus, vel menstrui fundati super civitate, oppido, silva, pascuis, piscatione,

& his similia. Rursus hæc bona immobila, vel pro immobilia debent esse fructifera: & quidem de agris, vineis, hortis, & huiusmodi patet esse fructifera: alia vero vt domus, molendina dicuntur fructifera, in quantum reddunt pecunias, hoc est, in quantum ex eis locatis eorum domini sumunt redditus pecuniarios.

In fundatione autem censuum regulariter in Hispania fundantur hi sic quod pro centum reddantur quinque: & quidem illicitum est excedere in pretio censu, sed debet semper iuste fieri, ita vt census, & eius redditus sint intra iustitiam.

## QUAESTIO CXIII.

### *De Contractu Cambiorum.*

**R**ocaff. Nomen Cambij ex vsus accommodatio-<sup>l. 3 de 7. pr.</sup>  
ne appropriatum est ad significandam permutatio-<sup>n. 271. &</sup>  
nem pecuniæ pro pecunia. Contrahentes hunc Contra-<sup>vltr.</sup>  
ctum vocantur Campsor vnus, Campsuarius alter.

Franc. Campsor est qui dat ad Cambium; Campsuarius vero qui recipit ad Cambium. Multis autem modis potest quis dare pecuniam ad Cambium. 1. Ad minutum, cum dat pecunias maiores pro minoribus, vel e contra. 2. Cum quis dat alteri pecunias, vt in eodem loco post aliquid tempus reddat illas cum fænore: & id dicitur Cambium siccum. 3. Per litteras. Cum quis dat Campsori pecunias, vt eas accipiat in alio loco per litteras Campsoris. 4. est Cambium reale, cum Campsor dat pecunias alteri, vt in alio loco ei restituantur.

Tolet. licitum est pecunias pecunijs permutare, ma-<sup>l. 5. c. 50.</sup>  
iores minoribus, & e contra, & vltra valorem legalem

aliquid exigere pro tali permutatione : & hoc est Cambium Minutum, quod fere omnes Doctores approbant. Requiritur tamen ne sit falsitas, nec fraus in Campfore, & quod pretium sit iustum secundum consuetudinem, aut saltem proportionem loci ad eum in quo lex est vel consuetudo, habita consideratione copiae, vel inopiae talium pecuniarum.

Franc. Cambium siccum est illicitum : nam usurarium est accipere lucrum ob mutuum, quod contingit in Cambio sicco, ubi ob solam dilationem solutionis, & non ob alium titulum accipitur lucrum.

Cambium autem Reale per litteras, quod etiam appellatur locale, est licitum. V. g. Petrus habet matrici centum aureos, quos vellet habere Romae, dat Campfiori ut respondeat 95. & reliquos lucretur. Hic contractus est licitus propter plures rationes, & propter periculum portandi pecunias.

## QUAESTIO CXIV.

### *De Contractu Fidei iussionis.*

*10. 1. l. p. 5. tra. 9. §. 1.* **A** Polinar. Fidei iussio est alienae obligationis in se susceptio, qua quis se obligat ad eam implendam, si debitor Principalis non solvat.

*7. Fidei iussio.*

Artil. Fidem jubere potest quilibet habens suorum bonorum liberam administrationem. Clericus nullo modo secundum veriore opinionem potest pro laico fidem jubere, nisi in casu necessitatis, in quo obligaretur sub venire indigenti. Pro Ecclesia tamen vel pro alio Clerico potest.

Franc. Principalis debitor, culpabiliter si non solvat manet obligatus restituere fidei iussori damna, quae is pati

patitur, & sumptus : aliter autem non tenetur, nisi ad restituendum debitum principalem fidei jussori; qui tale debitum solvit ob impotentiam Principalis debitoris.

### QUAESTIO CXV.

*De Contractu Precario.*

**F**RANC. Precarium est Contractus, in quo quis alteri precanti seu precibus petenti quidpiam concedit ad usum, cum facultate, revocandi quando voluerit. v. g. Do Petro roganti librum ad usum, non vero proprietatem vel dominium : imo possum eum ab illo tollere, quando voluero, nisi aliter postulet charitas, ut quando rem roganti collatam, non possum ab eo tollere sine gravissimo eius detrimento.

### QUAESTIO CXVI.

*De Contractu Dotali.*

**B**ONAC. Contractus dotalis est Conventio, sive promissio, sive datio alicuius rei viro ad sustinenda onera matrimonij, sive detur ab ipsa vxore, vel ab alio nomine vxoris. Res vero data est Dos, de cuius ratione non est ut dominium transferatur in virum, sed sufficit, ut eius usus, seu fructus concedatur viro ad alendam vxorem, communes filios, & familiam.

*de Contra. d. 3. q. 11. p. 1.*

Noſter Reverendus Mag. Montef. Tenetur Pater dotare filiam legitimam licet ex se divitem, & emancipatam, quod observatur in tribunalibus; licet opposita sententia asserens Patrem non teneri ad dotandam filiam ex se divitem, sed tantum ad quærendum ei maritum,

*In recop. oper. Dian. v. Dos*

cum ipsa excessit ætatem viginti quinque annorum, non sit improbabilis, vt advertit Palao.

Circa filiam vero naturalem, & Spuriam est communior opinio Patrem non debere obligari ad hoc quod excedat dos alimenta, quæ tenetur dare. Est tamen certum, si ipsa habeat bona, vel modum seu industriam viuendi, seu habendi victum, Patrem non teneri ad dotandam eam.

Franc. Clericus Beneficiarius fructibus beneficij poterit alere, vel dotare filiam spuriam, modo non habeat bona patrimonialia vel quasi patrimonialia quibus id facere possit. Nam id est opus pietatis: nec opponitur Bullæ Pij V. Quæ ordini Ecclesiastico &c. ibi enim donatio, vel traditio mere gratuita prohibetur, non vero illa quæ est debita ex paterna pietate, & quasi ex iustitia.

Pater dotare tenetur filiam eo invito nuptam viro digno: nam filia sic facit quod Pater facere tenebatur: si vero nupserit indigno, & de decoroso familiæ, tenetur dare dotem alimentis proportionatam, & commensuratum, non maiorem.

Frater quoque tenetur dotare sororem ex eodem Patre, siue sit soror ex eadem, vel ex alia Matre. Et Clericus huiusmodi sororem tenetur alere, vel dotare etiam ex fructibus beneficij, dummodo aliunde non habeat. Præcissa tamen pompa, & quatenus pietas fert: fructus enim superflui beneficiorum insumendi sunt in opera pietatis non in ditandis consanguineis.





## QVAESTIO CXVII.

## De Donatione.

**M.** Montes. Donatio est Actio liberalis, qua quis absque vlla iuris obligatione, sed libenter, & gratiose dat aliquid alteri. Vel est Actus, quo res propria vnus liberaliter de illo transit ad alium, cui conceditur. Et est duplex, alia inter vivos, alia, causa mortis. Illa fit absque vlla mortis suspitione per spontaneam voluntatem Domini volentis rem à se datam esse accipientis eam, & quod nullatenus reddatur, nec possit esse Donatoris. Donatio vero causa mortis est facile revocabilis.

Franc. Et hæc fit instante periculo mortis: vnde in testamentis frequenter sunt donationes factæ amicis, famulis &c.

Donatio autem inter vivos etiam per accidens est revocabilis aliquando. Vt si Donatarius faceret enormem, & atrocem iniuriam Donatori, puta manus violentas in eum iniiciens, vel eum incarcerans. Et etiam, si Donatarius videns Donatorem in gravi inopia non succurrat ei.

**M.** Montes. Etiam est revocabilis Donatio facta à Patre, cum nullam spem de habendis filiis haberet, si postea eos habuerit, supponitur namque hæc conditio: dummodo non habeam filios. Si autem donatio facta fuit Ecclesiæ, vel rei piæ non potest revocare eam, nisi quantum ad legitimam partem. Et huiusmodi donatio durat revocata si iterum non renouetur etiam si filij ante Patrem moriantur.

v. Donatio  
59. 60.

## QUAESTIO CXVIII.

*De Contractibus Civilibus ad publicum bonum institutis.*

**F**RANC. Plures contractus, & conventiones solent fieri in Republica cum Negotiatoribus, & alijs vt non desint necessaria Reipublicæ: & iterum, vt Respublica, eius quæ Rectores habeant aliquos redditus pecuniarium ad publicos sumptus: quo circa fieri solent conventiones de carnibus, vino, oleo, de piscibus, de Tabacho, de Chartis Lusorijs, de alijs que multis. Item in Regnis fiunt ordinationes circa nonnullas merces, & res ne extrahantur à Regno, ne ve illuc trahantur: & circa alias, vt eas, extrahentes solvant certam quantitatem pecuniæ: & eas portantes ad Regnum, solvant etiam certam quantitatem pecuniæ. Et iterum, Reges accipiunt tributa, gabellas, alias que impositiones à subditis, ad bonum commune. Igitur cum Ministris, & alijs conuenientibus facere solent Respublicæ pacta, & conventiones, vt hi soli, & non alij, vendant tales res. Et Regna, eorum que Deputati Rectores facere etiam solent contractus cum nonnullis, vt ipsi soli curent de recipiendis pensionibus super res, quæ intrant in Regnum, vel ab eo exeunt. Et isti se obligant ad dandum Reipublicæ, vel Regno, vel etiam Regi summam pecuniarum certam.

V. g. quis in publica subhastatione constituitur venditor Tabachi, obligans se ad dandum singulis annis Regi mille, vel plures aureos: & Rex concedit huic, vt ipse, & non alius vendat tabachum: si autem alius venderit surreptitie, mulctetur pæna pecuniaria, vel

alijs pænis. Est igitur hic quærendum, num huiusmodi, & alij contractus civiles sint liciti?

Et dico 1. Huiusmodi contractus esse licitos servatis tribus conditionibus. 1. Quod ordinentur ad bonum commune. 2. Quod non excedant potestatem facientis talem legem contractuum, impositionum, gabellarum, tributorum, aliarum que conventionum &c. 3. Quod secundum æqualitatem proportionis imponantur subditis onera in ordine ad bonum commune.

Circa primam conditionem, nullum est dubium, per se enim apparet huiusmodi contractus debere esse conformes legi, de cuius ratione est esse pro bono communi.

Isidor. Lex enim est nullo privato commodo, sed pro communi utilitate civium conscripta.

Franc. Vnde si aliquis Superior ferret legem ad propriam utilitatem, & cupiditatem, vel gloriam, non vero ad communem utilitatem, non esset lex, & similiter contractus civiles facti conformiter ad hanc non legem, essent nulli.

Circa 2. conditionem etiam patet neminem posse facere conventiones supra propriam facultatem. Vnde impositum, tributum, veluti ( Sissa ) non potest Ecclesiasticis imponi à Potestate Laica, quia excedit Laicorum facultatem, obligare Ecclesiasticos ad tributum.

Illustris. Tapia. Omnes enim Ecclesiæ, Ecclesiasticæ personæ, & Communitates Ecclesiasticæ immunes sunt quo ad personas, & bona ab omni laico tributo. Quæ conclusio ut jacet à nemine negari potest. Quia expresse decernitur, & sub excommunicatione latæ sententiæ præcipitur in aliquibus Canonibus. In cap. Non minus, & cap. Adversus, de Imm. Eccl. &c.

3. athymo.

In cas. mor

10. 1. l. 4. q.

11. a. 16.

Clerici autem negotiatores tenentur solvere tributa de rebus, quas negotiationis causa deferunt, vendunt, vel emunt, imposita à Principe. Et ratio est: quia in cap. Quamquam de censibus, in 6. & Clement. final. de censibus decernitur absolute Clericos non teneri ad Gabellas pro rebus, quas non negotiandi causa deferunt. Ergo à contrario sensu, ea exceptione firmatur regula in contrarium quod ex rebus, quas negotiandi causa defferunt, vel vendunt, aut emunt &c. tenentur ad gabellas.

Franc. Nomine Clerici, intelligitur quilibet habens ordinem sacrum, vel minorem, & etiam prima Tonfura initiatus. Item quilibet Religiosus tam professus quàm novitius, tam vir, quam fœmina. Excipe Clericos coniugatos, qui solum gaudent immunitate Ecclesiastica à tributis, soluto matrimonio, dummodo vnicę, & Virgini fuerint matrimonialiter coniuncti.

Huiusmodi ergo exempti non tenentur solvere vectigalia, collectas, scissam, gabellas, pedagia, & alia laica tributa, quæ generaliter in Hispania vernacule dicuntur, Alcala, Portazgo, Sissa, Peage &c. Nam hæc omnia sunt laica tributa.

Aliquando autem tenentur Ecclesiastici solvere tributa laica in necessitatibus communibus tam laicis quàm Ecclesiasticis. V. g. Si diuertendum sit flumen perdens prædia eorum, & laicorum, & huiusmodi. Nam in his rebus habent privatam utilitatem circa propria prædia & bona. Ergo tenentur ad communia onera, & sumptus cum laicis. Non tamen à laicis possunt cogi ad id, sed à iudice Ecclesiastico. Et præterea, nec sponte possunt contribuere sed de consensu Episcopi, Clerici: & de consensu suorum Superiorum, Regulares.

Ecclesiastici vero portantes ( licet non negotiatio-

njs causa) res vetitas ad Regna, vel civitates, vel eas ab eis extrahentes, debent cavere, ne contra bonum commune talium Regnorum, vel urbium faciant.

Circa 3. conditionem, manifestum est si inæqualiter onera subditis imponantur, etiamsi ordinentur ad bonum commune, non teneri in foro conscientie ad solvenda ea illos, quibus iniusta, & excessiva imponuntur onera, nisi forte propter vitandum scandalum, & turbationem. Et adhuc.

Dico 2. Subditos non teneri ad solvenda tributa, quando facta sufficienti diligentia, dubitant de justitia, seu obligatione tributi.

Tapia. Ratio est. Quia licet Princeps possideat libertatem præcipiendi, & exigendi tributa, & idcirco videatur in dubio melioris conditionis: cæterum hoc cessat, quando agitur de interesse illius, & damno subditi, tunc enim standum est pro subdito, & non tenetur in dubio parere Superiori, Vt doc. Lugo, & Sanchez. 1b. q. 15.  
4. 11.

Franc. Vnde Confessarij diligenter examinabunt si quos invenerint non solventes tributa, & aperient eis obligationem solvendi, vel non solvendi, ne erronee peccent ignorantes. Defraudantes autem tributa, & gabellas iustas, & impositiones rectas ad bonum commune, obligabunt ad restitutionem.

Dico 3. Qui intrant in vrbes, Regna, vel extrahunt ab eis res prohibitas, non solutis Portorijis (vernacule, derechos, Portazgos &c.) cum non subiacent nisi humane legi sæculari pænali de ammissione rerum quas portant, vel alteri huiusmodi pænæ, non peccant, nec tenentur ad restitutionem. Idem dicendum quando aliqui piscantur in fluminibus vetitis, vel cædunt ligna in montibus vetitis, cum similis pænâ mere temporalis imponitur. Ratio est. Quia ipsa pænâ sic imposita de-

notat exclusionem aliarum pœnarum. Si autem ponere tur pœna capitis, vel criminis læsæ Maiestatis, vel gravis infamię: tunc peccaret graulter, transgrediens legem, non quia transgreditur, sed quia se exponit periculo gravi incurrendi talem pœnam.

Secus esset si simul cum transgressione huius legis infringeretur alia lex, divina, naturalis, aut canonica. Vid. Nav. in Enchyr. c. 23. à n. 4<sup>s</sup>.

## QUAESTIO CXIX.

*De Ludo. Num sit licitus?*

v. Ludus.  
I. 2.

**M**agister Montes. Ludus est contractus duorum, vel plurium dandi rem quæ ludo exponitur, cum lucranti. Et est triplex, alius, fortunæ, alius, ingenij, & alius, fortunæ, & ingenij. Ex his ludis prohibitus est ludus fortunæ Clericis initiatis in sacris, & Beneficiatis, vt ludus alearum. Et laicis etiam imperatoria lege est prohibitus is ludus. Est tamen opinio Caietani non peccare Clericos ludentes ludi s prohibitis.

v. Clerico.  
peccata.

n. 3.

Circa Religiosos autem dicendum quod in Religionibus vbi est permissus ludus, non peccare mortaliter Religiosum ludentem, esto ludat, vt lucretur moderate, dummodo non ludat, nisi id quod sibi permissum est expendere ad suum commodum, & recreationem.

n. 4.

Circa laicos etiam dicendum, quod in virtute legum, & seclusis circumstantijs non peccare eos mortaliter ludentes ad talos, chartas &c. Jura enim positiva id prohibentia manent derogata per consuetudinem contrariam. Cæterum, quia lusores sunt vel minoris ætatis, vel blasphemant, vel dissipant bona, vel perdunt vxorum pretiosa monilia, aut vendunt pretio vili: ideo fere  
semper

semper sunt peccata mortalia huiusmodi ludi.

Arnil. Acquisitum per ludum, est obnoxium restitutioni quando est acquisitum ab eo qui alienare non poterat: vel quando lusor alium nolentem ludere traxit ad ludum minis, vel alio modo ex cupiditate lucri, vel si fraudulenter lucratus est: vel lucratus est ex ludo prohibito per leges, vel statuta prohibitoria, quæ non sunt abrogata: & in hoc casu de lucro lusor eleemosynam faciet: in alijs, perditori restituet, sicut tenetur.

Franc. Hinc habetur, non posse ludere Religiosos cum sæcularibus, vel Religiosis alterius ordinis, nisi forte aliquando moderate vnum, vel duos argenteos cū amicis, recreationis causa, & de licentia Prælati ad honeste expendendum modicam quantitatem. Id tamen non est intelligendum de ludo fortunæ, vel ludo fortunæ, & ingenij, vt chartarum &c. Vbi plus viget fortuna quam industria. Sed ludo ingenioso, puta ludolatrunculerum ( vulgo Axedrez ) & similium, vbi plus viget ingenium.

Joan. Henriq. Nam ad ludos prioris generis, vt ad chartarum ludum, non potest Prælati dare licentiam nec si det eam, potest subditus ea vti. Non enim Prælati potest dare licentiam vt expendat Religiosus pecunias vel quidpiam aliud in prophanis vsibus: is autem vsus est ex prophanioribus.

Franc. Vnde Religiosus ludens supra duos argenteos ad quencumque ludum, cum sæcularibus, vel cum Regularibus alienæ professionis, peccat mortaliter: nunquam enim habet licentiam Prælati ad prophane expendendum quantitatem gravem qualis est ultra duos argenteos respectu Religiosi. Si tamen de licentia Prælati ludo ingenioso ludat aliquid amplius supra duos argenteos, non peccat mortaliter. Scit enim Prælati

quod facit, & securus erit subditus ei modeste obtemperans.

Filij quoque familias peccant mortaliter ludentes gravem quantitatem pecuniarum quas alienare non possunt, cum non habeant dominium, nec bona, aut pecunias dominative possideant. Si tamen filius familias lucratur ab alio potenti alienare, & perdere, potest accipere lucrum: qui autem lucratur à filio familias, tenetur ad restituendum lucrum. Ratio est quia filius potest Patri acquirere, sed non potest acquisita distrahere sine licentia Patris. Et idem dicendum de servo, Religioso, vxore &c. quando non possunt alienare.

v. ludus, II

M. Montes. Potest tamen licite ludere filius familias id quod acquisivit suo labore, & industria habitans extra paternam domum. Et iterum cum Pater tradidit filio certam quantitatem, vt cum ea se aleret: tunc enim id quod ei superest parce vivendo ludere potest.

Franc. Tandem illicitus est ludus principaliter exercitus animo lucrandi, non enim est honesta recreatio, sed redolens avaritiam, nec importat societatem qua amicus amico est amicus, non autem spoliator: unde est veniale peccatum.

## QVAESTIO CXX.

### De Fraudibus ludorum.

FRANC. Fraudes in ludis contingere possunt multipliciter. 1. per furtum, vt cum quis in ludo chartarum chartas furatur: vel in alio quocunque ludo furatur calcullos, puncta, &c. 2. per dolosam mixtionem, & distributionem fallacem folliorum in ludo chartarum. 3. per acceptionem primæ manus, cum accipienti, ea non



attinet. Et quod sic quis lucratur tenetur restituere, & peccat in talibus fraudibus.

Mag. Montes. Accipiens autem primam manum ei non attinentem, si lucretur, non tamen ob hanc causam, non tenetur restituere, nisi id in quo manus prima æstimatur: secus, si ob hanc causam lucretur (vt in paribus punctis, tunc enim præcisse propter manum primam est lucrum) & in hoc casu tenetur restituere non solum totum id quod lucratur, sed etiam totum id quod perditurus erat: nam fraus accipiendi indebite manum primam est causa totius damni.

*v. fra. in  
lad. n. 20.*

Villalob. Qui autem bona fide accepit manum primam, inadvertentibus ambobus lusoribus, non tenetur restituere: is enim error per consuetudinem toleratur tanquam lex ludi: & sic excludit restitutionem.

*to. 2 tra. 28  
dif. 4. n. 13.*

Franc. Sunt etiam aliæ fraudes improprie dictæ: rigorose enim sunt industriæ ingeniosæ. V. g. Cum quis auget sponsonem, prouocat aliquando audacter, aliquando diffimulare, jam nullis, vel malis punctis, jam cum maioribus: & istæ industriæ sunt licitæ.

Est autem dubium, num lusor (videns contrarium non numerare omnia puncta quæ habet, & quod lucraretur, si ea numeraret) teneatur admonere eum, & restituere quod per erroneum contrarij computum lucratur ab eo? Resp. circa hoc duplicem esse opinionem, aliam affirmativam, aliam negativam: & vtramque censeo probabilem. In ludis autem vbi ex pacto, & conventionione ludentium, manifestatio punctorum facit ludum, non vero locutio, vel numeratio punctorum, tunc male numerans debet admoneri, ut per se patet.

## QUAESTIO CXXI.


*De Usura. Quid sit.*

**F**RANC. Usura est pretium vsus rei mutuatæ. V. g. quis mutuat vinum, aut triticum exigens recompensationem duplicem, aliam restitutionis ad æqualitatem, vt scilicet detur ei pretium vini venditi, vel eadem quantitas vini: & aliam, vsus vini venditi. Et in hac secunda recompensatione consistit usura: quæ est vitiū, & quid iniustū: nam in rebus quæ vsu consumuntur, vt vino pecunijs quarum vsus est ipsarum rerum consumptio, non debet seorsum computari vsus rei à re ipsa; sed cuicumque conceditur vsus, conceditur & res, & sic per mutuum transfertur dominium. Mutuum enim est quod de meo fit tuum.

Apparet autem quod vinum, vsu scilicet, potu, triticum, vsu, scilicet cibo, & pecuniæ, vsu, scilicet distractione in commutationibus expenduntur, & consumuntur: Vnde in his vendere seorsum vsum rei à re ipsa, est vendere quod non est, & committitur peccatum iniustitiæ, & usuræ obligans ad restitutionem.

2.2.9.78.  
4.1.

**D. Thom.** Quædam vero sunt, quorum vsus non est ipsa rei consumptio, vt domus, & in talibus potest seorsum res, & vsus concedi, & sic vnus tradit alteri dominium domus, reservato sibi vsu ad aliquod tempus; vel è conuerso, dat vsum domus, reservato sibi dominio: & tunc licite accipitur pretium pro vsu domus, & præter hoc, petitur domus accomodata vt patet in conductione, & locatione domus.



## QVÆSTIO CXXII.

*Nam liceat pro pecunia mutuata aliquam aliam commoditatem expetere?*

**C**Aietanus. Expetere propter mutuum aliquid pecunia æstimabile, ut debitum ex obligatione, seu pacto, tacite, vel expresse, usura est. Expetere vero propter mutuum, & exigere benevolentiam, & quodcumque ex benevolentia debitum, non est peccatum, sed licitum. 2. 2. q. 78. sup. 4. 2.

**D.** Thom. Si autem quis abs pacto ullo, & exactione accipiat aliquid ut gratuitum donum, non peccat: nam ante mutuacionem poterat accipere donum gratuitum, nec peioris conditionis efficitur per hoc quod mutuavit. 2. 2. q. 78. 4. 2.

**Franc.** Nec iterum est usura, si quis in mutuo ultra sortem accipiat aliquid, quod alias suum erat. V. g. cum do decem, ut solvantur mihi viginti: eo quod alias debebantur mihi decem. Hic enim non est lucrum, nec aliquid accrescit. vid. Tol, l. 5. c. 28. n. 2. & Silvestr. v. usur. 1. q. 10.

Qui autem mutuat alicui, ut vadat ad suum molendum, furnum &c. committit usuram: nam ultra mutuū, recipit utilitatem pecunia æstimabilem: & tenetur de consilio restituere pauperibus tantum quantum valet utilitas.

**D.** Thom. Recompensationem vero eorum quæ pecunia non mensurantur licet pro mutuo exigere, puta benevolentiam, & amorem eius qui mutuavit, vel aliquid huiusmodi. ibi sup.

## QUAESTIO CXXII.

De Multiplicato usurarum.

sect. 33. q. 2

**J**OHN. Henriq. Usura est triplex. 1. Mentalis. 2. Exterior explicita. 3. Exterior palliata. Mentalis est interior intentio accipiendi lucrum ultra sortem ex mutuo, quin tamen manifestet intentionem ei cui mutuat. Exterior explicita est cum quis dat mutuum faciens conditionem expressam accipiendi aliquid pro mutuo ultra sortem. Exterior palliata est, quando ultra sortem accipitur aliquod lucrum pro mutuo, implicite tamen & abscondite.

Franc. Usura tam mentalis quam exterior explicita per se patent. Usura vero palliata est difficilior, & exemplis fiet nota. Committitur ergo usura palliata 1. quando res venditur carius ad fiduciam, quam ad numeratam pecuniam. V. g. si triticum ad summum, valeat octo Regalia, & venundetur per duodecim Regalia ad fiduciam.

2. Cum indigenti pecuniâ, datur, vel venditur res, ut ea vendita accipiat pecunias quibus indiget. Et is non inveniens emptorem, vendit ei ipsi à quo rem acceperat, minori pretio, ac emerat. Quod vocatur Mohatra, seu Barata.

2. Usur. 2.  
q. 4.

Silvest. Et pessimum est pauperem duplici gladio iugulare: vno, dum communiter emit plus justo, alio, dum vendit minus. Si tamen quis simpliciter vendidisset justo pretio, de redemptione non cogitans, & emptor non inveniens emptorem, vellet venditori vendere pretio minori: non esset usura minus emendo, sed iniustitia: immo posset etiam non esse iniustitia propter lati-

tudinem pretij: vt si vendidit summo pretio rem, & emit mediocri, vel infimo.

Barth. de Medin. Committitur etiam vsura palliata *hic. §. 23.* cum quis mutuat mille ducatus alteri, & accipit ab hoc, in pignus, rem fructiferam ( vt agrum, vineam ) cuius fructus possidebit vsque dum ei solvantur pecuniæ mutuatæ.

Franc. Secus est quando pignus fructiferum accipitur pro vxoris dote: tunc enim possunt percipi fructus vsque dum solvatur dos, & deinde totaliter, & in integrum dos, propter onus matrimonij.

Rursus est vsura palliata cum quis alteri mutuat triticum vetus sub conditione restituendi novum, sciens cum mutuat plus valiturum novum. Quod intelligendum est, si præfatum triticum vetus consumpturus erat; secus si seruaturus erat, & dedit petenti vt is soluat quando voluerit, vel dubitans num plus, num minus valebit novum triticum?

Ex his, Confessarius inferet alios casus vsuræ palliatæ, ne fallatur ab vsurarijs.

## QUAESTIO CXXIV.

*Num liceat aliquando sumere aliquid ultra sortem, pro mutuo?*

**F**RANC. Licet. Et 1. Propter lucrum cessans. Cum quis pecunias expositas negotiationi, & lucro probabili, mutuat, & non habet alias pecunias quas possit mutuare. 2. Propter damnum emergens. Cum quis vt succurrat amico, accipit pecunias ad cambium, vel vendit possessionem minori pretio. In his enim casibus mutuans perdit lucrum, & incurrit damnum ob mu-

tuum: unde licet ei aliquid ultra sortem accipere.

3. Ratione pænæ conventionalis. Ut cum quis mutuans mille, imponit pænâ rectâ intentione, abs dolo, ut soluat mille & decem, si post annum non solvantur ei mille. Hæc enim pænâ imponitur præcisse ob recuperandum capitale.

## QUAESTIO CXXV.

*Num committatur usura in contractu affecurationis?*

v. negotiâ  
1. 4.

**S**ilve. Affecuratio in mercibus non est usuraria cum quis mittit, aut expectat merces per mare vel loca periculosa, timens de submersione, vel præda, & spondet alicui quinque, vel sex pro centenariis, ut ille affecuret obligans se ad soluendum omnia si perierint. Et sic affecurans licite accipit, si res saluæ fiant: expedit enim se periculo soluendi omnia.

Idem dicendum de pecunijs, cum affecurantur sicut merces: & de personis cum affecurantur per saluum conductum personale.

v. usur. 8.

**Armill.** Qui dat nauiganti mille ad negotiandum, potest accipere ab illo, vel ab alio affecurationem, quod re habebit mille: & quinque pro centenariis, vel huiusmodi: non tamen dum mutuât, debet talem obligationem petere: quia aliud est lucrum ex mutuo petere, & aliud ex negotiatione pecuniæ.

**Franc.** Est tamen alius modus affecurationis illicitus imuolens palliatam usuram ut cum quis dat Agricolaë oues ad tres, vel quatuor annos, ut simul fruantur earum lanis, & post modum reddat eas sanas, & integras: hæc nanque affecuratio est illicita, ut per se patet.

quest.

## QVAESTIO CXXVI.

*De Reliquis ad Usuram attinentibus.*

**F**RANC. In primis sciendum quod accipere mutuum sub usura, est licitum: nam sic accipiens providet suæ necessitati, nec inducit alium ad peccandum, sed hoc parato ad peccandum & dandum sub usura, is vitur peccato illius ad bonum, nempe ad providendum suæ necessitati: nec is petit usuram, sed mutuum & ille addit actum pravum huic displicentem, cum non vult mutuum sine usura dare, quo præmissio.

Circa usurarios sciendum: usurarios publicos esse infames, neque debere admitti ad Eucharistiam, nec ad Ecclesiasticam sepulturam, si in hoc peccato obierint. Imò sm Apolinar incurrit excommunicationem ipso facto qui præsumpserit sepelire cum in loco sacro. Nec debent ad sacramentalē confessionē admitti (nisi in articulo mortis) quin prius restituant usurarie acquisita, aut saltem dent idoneam cautionem ad restituendum. Et adhuc in articulo mortis, si detur tempus, antequam absolvatur, debet fieri restitutio, vel dari cautio prædicta.

60.1.1.3.1r.  
8.p.5.5.5.

Tolet. Usurarius occultus potest absolvi cum promittit, & habet propositum restituendi; dummodo non comperiat in alijs confessionibus proposuisse, & non servasse: tunc enim expectanda esset restitutio sm Silv. v. Restitu. 6, §. 1. Quod si iste usurarius est in mortis articulo, quamvis melius esset non absolvere, nisi restituat cum possit facere; tamen non tenetur Confessarius id facere, si est probabile hæredes testamenti restitutos.

l.5.c.36.n

4.

## QUAESTIO CXXVII.

*De Simonia. Quid sit?*2. 2. q. 100  
4. 1. per tot.

**D.** Thom. Simonia est studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum.

Franc. Nam Simonia trahit nomen à Simone mago qui donum Dei voluit pecunia emere Act. 8. Vnde est peccatum ex genere suo mortale emere, vel vendere spiritualia ex gratuita Dei voluntate prouenientia: fit enim irreuerentia rebus sacris, donisque diuinis, & Deo eorum authori, cum indigne tractantur, & commutantur pretio temporali.

*Ib. ad 5.*

**D.** Thom. Nec permutatio præbendarum vel ecclesiasticorum beneficiorum fieri potest autoritate partiū absque periculo simonię, sicut nec transactio ( seu transitio actionis, vel discessio non gratuita, sed aliquo dato, vel retento, vel promisso, ut cum duo litigant, & unus discedit à lite dubia, & incerta, facta aliqua pactione ) ut iura determinant. Potest tamen Prælatus ex officio suo permutationes huiusmodi facere pro causa utili vel necessaria.

## QUAESTIO CXXVIII.

*Num semper sit illicitum pro sacramentis pecuniam dare?*

**F**ranc. Sacramenta nouæ legis maxime spiritualia sunt, cum sint causa gratiæ quæ pretio æstimari non potest: & alias gratuite dari debet: sic igitur illicitum



est & simoniacum accipere pecuniam, vel quidpiam pecunia estimabile pro spirituali sacramentorum gratia: non autem est illicitum accipere pro sustentatione ministrorum qui sacramenta conferunt. Qui enim altario deserviunt, cum altario participant ut dicitur 1. Cor. 9. Non enim accipitur ut pretium mercedis, sed ut stipendium necessitatis.

In casu autem redemptionis alicuius vexationis putā, cum Sacerdos non vult morientem puerum baptizare sine pretio, adhuc est illicitum dare ei pecuniam pro baptismo.

Caieta. Et tunc habens curam pueri, & non valens baptizare eum, quia forte est mutus, licite daret pecuniam Sacerdoti avaro, non ut baptizet, sed ut auferat obicem prohibentem illum baptizare, scilicet avaritiam illam ut impeditivam baptismi. Rationi enim consonum videtur redemptionem vexationis habere locum in hoc casu.

## QVAESTIO CXXIX.

*Num liceat dare, & accipere pecuniam pro spiritualibus actibus?*

**D.** Thom. Sicut Sacramenta dicuntur spiritualia quia spiritualem gratiam conferunt; ita quædam alia dicuntur spiritualia quia ex spirituali gratia procedunt: & ad eam disponunt; quæ tamen per hominum ministerium exhibentur quos oportet à populo sustentari cui spiritualia administrant. Et ideo vendere quod spirituale est in huiusmodi actibus, aut emere, simoniacum est.

Franc. Sed accipere, & dare pro sustentatione mini-

strorum est licitum. Et iterum gratis spiritualibus prius exhibitis, licite possunt statuta, & consuetæ oblationes & alij proventus exigi à nolentibus, & valentibus solvere autoritate Superioris.

Sed Rogabi, quid nomine rei spiritualis, intelligatur in præsentibus? & quotuplicia sint spiritualia quæ emi, & vendi non possunt?

v. simo-  
nis. 3.

M. Montes. Sciendum quod pro re spirituali intelligitur omne id quod procedit à Deo vt authore gratiæ, & quæ ordinantur ad eum tanquam finem gratiæ. Et hæc sunt triplicia. 1. pure spiritualia, vt virtutes supernaturales, potestates, earum que vsus. 2. Mixta cum temporalibus; plus tamen habentia seu participantia de spirituali, vt sacramenta, sacramentalia, & beneficia. 3. Plus participantia de temporalibus, quam de spirituali, vt vasa sacra, templa, officia Cantorum, & similia.

hi. 5. 20.

Bart. de Medina. Vel aliter. Res spiritualis de qua hic est sermo non sumitur pro rebus incorporeis vt angelis, & animabus, sed pro eo quod gratiose dedit spiritus sanctus hominibus ad ædificationem Ecclesiæ.

Franc. Vnde pro his gratiosis nihil debet summi: sed pro sustentatione sua, & eorum quorum curam habent ministri Ecclesiæ, vt parentum, fratrum, & huiusmodi, accipiunt statuta stipendia secundum ordinationem Ecclesiæ, & consuetudinem approbatam.

Rogabis. Num pro ingressu in Religione, possit summi aliquid, vt sumitur cum sanctimonialibus ingrediuntur?

2. 2. q. 100  
a. 3. ad 4.

D. Thom. Pro ingressu Monasterij (quamvis Religio sit status perfectionis spiritualis) si monasterium sit tenue quod non sufficiat ad tot personas nutriendas, licitum est pro victu personæ recipiendæ in monasterio, aliquid accipere, si ad hoc non sufficiant monasterij opes;

gratis quidem ingressu monasterij exhibito (pro ingressu enim monasterij non licet aliquid exigere, vel accipere quasi pretium.)

Similiter etiam licitum est, si propter deuotionem quam aliquis ad monasterium ostendit, largas elemosynas faciendo, facilius in monasterio recipiatur. Sicut etiam licitum est aliquem è conuerso provocare ad deuotionem monasterij, per temporalia beneficia; vt ex hoc inclinetur ad monasterij ingressum licet non sit licitum ex pacto aliquid dare, vel accipere pro ingressu Religionis, vt habetur 1. q. 2. ca. quod pio.

## QUAESTIO CXXX.

*Num sit licitum pecuniam accipere pro his quæ sunt spiritualibus annexa?*

**F**RANC. Annexa spiritualibus sunt in duplici differentia. 1. Dependens à spiritualibus, vt beneficia Ecclesiastica, quæ non competunt nisi habentibus officium Clericale: & hæc non possunt vendi. 2. Ordinata ad spiritualia, vt jus patronatus quod ordinatur ad præsentandum Clericos ad beneficia Ecclesiastica: & vasa sacra ordinata ad sacramentorum usum. Et hæc in quantum sunt annexa spiritualibus vendi non possunt: materia vero vasorum sacrorum pro necessitate Ecclesiæ, & pauperum vendi potest, præmissa oratione eis fractis: sic enim non intelliguntur esse vasa sacra, sed purum metallum.

Videmus tamen jus patronatus transire cum re vendita, & in feudum concedi. Decimæ etiam conceduntur quibusdam militibus, & redimi possunt. Prælati etiam interdum retinent sibi ad tempus fructus præbendarum quas

conferunt cum tamen præbendæ sint spiritualibus annexæ. Pensiones quoque imponuntur super fructus beneficiale: imo beneficia mutantur de vno ad alium. Tandem plura spiritualibus annexa emuntur & venduntur vt sepulturæ, imagines xpi, & sanctorum, Cruces, libri sacri &c. Ergo licitum est emere & vendere spiritualibus annexa.

*ibid. ad 3.*

D. Thom. dicendum quod ius patronatus per se vendi non potest nec in feudum dari, sed transit cum villa quæ conceditur vel venditur. Jus autem spirituale accipiendi decimas non conceditur laicis, sed tantummodo res temporales quæ nomine decimæ dantur.

Circa collationem vero beneficiorum sciendum est, quod si Episcopus antequam beneficium alicui conferat, ob aliquam causam ordinaverit aliquid subtrahendum de fructibus beneficij conferendi, & in pios vsus expendendum, non est illicitum. Si vero ab eo cui beneficium confert, requirat aliquid sibi exhiberi de fructibus illius beneficij, idem est ac si aliquid munus ab eo exigeret, & non caret vitio simoniæ.

Franc. In pensione nulla est simonia: est enim pensio. Jus percipiendi fructus ex alieno beneficio alicui iusta de causa sive ad tempus sive in perpetuum concessum. Vnde super aliquod beneficium Ecclesiasticum solet Papa concedere pensionem puta pauperi scholastico vt possit scholas adire ibique se alere & studere.

Circa vero beneficiorum permutationem est distinguendum. Nam permutatio quæ est mutua beneficiorum resignatio est licita iustis causis intercedentibus vel necessitatis vel utilitatis Ecclesiæ.

Apolin. Ad quæ reduciunt Authores, inimicitias, malum temperamentum, vel alia damna corpora quod sm Pium V. iudice debet probari, & Prælati in iudicio examinare.

10. 1. 1. 3 p.

3. 1. 1. 1. 5.

4.

Vnde sm jus: permutatio beneficiorum auctoritate Superioris est licita; si vero fiat auctoritate privata, est simoniaca, juxta communem sententiam, in qua licitum est ante consensum Prælati tractare de permutatione quamvis sit cum onere pensionis, & obligare se ad vicem, si Prælatus consenserit. Id autem licere negant nonnulli.

*ibid. tra. 3.*

§ 15.

Bartho. de Medin. Est altera simonia specialiter prohibita à Pio V. qui gravissime damnat confidentias. Olim enim resignabat quis Canonicatum, aut beneficium in amicum in confidentia quod daret nepoti resignatoris, seu quod ei vel eius mandatum habenti ferret fructus. Totum tamen hoc iam est damnatum justissime, ne beneficia hæreditentur & consequentur veluti patrimonia propria in Clericis fraudulentis, qui vitam ducere volunt in magnis pompis & delicijs cum beneficijs Ecclesiæ. Et qui resignant beneficia his confidentijs sunt simoniaci.

*In Instru.*

§ 22.

Tolet. Etiam est simonia, spirituale beneficium commutare cum illo, spirituali quod maiori ex parte temporale est: & hoc modo beneficium permutare cum pensione, simonia est. Adde permutationem non debere fieri ob aliquod commodum temporale, ut prætium: tunc enim simonia esset: ut si quis permutaret beneficiū cum altero, ut eius soror nuberet fratri suo aut remitteret iniuriam aut ob aliquid tale.

*l. 5. c. 91.*

n. 1.

n. 2.

Villalob. Circa sepulturam dico simoniam esse vendere ecclesiasticam sepulturam in quantum benedictam: licitum tamen est emere ius sepeliendi se & successores in vna sepultura, & quod alius in ea non possit sepeliri. Hic enim non venditur spirituale, nec annexum spirituali sed onus conjunctum per accidens.

*to. 2. tra.*

37. dif. 12.

Nec iterum est simonia si venditur hoc ius sepeliendi

le & successores, carius eo quod sit in meliori loco Ecclesie ut communiter tenent theologi, & Iuristæ: hoc enim non est spirituale, sed æstimationis humanæ, veluti si Rex sepultus esset in aliqua Ecclesia, & ob hoc forte esset honorabilius sepeliri ibi quam alibi.

ibi. n. 2.

Secundum Silvestrum cum Hostiensi, simonia est dare quancumque rem seu promittere ut eligatur sepultura. Et adhuc qui habent sepulturas ubi non sepeliuntur nisi Confratres, & Canonici si faciunt sanctionem, seu pactum, vel habent taxatum quanto pretio debeat illic extraneus sepeliri, committunt simoniam.

Franc. Circa reliqua, scilicet imagines sacras, cruces, &c. dicendum quod id quod in eis est spirituale, & sacrum non est vendibile, sed materia, & ratio materiae æstimatur pretio: unde, Crux aurea, vel ferrea, in quantum est Crux non venditur sed in quantum est aurea vel ferrea: & ideo magis valet materia Crucis aureæ, quam ferreæ.

Et præterea, ut appareat materiam solam in his rebus venditioni subiacere est exemplum quotidianum & experimentale, nam plus datur pro imagine argentea equi, avium, piscium, vel florum &c. quam pro materia lignea vel papyrea in qua est depicta imago alicuius sancti, vel Crux Christi Servatoris. Ergo signum est nihil spirituale hic vel in his rebus vendi, sed tantum materiam temporalem, ad modum quo in vestibus & vasibus sacris venditur materia, non consecratio.

Unde Calix consecratus si sit eiusdem ponderis formæ & metalli cum non consecrato, nequit eius materia ratione consecrationis pluri vendi ceteris paribus ac materia calicis non consecrati.

Rogabi. Num semper ac vasa sacra vendi debeant pro utilitate, necessitate que Ecclesie, alijsq. justis causis, confringenda sint?

Silvest.

Siluest. Si vendantur personæ Ecclesiasticæ, pos-  
sunt integra vendi: si autem vendantur alijs non ad  
vsum Ecclesiæ, debent prius frangi oratione præmissa.  
Si tamen aliquis laicus emeret calicem non ad vsum  
prophanum, sed vt interdum faceret in eo sacramen-  
tum confici reverenter, non video quod sit necesse  
prædicta vasa frangi.

Apolin. Tandem: in Reliquijs Sanctorum, quod-  
cunque lucrum in ostensione, locatione, aut venditio-  
ne earum, est simonia: in eis enim non distinguitur  
materiale à formali: nam materiale non est sine æstima-  
bile. Cæterum ratione materiæ in qua custodiuntur  
(veluti in capsula argentea, bursa holoserica) possunt  
vendi dummodo non vendantur pluris ratione reli-  
quiarum.

## QUAESTIO CXXXI.

*Num sit licitum accipere pecunias pro collatione instru-  
mentorum & scripturarum, & licentiarum circa  
spiritualia?*

**C**oncilium Tridentinum Quoniam ab Ecclesiastico ordi-  
ne omnis avaritiæ suspicio abesse debet; nihil pro  
collatione quoruncumque ordinum etiam clericalis  
consuræ, nec pro litteris dimissorijs, aut testimoniali-  
bus, nec pro sigillo, nec alia quacunque de causa, etiam  
sponte oblatum Episcopi & alij ordinum collatores aut  
eorum ministri, quovis prætextu accipiant. Notarij  
vero in his tantum locis in quibus non viget laudabilis  
consuetudo nihil accipiendi, pro singulis litteris dimis-  
sorijs, aut testimonialibus, decimam tantum vnius au-  
rei partem accipere possint, dummodo eis nullum sala-

rium sit constitutum pro officio exercendo: nec Episcopo ex Notarij commodis aliquod emolumentum ex eisdem ordinum collationibus directe, vel indirecte provenire possit: Tunc enim gratis operam suam eos præstare omnino teneri decernit sancta Triden. Synodus.

Contrarias taxas, ac statuta & consuetudines etiam immemorabiles, quoruncunque locorum, quæ potius abusus, & corruptelæ, simoniacæ pravitati faventes, nuncupari possunt, penitus cassando & interdicens: & qui secus fecerint tam dantes quam accipientes, ultra divinam ultionem, pœnas à jure inflictas, ipso facto incurrant.

Tolet. Vbi nota, non excusari Episcopos Titulares qui in aliorum dioccesibus ordinant, ipsis principalibus consentientibus: isti enim nihil possunt accipere, sed petant à suis diocessarijs suam sustentationem. Nota etiam esse periculum etiam candelas accipere, nã Concilium generalissime loquitur.

M. Montes Cancellarius Episcopi pro labore dandi licentias ad confessiones audiendas, & prædicandum verbum Dei nihil potest accipere. Sacra enim Congregatio sm Barbosam declaravit Episcopi Cancellarium omnino gratis debere dare approbationem ad confessiones audiendas, & licentiam ad Sacramenta administranda, servire beneficia, sepelire mortuos in Ecclesijs, dicere missam, colligere eleemosynas, & publicationes ad eos qui volunt tonsura, sive Corona initiari.

Cæterum pro instrumentis seu expeditionibus collationum, institutionum, seu provissionum beneficiorum quacunque causa vacantium, vel morte, vel permutatione, vel alias: pro litteris dimissorialibus, quæ dantur Clericis ut eant ad alterum episcopatum, vel ad or-

l. 5. c. 88.  
n. 3.

v. simonia.  
10.

in Trid. ff.  
21. c. 1 n.  
16.



dinandum : pro approbatione tituli patrimonij, vel beneficij, pro licentia abessendi ab Ecclesia seu beneficio, seu ad erigendum Capellam, pro litteris approbationis concurrentium ad parroquiales in mensibus Papæ : pro approbatione foundationis juris patronatus, seu donationis, pro erectione Viccarij in Parrochialibus : pro deputatione maiorum domus quando vaccant beneficia : pro executione litterarum apostolicarum, siue sint de gratia, siue de iusticia.

Pro his omnibus litteris, si non habeat salarium, stipendium ve præassignatum, potest accipere congruam portionem quæ non debet excedere quantum ad litteras lationis, vel institutionis Ecclesiarum Curatarum unius scutum : quantum ad litteras dimissoriales, & testimoniales decimam partem unius scuti.

Villalob. Accipere pretium pro dispensatione est si- *1.2.tra.37.*  
 monia, non tamen accipere pro sustentatione ministro- *dis 19. n.*  
 rum & status dispensatoris. Hoc autem non extenden- *7. & 8.*  
 dum est ad Episcopos quibus præcipitur in jure vt sine  
 pacto, & modo dent dispensationes. Et Tridentinum  
 ait quod cum dispensandum sit, gratis sit, sic Navarrus, *sess. 25. c. se*  
 Vgolinus, & Suarez : imo ly gratis sm Suarez non so-  
 lum excludit pretium, imo quodcunque onus grava-  
 men que pecuniæ, pro quocunque titulo fuerit.

Addit que non debere facile permitti imponi hæc  
 onera ad salaria ministrorum : Episcopi enim tenentur  
 proprijs expensis alere eos ; quamvis consuetudo possit  
 in hoc, multum valere : in hoc enim casu nihil speciale  
 habetur in jure. Vltcrius addit, per hoc non prohiberi  
 Episcopis, quod cum dispensant, præcipiant dare ali-  
 quam eleemosynam per viam commutationis ; præcipue  
 cum dispensant in votis, & in observatione festi : non  
 enim tenentur pure dispensare, quim possint miscere  
 commutationem.

## QVÆSTIO CXXXII.

*Num liceat spiritualia dare pro munere quod est ab obsequio vel lingua?*

2.2.9.100  
a. 5.

**D.** Thom. Nomine pecuniæ intelligitur cuiuscunque pretium quod pecunia mensurari potest. Manifestum est autem quod obsequium hominis ad aliquam utilitatem ordinatur, quæ potest pretio pecuniæ æstimari: unde pecuniaria mercede ministri conducuntur. Et ideo idem est quod aliquis det rem spiritualem pro aliquo obsequio temporali exhibito vel exhibendo ac si daret pro pecunia data vel promissa qua illud obsequium æstimari posset.

Similiter etiam quod aliquis sati faciat precibus alicuius ad temporalem gratiam quærendam ordinatur ad aliquam utilitatem quæ potest pecuniæ pretio æstimari. Et ideo sicut contrahitur simonia accipiendo pecuniam vel quamlibet aliam rem exteriorem, quod pertinet ad ad munus à manu, ita etiam contrahitur per munus à lingua, vel ab obsequio.

*ad I.* Si autem aliquis Clericus alicui Prælato impendat obsequium honestum ad spiritualia ordinatum (puta ad Ecclesiæ utilitatem, vel ministrorum eius auxilium) ex ipsa deuotione obsequij redditur dignus Ecclesiastico, beneficio sicut & per alia bona opera. Dignum est, sicut Grego. in Registro Ecclesiasticis utilitatibus deservientes, Ecclesiastica remuneratione gaudere.

Si vero sit inhonestum obsequium vel ad carnalia ordinatum (puta qui seruiuit Prælato ad utilitatem conguineorum suorum, vel patrimonij sui, vel ad aliquid huiusmodi) erit munus ab obsequio & erit simoniacum.

Si autem aliquis aliquid spirituale alicui conferat gratis propter consanguinitatem, vel quancunque carnalem affectionem, est quidem illicita, & carnalis collatio, non tamen simoniaca, quia nihil accipitur ibi: unde hoc non pertinet ad contractum emptionis & venditionis in quo fundatur simonia. ad 2.

M. Montes. Formalitas enim simoniæ consistit in dare & recipere rem temporalem pro pretio rei spiritualis. 2. Simonia. 5.

D. Thom. Si autem aliquis dat beneficium Ecclesiasticum alicui hoc pacto vel intentione ut exinde suis consanguineis provideat, est manifesta simonia.

Villal. Pluries contingit vnum regere alium ut sibi det beneficium, Prælationem, vel rem spiritualement, & ad inclinandum eum, dicit se fore gratum: quaeritur si in hoc & similibus casibus simonia committatur? 2. 2. tra. 37. dif. 17.

Navarrus negative respondet. Ratio est, quia hæc verba nullam inducunt obligationem, Im Axioma. Verba virbana non obligant. Si vero intentio sua fuit movere eum cum spe lucri, erit mentalis simonia.

Apolinar. Tandem in munere à lingua continentur præces, intercessiones, favores, & laudationes, quæ si offerantur non propter commutationem rerum spiritualium, sed solum ad movendum animum eius qui daturus est, non est simonia. to. 1. l. 3. p. 3. tr. 5. 6.

## QUAESTIO CXXXIII.

### *De Poenis simoniacorum.*

**F**RANC. Multiplex est pæna contra simoniacos. Et in primis simoniacus mentalis ille scilicet qui habuit

voluntatem vendendi beneficium, non tamen vendidit nec dedit beneficium, nec accepit pecuniam, licet peccaverit in Deum non tamen incurrit pœnas pronuntiatas contra simoniacos.

In instru.  
§. 20.

Barthol. de Medin. Nec tenetur quidpiam restituere, ad modum quo qui vult occidere, & non occidit ad nihil tenetur nisi ad dolendum de suo peccato, de eo que pœnitendum.

In sum. tra  
5. 7. §. 7.  
p. 5.

Remig. Prima pœna contra simoniacos est excommunicatio ipso facto, reservata Papæ, quæ ligat non solum conferentes, sed etiam mediantes, procurantes ut alijs dentur beneficia, & officia ecclesiastica, mediante electione præsentatione postulatione, institutione, confirmatione, commendatione simoniace. Manet etiam excommunicatus qui sic recipit beneficium.

Secunda pœna est. Est irritatio, & nullitas provisionis unde recipiens nullum acquirit jus, & consequenter tenetur restituere fructus.

Franc. Hæc de simonia reali & effectu secuto intelligi per se patet. Est tamen quædam species simonię veluti mediã inter realem, & mentalem, ut cum quis confert alteri beneficium, quin exterius aliquid explicet; ipsi tamen tam dator quam acceptor sciunt talem collationem non fieri gratis. Et hæc simonia obligat ad restitutionem beneficij, fructuum que eius: quamvis probabile sit in hoc casu non teneri ad restitutionem qui accepit pecunias pro beneficio quod dedit.

ubi sum. c. 21

Barth. de Medi. Altera vero opinio certior est, teneri ad restituendas pecunias quas pro beneficio accepit: nã accipit pretium pro eo quod tenebatur dare gratis. Et quidem qui committit vsuram mentalem tenetur restituere quod ultra mutuum tulit. Ergo committens simoniam mentalem, tenetur ad restituendum: siquidem

utrique præcipitur ut dent gratis, alteri quod mutuet gratis, & alteri quod gratis det & sine pretio rem spirituales: & quamvis in cap. final. de simonia contineatur oppositum nrę opinionioni, responderi potest illic Papam locutum fuisse opinionem probabilem, ceterũ probabilius est contrarium.

In simonia in qua quis dat pecunias pro beneficio, quod non dum accepit, debet Confessarius mouere ut desistat ab hoc contractu, & quod repetat suas pecunias quas ille tenetur reddere cum is non sit privatus dominio earum ante condemnationem iudicis. In simonia vero completa dato beneficio, & accepta pecunia uterque incurrit pœnas contra simoniacos: & ultra, acceptor pecuniæ tenetur eam reddere datori ante condemnationem iudicis, non enim priuatur earum dominio ante condemnationem. Et acceptor beneficii tenetur resignare id in manus Prælati, nam dator beneficii propter simoniam commissam remanet inhabilis ad beneficium, & propter resignationem factam.

Idem dicendum cum quis dat beneficium pro pecunijs non dum solutis, sed in fiducia: uterque enim incurrit pœnas supra dictas & qui recepit beneficium tenetur resignare illud in manus Prælati.

Remedium in his duobus casibus est duplex. 1. subijci pœnis manentes excommunicati & inhabiles ad illũ, & aliud quodcunque beneficium, & non faciunt suos fructus quos ex tali beneficio percipiunt. 2. Exigere dispensationem vel à Nuntio Papæ si habet potestatem ad hoc & ad conferendum beneficium in foro conscientię, & componere se cum collectore de fructibus male perceptis. Vel si Nuntius non habeat potestatem ad id, fiat accessus ad Papam pro dispensatione & reliquis necessarijs ad securitatem conscientię.

Et interim Confessarius si non sit mora in missione pro dispensatione poterit virtute bullæ talem absolvere, secus si differat petitionem dispensationis, non enim debet absolvere vsque dum veniat dispensatio.

D. Thom. Pecunia, vel possessio, vel fructus simoniace accepti debent restitui Ecclesiæ (scilicet in qua est beneficium) in cuius iniuriam data fuerunt, non obstante quod Prælati vel aliquis de Collegio illius Ecclesiæ, fuit in culpa: quia eorum peccatum non debet alijs nocere: ita tamen quantum fieri potest ipsi qui peccaverunt, inde commodum non consequantur. Si vero Prælati & totum collegium sunt in culpa; tunc debet cum auctoritate Superioris vel pauperibus vel alteri Ecclesiæ erogari.

Apolin. Secundum jus dare & recipere Ordines propter temporale pretium est simonia: & per quoddam extravag. Ordinans, & Mediator vel Præsentator ipso iure incurrit excommunicationem maiorem Papæ reservatam (probabile est non intelligi in prima Tonsura) Item per Bullam Sixti V. incurrit suspensionem ipso iure ut non possit ordinare adhuc de prima Tonsura, nec exercere Pontificale.

Item Sixtus V. imponit ei interdictum ab ingressu Ecclesiæ, & non observanti id ponit suspensionem gubernationis, & administrationis suæ Ecclesiæ & proventuum seu utilitatum fructuum omnium suorum beneficiorum. Et sic Ordinatis ultra excommunicationem imponit pœnam suspensionis suorum Ordinum: cæterum est probabilius hanc pœnam non se extendere ad ordines legitime susceptos.

Villalob. Hęc excommunicatio & suspensio in simoniace ordinato incurritur quamvis delictum sit occultum; & si præsumit administrare, manet irregularis quia frangit

2.2.9.100  
6.6.444.

1.1.3.7.3.  
114.3.5.1.

114.37. dif.  
34.7.5.6.  
6.

frangit censuram & à nullo nisi à summo Pontifice potest absolui à censuris, nec vllus præter Papam poterit cum eo dispensare. Si vero eo ignorante quis daret pecunias vt ordinaretur, non incurret has pænas, nec iterum quando post ordinationem id sciret, & restitueret datori suas pecunias, quas pro eius ordinatione dedit eo nesciente.

Franc. Tandem in resignatione confidentiali: cum quis retinet jus in beneficio quod relinquit vt possit repetere ab eo cui dedit cedente hoc: vel quando datur sub confidentia vt datori solvatur pensio, vel seruet certas condiciones, interveniente tacito, vel expresso pacto est simonia.

Remig. Contra quam sunt speciales pænae. I. Interdictum ab ingressu Ecclesiæ contra Prælatos Ecclesiasticos, & communicatio latæ sententiæ reservata Papæ. Inhabilitas ad ipsum officium & alia, ipso facto: amissio beneficiorum antea legitime acquisitorum, post sententiam, delicti scilicet declaratoriam.


Apolin. Et contra recipientem, excommunicatio maior Pontifici reservata, & probabile est etiam contra resignantem.

Vital. Hæc excommunicatio Papæ est contra vtranque partem sicut in cæteris beneficijs & statim quo quis accipit beneficium ipso jure manet excommunicatus, antequam alter adimpleat promissum.

vbi supr.  
n. 6.

vbi supr.  
§. 17.

vbi supr. dis  
38. n. 2.



## DE OCTAVO PRÆCEPTO DECALOGI.

## QUÆSTIO CXXXIV.

*Num bene tradatur hoc Præceptum?*

**F**Ranc. Bene. Sic enim traditur in Exod. c. 20. Non loqueris contra proximum tuum fallum testimonium.

*In Enchyry.  
c. 18. n. 1.*

Mart. Navar. Hoc præcepto principaliter prohibetur latio falsi testimonij judicialis, & veri celatio: & secundo omnis significatio inordinata verborum, signorum, & factorum quæ fit mentiendo inhonorando, susurrando, derimendo, maledicendo, detrahendo.

*1. 2. q. 100  
4. II.*

D. Thom. Octavo præcepto quod est de prohibitione falsi testimonij, additur prohibitio falsi iudicij in illud Exod. 23. Nec in iudicio plurimorum acquiesce sententiæ ut à veritate devies. Et prohibitio mendacij, sicut ibi subditur. Mendacium fugies. Et prohibitio detractionis, in illud Levit. 19. Non eris criminator, & susurro in populis.

Franc. Iudicia quoque temeraria attinent ad hoc præceptum prohibens ea, & nonnulla alia, de quibus erit sermo per sequentes quæstiones.

## QUÆSTIO CXXXV.

*De falso testimonio.*

**F**Ranc. Falsum testimonium est dictum contra proximum de eo quod non est in eo, vel non fecit. v. g.



dicere aliquem fecisse peccatū quod non fecit, vti falso dixerunt Ienes Dan 13. testimonium contra Iulannam.

*Apolin.* Falsum testimonium graviter inhonorans famam, est peccatum mortale, & obligat ad restitutionem, nisi excuset inadvertentia; seu indeliberatio, seu parvitas materiæ: fama vero est, bona multorum æstimatio de alicuius vita, & moribus.

*t. 1. l. 2. p.*  
*2. tra. 23.*  
*§. 1.*

*Bar. de Medi.* Circa hoc præceptum notandum est non solum contra illud peccare loquentem falsum testimonium contra proximum, verum etiam & loquentem contra se. Quia propter Xps referens hoc præceptum in Evangelio, non dixit nisi, non loqueris falsum testimonium.

*in instrum.*  
*§. 34.*

*Franc.* Quando vero quis dicit verum occultum non servans ordinem juris, ex quo inhonorat proximū, committit peccatum quod reducitur ad falsum testimoniū. v. g. cum quis manifestat vnum esse adulterum, quando id est occultum & secretum. Et huiusmodi iniusta manifestatio delicti occulti erit peccatum mortale, vel veniale sm gravitatem delicti manifestati.

*Remig.* Ratio est quia ille cuius peccatum secretum est, adhuc retinet bonam famam cum omnibus: & manifestator tollit ab eo hanc famam injuste revelans sine ordine juris servato.

*in sum. tra.*  
*2. c. 8. §. 1.*  
*n. 1.*

*Franc.* Quomodo autem facienda sit restitutio famæ ablatae tam in hoc casu quā in falso testimonio directo, dictum est supra in hoc libr. quæst. 93. §. D. Thom. Ad 3. dicendum &c. Quod hic sciendum est, quid dicatur publicum, vel occultum? ad quod dico quod est duplex publicum, seu notorium, aliud juris, & aliud facti.

*Silvest.* Notorium juris est triplex, scilicet illud de quo quis est condemnatus in iudicio, vel convictus, vel sponte confessus. Ex sententia enim in iure facta

*v. not. q. 3.*

oritur notorium nec potest amplius retractari : similiter ex probatione clara & indubitata : & ex spontanea confessione.

9. 4. Notorium autem facti est quod est publicum in maiore parte populi. Populus autem sive plebs per decem personas fit: vnde supple. Et sum. Rosel. habent quod ad notorium facti sufficit scientia omnium vel maioris partis eorum qui sunt in aliquo loco scilicet villa vel parochia, etiam inquirunt si ibi non sint nisi decem personæ, & sic consequenter sufficit si sciant sex, quia eo casu testis est populus cum sit testis maior pars populi. Et populus si sit viginti hominum sufficit ad esse notorium in tali populo si vndecim sciant, & sic de alijs.

sect. II. q. 2  
n. 3. Joan. Enriqu. Vel aliter, dicendum cum Leonardo, Lessio, & Petro de Navarra, quod notorium facti est quod fit in loco publico veluti foro, vel vbi solet adesse concursus populi, & gentis : & similiter est notorium facti quod fit manifeste in domo, vt sustentare filios abs cura quod videantur ab alijs, vel quando quis incarceratur.

Est autem aliud notorium per famam, quod scitur in maiore parte vrbis, vel plateæ, seu vici : vel scitur à maiori parte Monasterij vel Collegij, dummodo habeat supra decem personas : & hoc notorium per famam dicitur communiter, publicum.

Franc. Occultum quoque est duplex, aliud per se, aliud per accidens : occultum per se est quod non potest percipi per sensus, & consequenter nec probari. Vt cogitationes internæ. Occultum per accidens est illud quod quantum est de se, est cognoscibile & perceptibile per sensus, per accidens autem occultatur. Vt dictum, vel factum alicuius intra privatos parietes clausis januis, quod quidem (vt pote res externa) cognoscibile est per

visum, vel auditum; tamen quia à nullo auditur, vel videtur, dicitur occultum per accidens. Nam per accidens est quod non percipiatur ab aliquo quod perceptibile est ex natura rei.

Remig. Qui igitur manifestat peccatum publicum non in promptu orietate facti, vel juris non peccat mortaliter: quamvis contra charitatem peccaret qui manifestaret peccatum rei in Indijs v. g. vbi reus suis bonis moribus, & actibus obtinuerat probam opinionem, & sui existimationem. c. 9.

## QVÆSTIO CXXXVI.

*De falso iudicio in iudicatura juris.*

**F**RANC. Iudicium proprie nominat, quoad præsens, actum iudicis in quantum iudex est: iudex autem dicitur quasi dicens jus quod est obiectum iustitiæ: unde iudicium importat diffinitionem, seu determinationem juris seu iusti.

Tolcius. Ut iudex sit verus & rectus quatuor debet habere, potestatem, veritatem, formam, & vim executionis. Potestas quadruplex est, vna ordinaria, altera delegata ex commissione Ordinarii, alia arbitraria cum quis in iudicem ab aliquibus eligitur, alia accessoria quam quis habet supra alium alterius potestati subiectum, tamen commisit delictum in loco jurisdictionis alterius, Unde Romanus punitur Neapoli si Hic commisit delictum.

Fr. Veritas quæ requiritur ad rectum iudicium est duplex, alia in re, alia sibi allegata & probata: Veritas in re, ex ipsis terminis patet: quando enim sic est in re ut dicitur, videtur, auditur &c, tunc est veritas in re. Ut

cum video Petrum occidisse Joannem.

Veritas *sm* allegata, & probata est ea quæ innotescit per instrumenta & testes: & hæc aliquando invenitur cum veritate in re, vt in casu posito; aliquando vero potest inveniri sine veritate in re, vt si testes deponant mendaciter & false contra innocentem. Et in hoc casu est distinguendum. Nam vel iudex ignorat esse innocentem eum contra quem falsi testes insurgunt, vel non: si quidem ignorat, potest absolute ferre sententiam *sm* ea quæ iudice proponuntur & probantur servatis iuribus & legibus quæ ad verum & rectum iudicium requiruntur: & tunc quamvis in re ferat falsam sententiam, non tamen peccat: nam iudicat *sm* allegata, & probata, & legitima documenta ex parte sui; quamvis peccent testes falsi.

Si autem iudex sciat eum quem accusant & contra quem deponunt testes esse innocentem. V. g. Videt iudex Petrum occidisse Joannem, & tamen incarceratur Paulus innocens tanquam occissor Joannis, qui per falsos testes convincitur de homicidio: tunc est duplex sententia. Prima Divi Thomæ quam teneo, quæ sic se habet.

2.2.q.64.  
a.6.ad.3. D. Thom. Iudex si scit aliquem innocentem esse qui falsis testibus convincitur, debet diligentius examinare testes vt inveniat occasionem liberandi innoxium sicut Daniel fecit. Si autem hoc non potest, debet eum Superiori relinquere iudicandum. Si autem hoc non potest, non peccat *sm* allegata sententiam ferens: quia ipse non occidit innocentem, sed illi qui eum asserunt nocentem.

Præterea: iudicare pertinet ad iudicem *sm* quod fungitur publica potestate. Et ideo informati debet in ju-

dicando non s̄m id quod ipse novit tanquam privata persona, sed s̄m id quod sibi innotescit tanquam personæ publicæ. Hoc autem innotescit sibi & in communi, & in particulari: in communi quidem per leges publicas vel divinas vel humanas, contra quas nullas probationes admittere debet: in particulari autem negotio, per instrumenta, & testes, & alia huiusmodi legitima documenta quæ debet sequi in iudicando magis, quam id quod ipse novit tanquam privata persona. Ex quo tamen ad hoc adjuvari potest ut districtius discutiat probationes inductas ut possit earum defectum investigare: quod si eas non possit de jure repellere, debet sicut dictum est, eas in iudicando sequi.

Franc. Secunda opinio est multorum asserentium iudicem s̄m allegata & probata non debere iudicare contra veritatem quam novit ut privata persona. Et inter plures rationes quas asserunt duæ sunt potissimæ.

Prima: quia iudicare contra veritatem est contra jus naturale & contra jus divinum Exod. 23. Non suscipies vocem mendacij, neque in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ ut à veritate denies. Et subditur. Innocentem, & iustum non occides.

Secunda: quia homo in iudicando debet se conformari Deo; Deus autem iudicat s̄m veritatem: Ergo homo iudex sic debet iudicare.

Caiet. Ad 1. dicitur quod occidere innocentem per se, ita quod intendatur occisio innocentis est contra omnia jura: sed occidere innocentem per accidens dando operam rei licitæ, & necessariæ, ut facit utens publico officio, non est contra jus naturale, divinum, aut scriptum. 2. 2. q. 67. sup. ar. 2.

D. Thom. Ad 2. dicendum quod Deo competit iudicare s̄m propriam potestatem & ideo in iudicando in- ubi sup. ad 2.

formatur secundum veritatem quam ipse cognoscit, non secundum hoc quod ab alijs accipit. Et eadem ratio est de Christo qui est verus Deus, & homo. Alij autem iudices non iudicant secundum propriam potestatem: & ideo non est similis ratio.

Calet. Iudex enim humanus non tenetur iudicare sicut iudicat Deus, sed sicut vult Deus quod homo iudicet. Statuit autem ipse Deus ut homo iudicet secundum veritatem publicam ut patet ex eo quod statuit quod in ore duorum vel trium stet omne verbum: & propter ea iudex iudicando secundum allegata & probata iudicat secundum Deum & conscientiam publicam.

## QUAESTIO CXXXVII.

*Num reus teneatur negare veritatem per quam condemnaretur?*

2.2.4.69.  
4.1.

**D.** Thom. Tenetur sub peccato mortali exponere veritatem per quam condemnaretur. Nam quicumque facit contra debitum iustitiae mortaliter peccat: pertinet autem iustitiae quod aliquis obediat suo superiori in his ad quae ius praelationis se extendit. Iudex autem est superior respectu eius qui iudicatur. Et ideo ex debito tenetur accusatus iudici veritatem exponere quam ab eo secundum formam iuris exigit. Et ideo si confiteri noluerit veritatem quam dicere tenetur, vel si eam mendaciter negaverit, mortaliter peccat.

Si vero iudex hoc exquirat quod non potest, secundum ordinem iuris non tenetur ei accusatus respondere: sed potest vel per appellationem, vel aliter licite subterfugere; mendacium tamen dicere non licet.

Franc. Videtur tamen oppositum esse verum. Quia nemo

nemo tenetur se ipsum diffamare: quia peccaret: diffamaretur autem reus, se reum manifestans. 2. Mendacium officiosum non est peccatum mortale ad liberandum alium à morte. Ergo nec ad liberandum se. 3. Quia huiusmodi negatio in nullius vergit nocumentum, sed in utilitatem ipsius rei qui sic liberatur à pœna. Ergo, &c.

D. Thom. Ad 1. Dicendum quod quando aliquis in *ib. ad 1.* ordinem iuris à iudice interrogatur non se prodit, sed ab alio proditur, dum ei necessitas respondendi imponitur per eum cui obedire tenetur.

Franc. Unde tunc non peccat se diffamans: nam manifestatio delicti per iuris ordinem, licet sit diffamatio non tamen est peccaminosa: quo pacto testis cum ab eo exigitur iuste iuramentum ut cum sunt indicia sufficientia, vel infamia, id est suspicio rationabilis apud probos, & providos viros, vel probatio semiplena quæ consistit in accusatore & vno teste idoneo, tenetur prodere veritatem licet per hoc proximus amittat famam, vel honorem. Ergo pariter tenetur ad idem reus.

D. Thom. Ad 2. dicendum quod mentiri ad liberandum aliquem à morte cum iniuria alterius non est mendacium simpliciter officiosum sed habet aliquid de pernicioso admixtum. Cum autem aliquis ad excusationem sui mentitur in iudicio, iniuriam facit ei cui obedire tenetur dum sibi denegat quod ei debet scilicet confessionem veritatis. *ad 2.*

Franc. Et cum hæc denegatio veritatis sit in re gravi manifeste apparet mortaliter peccare reum.

D. Thom. Ad 3. dicendum quod ille qui se excusat *ad 3.* in iudicio mentiendo facit & contra delectionem Dei cuius est iudicium: & contra dilectionem proximi, tum ex parte iudicis cui debitum negat, tum ex parte accusatoris qui punitur si in probatione deficiat.

## QUAETIO CXXXVIII.

*Num liceat celare veritatem?*

5.35. in  
instru.

**B**Ar. de Medi. Peccat qui celat veritatem si ideo con-  
demnatur qui habet justitiam, & tenetur ad resti-  
tutionem. v. g. Petrus mutuat Joanni centum coram  
teste, & Joannes coram eodem teste reddit centum: si  
Petrus iterum exigat centum cum hoc teste & is iuret  
se vidisse mutuare, & tacet se vidisse reddere. nam ob  
hoc damnatur Joannes ad iterum solvendum.

Franc. Licitum tamen est celare veritatem servatis  
debitis conditionibus: non enim semper tenemur pro-  
positum aut intellectum nostrum alteri aperire. Vnde in  
primis reus non tenetur omnem veritatem confiteri sed  
illam solum quam ab eo potest & debet requirere iudex  
sm ordinem iuris: vt cum præcessit infamia super ali-  
quo crimine, vel aliqua expressa indicia apparuerint,  
vel etiam cum præcessit probatio semiplena.

2.2. q. 69.  
c. 2.

**D.** Thom. Sic ergo reo qui accusatur licet se defen-  
dere veritatem occultando quam non tenetur confiteri  
per aliquos convenientes modos, puta quod non res-  
pondeat ad quæ respondere non tenetur.

l. 5. c. 58.  
n. 1.

**Tolet.** Quando autem ista deficiunt ( scilicet infamia  
de crimine, aut inditia, aut semiplena probatio, idest  
testis omni exceptione maior ) non tenetur respondere  
reus etiam proprio iudici quamvis fulminetur sententia  
excommunicationis: nam occultum manifestari non  
debet in foro exteriori, & iudices male faciunt quia  
contra juris formam cogunt reos respondere.

in instru.  
9.36. reg. 1

**Barthol. de Medin.** Etiam tenetur tacere veritatem,  
qui scit secretum eo quod vidit, vel audivit. & hæc obli



gatio est juris naturalis unde peccabit mortaliter si manifestat, quin præcesserint inditia, infamia, aut probatio semiplena: nam aufert honorem seu famam proximo.

Uterius cum quis commisit delictum quantumvis grave & consulit virum doctum ut præstet sibi remedium, penitens de delicto commisso, quamvis publicentur excommunicationes, ut manifestent qui sciunt aliquid de hac re: vir doctus non tenetur aperire & manifestare: quia licet id scierit extra confessionem & extra viam ad confessionem, tamen scivit per viam ad confessionem remotam scilicet ut præstet remedium. *ib. prop. fin.*

Franc. Tandem: non tenetur reus manifestare in iudicio omnia crimina quæ commisit: sed illa tantum de quibus iudice interrogari potest: nec iterum tenetur revelare complices suos, nisi etiam iudice interrogetur: & cum iudice non interrogatur potest non respondere, vel appellare, non autem mentiri, & multo minus (si sub juramento cogatur respondere) periurare, aut uti amphibologia in juramento: non enim licet uti amphibologijs in iuramentis, ut patet ex profectionibus damnatis à SS. Domino N. Papa Innocen. Undecimo an 1679. die secunda Martij. *ibid. a. 2.*

## QUAESTIO CXXXIX.

*De obligatione servandi & pandendi secreta.*

**F**RANC. Secretum est id quod non scitur, vel non est notorium Et est multiplex. Aliud naturale. 2. Amicitiae. 3. Iustitiae. 4. Charitatis. Et super hæc omnia est aliud, nempe secretum, seu sigillum Confessionis, de quo agetur infra l. 3. quæst. 86.

Rursus hæc secreta possunt esse de rebus pertinentibus ad Rempubicam, Communitatem, vel ad personas privatas. Et in primis secretum sub secreto non acceptum si vergeret in nocumentum alicuius iniustum, non est peccatum illud revelare.

v. secretis.

Silvest. Modo tamen debito quantum fieri potest sine scandalo exemplo Chusai 2. Reg. 17. qui revelavit consilium Achitophel, Sadoc & Abiathar Sacerdotibus ut nuntiarent David Regi & liberaretur à periculo.

Si autem tale secretum sit acceptum sub sigillo secreti, seu Confessionis, extra tamen Sacramentum confessionis vel sub iuramento non revelandi: si illud sine urgente, & notabili causa revelet, est peccatum mortale & contra ius naturale sm Archi. Secus si facit ex causa rationabili, & urgente, ut si imminet notabile nocumentum corporale vel spirituale rei publicæ, vel particulari personæ: ut si aliquis quæritur ut occidatur: debet manifestare non obstante quacunque promissione, vel iuramento, quia ut dicit regula iuris in 6. Non est obligatorium contra bonos mores præstitum iuramentum: nec tenetur in hoc servare ordinem fraternæ correctionis sm D. Thom. 2.2 q. 89. nisi certus esset de emendatione per secretam monitionem.

v. Confess.  
3. q. 20.

Præterea. Secretum quod non est Confessionis si sit dubium, num uergat in aliorum periculum, præcipiente obedientia potest quis manifestare: si autem constat secretum nulli præiudicare, nullus tenetur etiam præcipiente Prælato sm Henr. de Gan q. 9.

Franc. Unde quæ committuntur sub secreto naturali sic accipiuntur, & constat ea nulli nocere, talia sunt servanda: & tunc nullo modo tenetur ea prodere etiam ex præcepto Superioris: quia servare fidem est de iure naturali, contra quod nihil potest homini præcipi. Quæ

autem sciuntur sub secreto naturali, quin aliquis ea sub secreto commendaverit, ut cum quis scit Petrum esse concubinarium, sub obligatione legis naturalis tenetur id tacere, & peccabit mortaliter si manifestet, nisi in casu quo iuridice interrogetur.

Barth de Medi. Cum autem quis scit sub secreto rem in detrimentum Communitatis Reipublicæ, quod non nulli volunt interficere Regem, vel incendio consume-  
 re urbem tunc statim manifestaturus est iudici, ut procuret remedium, & hoc non tanquam iudici, sed tanquam Patri. Et tunc non tenetur servare præceptum fraternæ correctionis, cum enim sit affirmativum non obligat nisi quando & quomodo convenit: & in hoc casu non convenit: non enim potest credere quod per correctionem, alter corrigetur: & iterum, potest contingere quod dum is intendit correctioni, alter incendat urbem &c. Plus nanque est curandum de bono communi quam de particulari.

in instr.  
§. 36.

Item cum quis scit aliquos esse veneficos, seu incantatores, & quod non se corrigunt, statim manifestaturus est eos, quamvis iuraverit, tacere, non enim in eo casu obligat iuramentum.

Et idem dicendum si qui sint vendentes pro croco proprio aliud quidpiam simile croco, vel quamlibet aliam rem aromaticam, & denique rem quæ vergit in detrimentum reipublicæ. Hos igitur si post admonitionem nolint corrigi, statim scientes debent manifestare.

In casu autem quo quis scit Petrum v. g. velle occidere Joannem, & quod occidet si non ponitur remedium: id sciens debet loqui Petro & divertere eum à proposito: si autem videt suam admonitionem nihil prodesse: debet monere Joannem ut caute se gerat ne incidat in manus Petri volentis eum occidere.

V. den. n. 3.

M. Montes. Obligatio manifestandi seu denuntiandi hæreticum, vel suspectum etiam comprehendit eos qui hoc sciunt sub secreto naturali, vel sub iuramento: est enim res attinens ad bonum publicum. Ipse autem hæreticus non tenetur se ipsum denuntiare, vt communiter asserunt Doctores: licet nonnulli limitent hanc sententiam in casu quo immineat publicum damnum reipublicæ; tunc enim contemnenda est vita pro bono communi. Quæ propter Doctissimi theologi obligarunt discipulos Hæretici dogmatizantis, vt denuntiarent eum, quamvis ipsi fuissent in delicto participes.

n. 5.

V. secret. 1.

Quando vero secretum vergit in utilitatem boni publici, tenemur id non pandere etiam imminente morte: Vnde miles hispanus comprehensus à Gallo non potest revelare secretum sui exercitus attinens ad sui conservationem, quamvis periculum mortis ei denuntietur. Si tamen solum attineat ad particulare bonum, si id scivit sine fraude, poterit revelare ad vitandum grave damnum. v. g. torturam: nam si non teneor servare secretum cum damno proximi, multo minus cum damno meo proprio.

Franc. secretum amicitiae est id quod amicus amicaliter revelat amico: & huiusmodi secretum habet duplicem obligationem aliam legis naturalis, & aliam amicitiae. Vnde est peccatū mortale duplici titulo revelare huiusmodi secretum.

Secretum iustitiæ, sive ex iustitia servandum est illud quod iniuste scitum est, & iuste silendum est. v. g. si iudex iniusta tortura puniens unum, extrahit ab hoc secretum, debet illud non revelare. Et pariter iniuste aperiens epistolam alienam contra voluntatem domini, peccat mortaliter, & tenetur ex iustitia celare secreta quæ ibi erant.

Et hic notandum quod aperire epistolas alterius est peccatum mortale, quamvis in eis nullum contineatur secretum: nam sic aperiens ponitur in periculo sciendi secretum si ibi contineretur; quanto magis si ibi contineretur.

Barth. de Medi. Ratio est quia sæpe quis scribit in epistola, aliqua quæ nullo modo vellet sciri ab aperiente eam, & ex his oriuntur odia, & malæ voluntates. Unde peccat mortaliter, & iterum peccabit si secreta revelet & tenetur ad restitutionem. Aperire tamen epistolas de licentia eius ad quem diriguntur, non est peccatum.

*vbi sup.*

M. Montes. Nec iterum est peccatum, imo licitum quandoque eas aperire, vt jure belli defensionis iustæ contra hostem molientem insidias: si adsit suspicio quod in eis contineatur quid contra bonum commune: & denique in Religionibus vbi viget consuetudo quod Prælati aperiant subditorum epistolas.


*v. secre. 2o**2. & 3o*

Epistolas proiectas potest quilibet colligere, & legere abs peccato sicut Laymam contra Rebell. Advertit tamen Laymam huiusmodi Lectorem teneri ad occultanda secreta ibi contenta, si vergant in damnum alicuius.

*Laym. l. 3o**sec. 5. tra. 4o**3. p. 1. c. 4o**n. 4o*

Franc. Secretum charitatis est id quod quis ex charitate celare tenetur: vt patet in calu supra posito in fine quæst. 131.

Tandem obligatio servandi secretum parvi momenti, seu in parva materia, si frangatur, non est nisi veniale peccatum: præterquam in casu quo ex eius manifestatione sequeretur grave detrimentum; tunc enim esset mortale peccatum.



## QVAESTIO CXL.

*De Mendacio. Quid sit?*

**F**RANC. Mendacium est Enuntiatio falsi cum voluntate ad fallendum, prolata. Quae definitio patet ex S. Augustino in lib. contra mendacium, dicente, Nemo dubitet mentiri cum qui falsum enuntiat causa fallendi.

Et hinc apparet mendacium esse peccatum: est enim actus cadens super indebitam materiam: cum enim voces naturaliter sint signa intellectuum innaturale est & indebitum quod aliquis voce significet id quod non habet in mente.

Sed Rogabis: Num sit peccatum mortale, an vero veniale? Ad quod respondeo Mendacium esse triplex. Jocosum, nempe, Officiosum, & perniciosum. Et quidem mendacium iocosum, & officiosum non sunt peccata mortalia, sed venialia.

Aug. Duo sunt genera mendaciorum in quibus non est magna culpa, sed tamen non sunt sine culpa: cum aut jocamur, aut proximo consulendo mentimur.

Franc. Mendacium igitur jocosum quod joco fit; & mendacium officiosum quod pro salute, commodo, vel utilitate proximi fit, solum est peccatum veniale ex natura sua; per accidens autem potest utrumque mendacium esse peccatum mortale: non quod peccatum veniale fiat mortale; sed quod actus ex se venialis, possit esse mortalis, ratione v. g. scandali, contemptus, finis graviter pravi. Et ita, qui profferret mendacium jocosum intentione occidendi proximum, graviter peccaret.

Menda-

Mendacium autem perniciosum est ex natura rei peccatum mortale : nam hoc mendacium importat gravē irreverentiam in Deum, vel nocumentum grave in proximum : huiusmodi enim mendacium importans hanc gravitatem, vocamus mendacium perniciosum.

## QUAESTIO CXLI.

*De detractiōe. Quid sit?*

**F**RANC. Detractio est denigratio alienæ famæ per verba, in absentia proximi, prolata. Ut cum quis falsum imponit alteri, eo absente, & ignorante mordens eius famam.

Mag Montes. Detractio ex natura rei est peccatum mortale : est enim contra iustitiam, quamvis possit esse veniale, ratione parvitatæ materiæ. Et generaliter loquendo non est mortale peccatum dicere, vel narrare defectus naturales animæ, & corporis, & dicere, illum esse rudis ingenij, claudum, cæcum &c. Et denique, dicere generaliter, vnum esse superbum, miserum, seu tenacem : hæc enim verba non præferunt peccatum mortale, sed naturalem inclinationem, vel culpam venialem.

*v. detra. 2.*

FRANC. Ad detractiōem etiam attinent narratio secretæ dedecoris proximi absque iusta causa, licet fiat viro prudenti : & narratio defectuum alienorum publica, quamvis narrator præmittat se audita narrare, nec tamen ea affirmare, vel negare.

Villalo. Ratio primæ assertionis est. Nam fit notabile nocumentum proximo : quilibet enim Cordatus plus dolet quod peccatum eius innotescat viro prudenti, quam duobus, vel tribus vulgaribus : & hoc quantum

*p. 2. tra. II  
dis. 36. n. 8.*

ad existimationem : quamvis aliunde plus dolebit, quod sciant isti, propter periculum manifestationis, & ideo qui sic manifestat occultum peccatum proximi, tenet ad restitutionem.

Franc. Ratio secundæ assertionis est. Nam in eo casu ea narratio exponitur vt ab aliquibus præstetur ei assensus : & præcipue quando narrator est vir magnæ autoritatis, sciens audientes simplices credituros ei. Vnde peccat, & tenetur ad restitutionem famæ : secus esset quando quis per admirationem aliquid sine affirmatione, vel negatione narrat ex auditu, auditoribus prudentibus qui nullum præstabunt assensum.

## QUÆSTIO CXLII.

*Num aliquando liceat defectus alienos manifestare ?*

2.2.9.73.  
4.2. ad 1.  
**D.** Thom. Revelare peccatum occultum alicuius propter eius emendationem denunciando vel propter bonum iustitiæ publicæ accusando, non est detrudere.

Franc. Et ideo licitum est primo manifestare alienos defectus secundum modum quo asseritur ab Angelico Doctore, D. Thom. Aquinate, servatis debitis circumstantijs. 2. Licitum est ad vitandum aliquod detrimentum. Vt manifestare vnum esse hæreticum, alium malis moribus imbutum; ne cum eis conversantes pervertantur.

1.5. c. 63.  
8.3.  
Tol. Licitum est 3. manifestare veritatem, quamvis per hoc bonam famam quis amittat per accidens. v.g. admonere vnum fuisse convictum latrocinij, cum is existimatus vt bonus versatur inter aliquos, vnde periculum esset, ne res eorum raperet : & hoc est licitum in



casu quod aliter non possent averti à conversatione illius.

Joan. Henriq. licitum est 4. ignorantia defectus proximi cui nubere vult revelare eos ad vitandum damnum quod coniugio potest evenire. *sec. II. q. 9.*

Frai 1c. 5. Manifestare vitia occulta filiorum, parentibus, & corrigant filios. 6. Ad liberationem innocentis. V. g. Paulus scit Joannem furatum fuisse equum & Petrus a falso accusari de furto accusari de furto, & iniuste fore condemnandum: tunc potest Paulus ad liberationem Petri revelare occultum furtum Joannis, & tenetur. 7. Cum quis narrat amico iniuriam sibi ab alio occulte illatam ad se consolandum cum amico, & querendum levamen pænæ: natura enim inclinatur ad querendum solatium contra iniuriam iniuste inflictam.

Et horum omnium ratio est quia in his casibus non intenditur detrahere proximo, nec denigrare eius famam; sed providetur utilitati, necessitati, solatio & huiusmodi: & sic in his non est peccatum, licet per accidens fama proximi patiatur detrimendum.

## QVAESTIO CXLIII.

*Num infamia quæ aliquando fuit publica, postea reversa occulta, possit licite narrari?*

Joan. Henriq. Licitum est infamiam secundum jus contractam, narrare, quamvis propter antiquitatem sit oblita. V. g. Avum alicuius juridice fuisse punitum. Jus enim intendit & punire delictum, & quod memoria punitiois duret, ut alij caveant. Vnde in historijs sacris, & humanis narrantur delicta, & eorum punitioes ad multorum correctionem, & cautelam. In Eccle-

sijs quoque publice scribuntur nomina eorum quos Domini Inquisitores puniunt ut nota sint temporibus futuris. Si autem contingat obliuisci infamiam personarum iudice incursum, nulla fit earum posteris iniuria in narratione talis iniuriæ; dummodo id non fiat prava intentione.

l. 5. c. 65. Tolet. Quando autem infamati sive per crimen publicum, sive per sententiam iudicis (si postea est bonam famam consecutus) crimen, absque legitima causa quis manifestat, peccat contra charitatem, & iustitiam. v. g. est aliquis Romæ qui iam à multis annis fuit per Inquisitores publice punitus: tamen post resipuit, & bonam famam modo habet, nec est qui recordetur illius criminis. Contra charitatem, quia nocet proximo. Contra iustitiam: quia per iudicis sententiam licet fuerit ei fama antecedens ablata; non tamen sequens: unde vere possidet hanc famam, quam qui aufert, iniuste aufert.

Liceret autem in quibusdam casibus. 1. Ad vitandum detrimentum corporale alicuius. 2. Ad vitandum detrimentum spirituale alterius. 3. Vt vitandum publicum detrimentum.

Fr. Hodie enim in malitia temporum narrata priori infamia, haud facile conservatur bona fama denuo consecuta, nisi nitatur egregijs operibus sanctitatis, & virtutis, atque penitentiae, vel alijs præclaris operibus.

## QVAESTIO CXLIV.

*Num infamia publica in vno loco, possit narrari in alio, ubi est occulta?*

l. 5. c. 3. Agundez. Vera sententia docet, non esse peccatum mortale nec contra charitatem, nec contra iustitiam

detegere notorium crimen facti, vel juris: hoc est vel per famam publicam, vel per sententiam iudicis in alio loco, & regione vbi ignorabatur, & personis quæ nihil de eo sciebant sive fama illius breviter, sive per longum tempus, sive nunquam perventura sit.

Franc. Hæc tamen sententia restringenda est 1. quando Hic diffamatus possidet alibi bonam famam vbi eius infamia, vel crimen latet; patent vero bona opera, & conversatio quibus possidet famam. Et ideo narrare ibi illius crimen de quo alibi diffamatus est, esset contra charitatem.

Tole. Infamatus tamen per iudicis sententiam, si non dum bonam famam est consecutus, non patitur injuriam si diffametur in alijs locis per litteras, vel verbo narrando factum, quia is diffamatus non habet famam. Vnde non est contra justitiam nisi in duobus casibus. 1. quando tertia persona infamaretur, vt si frater diffamatus est in illo loco, cui fama auferatur, si fratris infamia ibi deferatur. 2. Cum diffamato aliquod aliud detrimentum corporale obvenit; puta, quia forsam occidetur, incarcerabitur, vel aliquo alio bono temporali privabitur.

l. 5. c. 65.  
n. 4. & 5.

Nec etiam esset contra charitatem extra hos casus, nisi quando diffamatus esset præsens in illo loco: tunc enim digito notare illum nisi sit ad vitandum detrimentum corporale, vel spirituale alicuius, vel ad vitandum publicum detrimentum, peccatum esset.

Franc. Præterea huiusmodi infamati per sententiam iudicis, & non dum bonam famam consecuti, crimen, & infamiam narrare in eadē vrbe, in parte in qua id ignoratur non est peccatum mortale nec contra justitiam, nec contra charitatem, vt per se patet: nā publice vt omnibus innotescat sit punitio in vna parte publica vrbis: vnde per accidens est quod aliqui in alia parte ignorant.

vbi nup.

**Tole.** Cum vero infamia est publica non per iudicis sententiã, adhuc non est peccatũ in eadẽ vrbe alijs manifestare; bene vero in alio loco.

p. 2. tra. 11  
diff. 36. n.  
14.

**Villal.** Nam huiusmodi infamatus, viuens bene, & absque infamia in alio loco vbi ignoratur eius infamia, non amittit jus quod habebat ad famam, quamuis dicamus id amisisse in locis vbi erat publicũ eius peccatum. Vnde infamator peccat contra charitatẽ, & iustitiã, & tenetur ad restitutionẽ.

**Franc.** Ex dictis apparent plures restrictiones adhibendæ sententię Fagundez ad eius veritatẽ requisitæ.

## QUESTIO CXLV.

*Num sit peccatum narrare defectus Natiuitatis?*

v. deira. 2.

**M.** Montes. Secundum Petrum de Navarra l. 2. c. 4. n. 307. non est peccatum narrare defectũ natiuitatis vt dicere quod is est spurius, illegitimus, ex sacrilegio ortus &c. nisi censeatur ex hoc eum valde contempnendum in æstimatione audientium.

**Franc.** Erit tamen peccatum mortale nominare eorum parentes: nã isti infamantur per has narrationes, non filij carentes culpa in his defectibus.

## QUAESTIO CXLVI.

*Num infamare se ipsum sit peccatum?*

**Caietan.** Est peccatum mortale infamare se ipsum cum tormento victus, aut metu mortis & cruciatus infamat quis se ipsum, mentiendo. Ratio est quia est contra charitatis præceptum quo quilibet tenetur se

2. 2. q. 73.  
sup. 4. 2.

ipsum diligere : & quia iniuriatur saltim Ecclesiæ, cuius est pars : & propterea tenetur Ecclesiæ ad restitutionem famæ sui membri. Et ex hac parte huiusmodi infamatio opponitur iustitiæ quæ est ad alterum.

Franc. Id intelligendum est si quis propter torturam vel alias causas, se infamaret, mentiendo esse hæreticum : vel se commississe peccatum nefandum, aut id est occultum, & detegeret iniuste : vel si Prælati se infamaret : vel tandem non posset se infamare quin alios infamaret. In his enim casibus esset peccatum mortale, se infamare, & teneretur ad restitutionem. Nam esse hæreticum vergit in grave dedecus Christianæ Religionis. Ex peccato nefando resultat idem dedecus in genere, seu stirpe. Ex infamia Prælati, valde ignominiose afficitur Communitas. Et tandem in ultimo casu alij infamantur.

Cæterum cum fama unius nulli nocet, potest quis (quin peccet mortaliter) ut pote dominus suæ famæ eam perdere se infamando, sicut potest propria bona, & pecunias effundere. Adhuc tamen si mendaciter id faceret, vel false jurans cum ab eo iuramentum exigitur, peccaret in mendacio, vel periurio : non autem mortaliter in sui infamatione ; nisi infamia esset valde immanis, sicuti est infamia Sodomix, blasphemix, hæresis, & proditiõis Regis &c.

## QUAESTIO CXLVII.

*Num detractio levis respectu unius, sit gravis respectu alterius?*

**F**RANC. Resp. affirmatiue. Constat enim quod dicere esse mendacem aliquem vulgarem, leuius est ac di-

cere mendacem esse virum gravē vt Episcopum , Prælatum : vnde prima detractio respectu vulgaris erit veniale peccatū , non enim per hoc graviter infamatur. Secunda, vero mortale : quamvis probabile sit peccatum veniale, quale est mendacium non perniciosum non causare infamiā gravem.

Casus notiores de detractioe levi respectu unius , & gravi respectu alterius sunt. 1. Detrahere Sacerdotibus , vel Religiosis eos esse veneri , vel homicidijs deditos est detractio grauis ; non tamen id dicere de iuuenibus qui se iactant in rebus venereis , vane , & stulte tanquam mundani , vel de militibus qui habent pro strenuitate provocare ad duellum ( esto adeo detestabile sit ) esse homicidas : nam hæc respectu harum personarum non reputantur ignominiosa apud homines.

2. Dicere de Religiosis esse venereis deditos , grauius est quam dicere de Clericis Sæcularibus. Vnde mortaliter peccat detractor dicens fratrem talis ordinis nominato ordine , non fratre , esse libidinosum. Nam talis Ordo certissime diffamatur : non autem totus status Clericalis diffamatur per vnus Clerici lapsum , vt per se patet.

## QUAESTIO CXLVIII.

### *De Audiente Detractorem.*

1.2. q. 73.  
4. 4.

**D.** Thom. Si aliquis detractioes audiata bsquē resistencia, videtur ei consentire, vnde fit particeps peccati eius. Et si quidem inducat eum ad detrahendū, vel saltem placeat ei detractio propter odium eius cui detrahitur, non minus peccat detrahens, & quandoque magis.

magis. Si vero non placeat ei peccatum, sed ex timore, vel negligentia, vel verecundia omittat repellere detrahentem, peccat, sed plerumque venialiter. Potest tamen quandoque hoc esse peccatum, vel propter hoc quod alicui ex officio incumbit detrahentem corrigere (vt Prælato subditum detrahentem corrigere) vel propter aliquod periculum, quod audiens nouit consequens (puta quod euenient homicidia &c.) vel propter radicem, quæ timor humanus quandoque potest esse peccatum mortale. (Vt si timorem hunc præponat charitati) non resistens detractori cum ex detractioe magnum de mentũ sequitur personæ detractæ.

Franc. Hæc autem resistentia fieri potest vel verbis modeste redarguendo detractorem, vel ostendendo tristitiam in facie, in signum quod ei non placet detractio, vel alijs prudentibus modis.

## QUAESTIO CXLIX.

### *De restitutione famæ.*

Franc. Infamans alium per impositionem falsi criminis tenetur satisfacere, asserens se mentiũ fuisse: & jurare, & adhibere testes, si totum hoc fuerit necessarium ad restitutionem famæ. Quique libellos infamatorios edidit contra alium tenetur contrarium efficaciter publicare, & scribere: totum enim hoc etiam requiritur ad restituendam famam sic ablatam.

Reus licite negans in iudicio crimen falsum, aut verũ, sed occultum, & improbabile non tenetur ad restituendam famam quam ex hac negatione perdit accusator, infamatur enim vt mendax perniciosus, aut calumniator: & quia iniuste læsit, imputet suæ malitiæ si scien-

ter, vel stultitiæ si errans imprudenter sic processit cum periculo. Attamen placet nobis etiam altera opinio subtilis Schoti nempe reum tunc teneri ad restituendam famam, per sobria tamen verba, puta, dicendo quod forte accusator habuit intentionem bonam, & huiusmodi.

In multis alijs quoque casibus non est restituenda fama. 1. Quando detractori non est adhibita fides. 2. Quando infamia occulta, facta est publica & non per culpam detractoris. 3. quando non potest restitui fama sine periculo vite detractoris.

t. 2. diff. 38  
n. 5 & 6.  
tra. 11.

Villab. Id autem regulariter est verum, nam vita est potior fama. Quandoque tamen est restituenda fama cum periculo vitæ: ut cum quis infamavit personam nobilissimam vel universam familiam falso gravissimo crimine. Tunc enim iudicio prudentum plus æstimatur fama talium personarum, quam vita unius personæ particularis.

Franc. 5. Quando infamatus remittit offensam sibi à detractore factam, tunc is liberatur ab obligatione restituendi.

t. 2. diff. 2.  
q. 4. p. ult.  
n. 5.

Bonaci. Remissio autem seu condonatio non debet esse contra iustitiam, nec vergens in alterius detrimentum: sic enim est invalida. Unde infamia facta Religioso, uxori, filio redundans in Monasterium, maritum, Patrem inualide condonaretur à Religioso & cæteris. Nam cedit in damnum alterius innocentis, cuius juri non potest alter cedere, cum ipse non sit dominus famæ alterius.

Franc. 6. Quando infamia oblita est per tempus. 7. quando iudice alicui aufertur fama; quod tamen non attinet ad casus detractionis. 8. Cum qui invicem pari infamia se afficiunt, tutius tamen est utrumque ad invi-



cem veniam petere; imò alio volente restituere famam, tenetur alius ad idē. 9. Quando infamia non potest restitui sine nova restituentis infamia.

Joan. Henriquez. Unde infamator imparis conditionis non tenetur se infamare retractans suum dictum, sect. 11. q. 23. maior enim esset solatio quam debitum. Sufficit enim laudare infamatum coram alijs, vel veniam petere; quāvis non sit contentus hoc, infamatus. Pecunijs quoque poterit persona principalis satisfacere pro infamia illata prudenter examinato casu.

Franc. Cæteris autem paribus tenetur quis restituere famam iniuste ablatam cum detrimento propriæ famæ. Et pariter cum periculo vitæ tenetur, quando infamatus est in eodem periculo propter infamiam ei iniuste illatam. Sicut fur cum priorum bonorū detrimento tenetur restituere furata.

In casu autem quo quis sedit periculum ex peccato alterius, non ex impositione peccantis; is non tenetur dicere verum. V. g. Petrus occidit Joannem: & ob errorem comprehenditur Martinus & morti adiudicatur.

## QUAESTIO CL.

### De Contumelia, Coniutio, & Improperio.

**C**Aeteran. Ut actus aliquis per se, & directe sit contumelia, exigitur quod directe contra honorē tendat proximi. Non autem tendit directe, & per se contra honorem alicuius, qui illum reveretur, qui occulte intendit iniurari, sed solus ille qui eum sic parvi facit, ut ad manifestam sibi iniuriam tendat. 2. 2. q. 72. 4. 1.

Franc. Unde, contumelia est manifesta, & facialis de honoratio proximi, qui dictis, vel factis contumelio

se turpiter læditur in honore, seu reverentia. Et quidē si cui dicatur iniuriose defectus culpæ, vt quod sit fur: est contumelia. Si vero dicatur iniuriose defectus generaliter culpæ, & pænæ, vt quod sit cæcus, est convitiū. Si autem iniuriose alicui indigentia, vel minoratio præterita dicatur, est improperium, vt Ego te de fame eripui. Et per hæc patent contumelia, convitium, & improperium.

1.2 disp.2.  
q.5. pu.1.  
n.3.

Bonaci. Contumelia est ex suo genere peccatum mortale: lædit enim graviter honorem proximi. Quamvis ratione parvitas materiæ fieri possit peccatum veniale.

Franc. Idem dicendum de convitio, & improperio. Si vero proferantur non ad dehonorandum, sed ad correctionem, possunt esse, solum peccatum veniale, vel nullum, vt pat. ex D. Thom. 2.2. q. 72. a. 2.

## QVÆSTIO CLI.

*Num quis teneatur sustinere iniurias, & contumelias?*

FRANC. Laudabile est patienter tolerare contumelias, & dare locum iræ tacendo, & non litigando cum hominibus linguosis. Et præterea tenemur habere animum præparatum ad tolerandas contumelias, si opus fuerit.

2.2. q.72.  
4.3.

D. Thom. Quandoque tamen oportet, vt contumeliam illatam repellamus, maxime propter duo. 1. Propter bonum eius qui contumeliam infert, vt eius audacia reprimatur, & de cætero talia non attentet. 2. Propter bonum multorum, quorū profectus impeditur propter contumelias nobis illatas.

## QUAESTIO CLII.

*De restitutione honoris ablati per contumeliam.*

**F**Ranc. Honor iniuste ablati per contumelias, derisiones, convitia, &c debet restitui, & fieri satisfactio vel pœnitentiæ petitione, vel per exhibitionem honorificentia benevolentia, & aliorum signorum idoneorum secundum iudicium viri prudentis.

Joan. Henriq. Personæ nobiles si mutuo se iniuriant, non tenentur petere veniam ad invicem, sicut Pe. de Nav. *sect. 7. 1 4.* sed per aliam viam satisfacere, ut per mutuam visitationem, aliosve convenientes modos. Sicut rixantes etiã, cum amicabiliter se gerunt sicut ante rixam, sufficienter satisfaciunt abs venia petitione.

Franc. Mulierculæ quoque infimæ cum promptis iurgijs se contumelia afficiunt, sufficienter satisfaciunt per reconciliationem & mutuam familiaritatem sicut ante rixam; si vero graviter se iurgijs & contumelijs afficerent, tenerentur ad mutuam venia petitionem.

Tandem. Si unus ex duobus qui rixati sunt, sit adeo terribilis, & perversus, quod potius furore insaniret, quam miteretur, si alter ab eo veniam peteret, alloqueretur, vel saluaret, tunc licebit vitare eum ad vitandos eius furores.

## QUAESTIO CLIII.

*De iudicio temerario.*

**R**Ocaff. Iudicium temerarium est quo certe, & de *Hic* finite iudicamus malum de proximo leuibus, &

non sufficientibus rationibus: & proinde vocatur temerarium quia est sententia quam certo statuimus de facto alterius sine sufficienti ratione & causa. Est que peccatum mortale, si malum de quo temere iudicamus, sit grave, nam si sit leve, solum erit veniale. Ratio est quia irrogatur iniuria proximo dum sine rationabili causa habetur de ipso mala existimatio: habet nanque unusquisque jus ut non habeatur de ipso mala existimatio sine sufficienti ratione. Huiusmodi iudicium est contra iustitiam, unde temere iudicans tenetur ad restitutionem famæ que restitutio facienda est per depositionem talis iudicij temerarij.

Franc. Omnia iudicia temeraria sunt eiusdem speciei non habent eandem deformitatem moralem, scilicet læsionem famæ proximi. Unde sufficit in confessione aperire, se temerarie iudicasse in re gravi simplici, vel multiplici: hoc est, in re gravi nullam habente specificam gravitatis circumstantiam vel habente ultra gravitatem substantialem, aliam specificam circumstantiam. V. g. Iudicium temerarium de furto gravi est simplex, de furto vero in loco sacro, vel rei sacræ est multiplex.

Dubitare autem vel suspicari de bonitate alicuius ex levibus indicijs etiam in re gravi non est nisi veniale peccatum, non enim gravis iniuria proximo irrogatur, cum suspicio, & dubitatio non sint firmæ & definitivæ sententiæ, sicut est iudicium temerarium. Et quandoque in suspicionibus prudentibus nullum est peccatum. Unde viso homine armato in vasta, & periculosa solitudine potest quis prudenti suspitione motus, ire per aliam viam, ne forte sit ille, latro. Sic etiam Prælati prudenter invigilant super subditos ne quidpiam mali eveniat.

Barth. de Medin. Suspendere actum, dubitare, suspicari &c. Indeliberate & cum fundamentis leui indicijs insufficientibus solum est peccatum veniale: sunt enim imperfecti hi actus & plerumque proueniunt ex tentatione demonis vel ex fragilitate humana: & ubi non est plena deliberatio non potest esse peccatum mortale. Qui autem habet bonam existimationem de vno, & suspendit deliberate actum leuibus indicijs, peccat mortaliter si sit in re graui, quamuis hæc res grauis peccatum mortale non sit. Puta si Petrus teneret Joannem pro Christiano veteri, alius parue authoritatis dicerit ei Joannem esse Judæum, tunc Petrus suspendens actum, peccaret mortaliter: non enim leuibus causis debet suspendere iudicium, sic enim perdit Joannes honorẽ apud Petrum.

*In instru.*

§. 37.

Bonaci. Non committitur iudicium temerarium male iudicando de aliquo ex indicijs & coniecturis probabilibus, & sufficientibus: nam iudicium temerarium essentialiter consurgit ex leuibus & insufficientibus indicijs: iudicium autem ex sufficientibus indicijs est conforme recte rationi, & prudentiæ; unde non est temerarium.

*tc. 2. disp.*

2. q. 7. p. 1.

n. 2.

Franc. Vnde qui videns iuuenem cum puella in cubiculo causo, iudicaret eos turpia tractare, non committeret iudicium temerarium, nec peccaret mortaliter: sed tantum venialiter imo forte nec venialiter: nam adest sufficiens probabilitas ad hoc ferendum iudicium, quamuis reuera ipsi non tractent turpia.

Barth. de Medin. Pariter suspendere suspicari, vel iudicare sufficientibus indicijs de proximo rem leuem quamuis sit peccati mortalis, non est nisi veniale: in materia enim leui non fit notabilis iniuria proximo


*ib.*

quamvis res de qua suspicor sit peccatum mortale veluti judicare de juvene ipsum esse amoribus deditum ( quod mortale est ) tamen ipse se jactat de hoc, & gaudet haberi pro tali, non enim quamvis aliquando fallar, ei aufero æstimationē vllam, cum ipse vt dixi, se jactet de hoc.

Franc. Pariter non est iudicium temerarium, in re gravi judicare de aliquo indeterminate, nullum concipiendo in particulari: iudicio enim prudentum nulli censetur in hoc casu gravis iniuria irrogari.

Rocaff. Cum vir probus de alio probō infame crimen mihi detegit: prudenter est suspendendum iudicium, si vero sit ferenda sententia ( nequit enim fieri vt semper habeamus iudiciū suspensum ) tunc in favorem non dicentis sed eius de quo dicitur est iudicandum: & de dicente iudicandum est eum dixisse quæ sibi videbantur esse talia, falli tamen illum posse, & omnino nos credere non teneri vni testi cum notabili damno nostri vel alterius. Si quis autem ex huiusmodi dicto moueatur ad vberiore cautelam, nihil interim definiens, aut iudicans, non erit culpæ veniali adhuc obnoxius.

Franc. Tandem est iudicium de persona, & de re. V. g. Petrus profert blasphemiam de qua iudico esse peccatum mortale ex genere suo: & huiusmodi iudicium de opere in genere non est peccatum mortale: bene vero iudicium de persona nempe Petrum peccasse mortaliter: nam poterat talem blasphemiam proferre subito ex surreptione abs deliberatione plena.



DE NONO, ET DECIMO PRÆCEPTO  
Decalogi.

QUÆSTIO CLIV.


*Num bene tradantur hæc præcepta?*

**F**RANC. Bene. Sic enim traduntur. Exo. 20. Non concupisces domum proximi tui. Nec desiderabis uxorem eius. Vbi prohibentur concupiscentiæ inordinatæ, & iniustæ circa bona, res, seu diuitias proximi in nono præcepto: & desideria inordinata venerea cum aliena uxore, in decimo.

In nono præcepto potest dari peccatum veniale ob parvitatem materiæ concupitæ: & peccatum mortale in concupiscentia iniusta rerum proximi in materia graui. In decimo verò non habet locum paruitas materiæ: vnde semper est peccatum mortale, deliberate desiderare iniuste, & inordinate misceri carnaliter uxori alienæ, vel delectari morose in hac re venerea, vt persepatet. Reliqua quæ ad hæc præcepta attinere possunt, constant ex dictis in sexto, & septimo præcepto decalogi.

*Et hæc de Præceptis Decalogi.*





# LIBER SECUNDUS.

DE PRÆCEPTIS

## ECCLESIAE.

### QUAESTIO I.

*Quot sint Præcepta communia, & generalia Ecclesiae?*



RANC. Præcepta generalia Ecclesiae sunt quinque. Primum est: Audire Missam integram diebus Dominicis, & festis colendis. 2. Confiteri peccata sacramentaliter, saltim semel in anno, vel prius si adsit periculum mortis, vel cum sumenda est Eucharistia si sumpturus habeat conscientiam peccati mortalis. 3. Sumere Eucharistiam tempore Paschatis. 4. Jeiunare diebus præscriptis ab Ecclesia. Et quintum: solvere decimas, atque primitias.

### QUAESTIO II.

*De Primo Præcepto Ecclesiae, nempe, de auditione Missae.*

*In instr.*  
c. 14. §. 4<sup>o</sup>

Barth. de Medina. Quilibet Christianus postquam pervenerit ad usum rationis tenetur sub pæna pec-



cati mortalis ad audiendam integram Missam diebus dominicis, & diebus festis. Et dicitur missa integra, à principio vsque ad finem: qui vero eam audit inceptam iam, & ab hymno Gloria in excelsis, vel antequam finiatur Epistola non peccabit nisi venialiter, & forte nec venialiter, nam modicum pro nihilo reputatur: & idem dicimus quando quis egreditur à Missa post Sumptionem, relictis vltimis orationibus. Si autem quis audiret Missam post Evangelium inceptum, vel eggrederetur ab ea, ante peractam Sumptionem, sine dubio peccabit mortaliter.

Remig. Qui est in peccato mortali, potest dum audit Missam eam relinquere propter Confessionem, si propter auditionem, sequatur ommissio occasionis Confessarij, secus aliter, id est si ad sit copia confessarij post auditam missam, vel quando confessio est ex devotione.

*In prompt.  
c. 4. n. 15.*

Franc. Missa audienda est attente, & sine evagatione mentis vt adimpleatur hoc præceptum: datur tamen parvitas materiæ in hac evagatione, vel alia remotione ab attentione, puta, loquela modica, vel oculorū motus huc, atque illuc, quæ non impedit impletionem huius præcepti.

Possunt in Missæ auditione recitari Horæ Canonicæ obligatoræ, Orationes in pœnitentiam iniunctæ, aliæ que preces ad quas quis ex voto tenetur, & Rosarium Virg. Mariæ: dummodo attendat virtualiter saltem se audire Missam, & ad eam dirigi cætera quæ dicit, & orat, & coniungat suam intentionem cum Sacerdote celebrante.

Franc. Reliqua ad auditionem Missæ attinentia jam manent tractata l. 1. à quæst. 50.

## QVÆSTIO III.

*De secundo Præcepto Ecclesiæ.*

**F**RANC. Secundum Ecclesiæ præceptum est de Confessione annuali ad quam tenetur quilibet habens usum rationis semel in anno sub pœna peccati mortalis, nisi legitime sit impeditus.

*vbi sup. §.*  
41.

Barth. de Medin. Legitima causa excusans à confessione annuali est carere Confessario, ut cum quis est apud Turcas, Judæos, vel in naue vbi desset Confessarius: vel si propter confessionem se exponeret periculo amittendi vitam, honorem, vel bona exteriora: in his namque casibus non tenetur quis ad huius præcepti impletionem.

*l. 6. c. 11 n.*  
1. & 2.

Toletus. Hoc autem præceptum non obligat nisi ad confitendum omnia peccata mortalia quæ homo memoria consequi potest. Venialia non sunt de necessitate, sed de Consilio. Et hoc præceptum ut pote obligans semel in anno, non habet tempus determinatum, tamen propter Communionem, quæ Paschate fit, consuetudo obtinet ut fiat in Quadragesima, non tamen obligat eum qui alias est confessus (in eodem anno) nec iterum mortaliter peccavit.

*ira. 6. de*  
*pra. Eccle.*  
*l. 4. c. 1. n.*  
8.

Rocas. Qui enim nullum habet peccatum mortale non tenetur confiteri: quia præceptum Ecclesiæ determinavit tempus præcepti divini de confessione: sed præceptum divinum solum est de peccatis mortalibus: ergo solum hoc præceptum Ecclesiæ obligat eum qui habet peccata mortalia: vnde qui nullum habet peccatū mortale, non tenetur confiteri.

Franc. Videtur tamen quod si quis habet peccata ve-

venialia solum, teneatur confiteri ea: nam in Decr. cap. Omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remiss. dicitur. Omnis vtriusque sexus cum ad annos discretionis pervenerint, tenentur peccata confiteri.

D. Thom. Dicendum quod ex vi sacramenti non tenetur aliquis venialia confiteri, sed ex institutione Ecclesiæ quando non habet alia quæ confiteatur. Vel potest dici sicut quosdam quod ex decr. prædict. non obligantur nisi illi qui habent peccata mortalia, quod patet ex hoc quod dicit, quod debet omnia peccata confiteri, quod de venialibus intelligi non potest, quia nullus omnia confiteri potest & sicut hoc ille qui non habet mortalia non tenetur ad confessionem venialium sed sufficit ad præceptum Ecclesiæ implendum ut se Sacerdoti præsentet & ostendat absque conscientia mortalis esse, & hoc ei pro confessione reputatur.

*In supplemento  
ad 3. p. 9. 6.  
q. 3. ad 3.*

Franc. Personæ quibus competit confiteri, sunt; habentes usum rationis, scientes scilicet discernere inter bonum & malum, & scientes quid sit secretum: unde amentes, & infantes non tenentur hoc præcepto: quando autem dubitatur de aliquo nū habeat usum rationis, ut de pueris in ætate septem, vel octo annorum, tunc absolutio debet exhiberi sub conditione. v. g. si habes usum rationis, & peccata, ego te absolvo, si autem non habes, non te absolvo.

Tolet. Ista confessio annualis est cum Confessario proprio facienda. Vocamus autem proprium in præsentem unum ex tribus, aut qui ex officio habet facultatem absolvendi, ut Prælati, & Parochi, aut commisso Superioris, Episcopi, aut Pontificis qualem habent multi Religiosi: aut ex facultate pœnitenti concessa: multi enim pœnitentes per privilegia aut diplomata possunt sibi eligere Confessarios proprios: quocumque modo sit proprius, satis est ad audiendas confessiones.

*ubi sup.*

## QVAESTIO IV.

*Num per malam Confessionem satisfaciat quis huic  
præcepto?*

**F**RANC. Respondeo negative. Ratio est, nam Ecclesia eam ipsam confessionem præcipit fieri semel in anno quam Deus præcipit: Deus autem præcipit bonam confessionem veram, atque validam. Ergo qui facit malam confessionem, non adimplet Ecclesie præceptum. Unde Alexan. VII. damnavit oppositam sententiam.

**Fr.** Est autem dubium, si quis vere confessus sit omnia peccata quorum, meminit, si post modum recordetur duorum vel trium obliuorum, num teneatur ad confitenda eodem anno? Ad quod breviter respondeo quod si intra eundem annum recordetur eorum, tenetur ea confiteri: nam præceptum hoc est de confitendis semel in anno peccatis quorum quis habet memoriam: cum ergo in casu posito supponatur eorum memoria, debent ea confiteri. Si vero recordatio eorum sit post transactum annum, sufficit confiteri ea in confessione anni, in quo recordatur.

Qui autem intra annum non adimpleuit præceptum de confessione annuali tenetur post annum confiteri de peccatis non confessis anno antecedenti, & de nouo peccato mortali quod commisit in non adimplerione præcepti. Nam quamvis hoc præceptum sit affirmativum, includit tamen negativum nempe de non permanendo in aversione à Deo: alias in peccato continuo permanebit.

**Remig.** Non enim hoc præceptum ad aliquam determinatam anni partem est ligatum, ut transacta ea non obliget, sed semper obligat usque dum adimpleatur transacto anno.

## QUAESTIO V

*De obligatione confitendi ex præcepto divino.*

**F**RANC. Quatuor sunt casus in quibus ex jure divino tenemur confiteri. 1. In periculo mortis aut articulo, ut qui intrat mare ad longam navigationem, bellum, aut cum quis in ægritudinem periculosam incidit, & mulier prope partum saltim primum, vel si expecta est partus difficiles & periculosas. 2. Ratione voti, ut si quis vovit confiteri singulis diebus Dominicis. 3. Cum Confessarius injungit pœnitenti frequentiam confessionis in pœnitentiam & medicinam. 4. Cum quis vult sumere Eucharistiam, & est conscius peccati mortalis.

Alij etiam addunt teneri hominem ad confessionem quando probabiliter credit quod nisi tunc confiteatur non habebit illo anno copiam Confessarij. Hic autem casus attinet ad jus divinum in casibus enumeratis: cum enim quis incidit in periculum mortis, vel credens in eo periculo se non posse manifestare peccata, tenetur prævenire confessionem, sicut etiam cum ingreditur ad longam navigationem in navi ubi non est Sacerdos, & probabiliter tenet toto anno non habiturum copiam Confessarij: quamvis in hoc casu etiam teneatur confiteri ratione periculi naufragij. Attinet etiam ad jus humanum præcisse ratione probabilitatis quod si tunc non confiteatur, non habebit copiam postea Confessarij.

شاهین شاهین شاهین

شاهین

## QUAESTIO VI.

De tertio præcepto Ecclesiae.

p. 2. tra. 7  
disp. 3. q. 1.

**L**Eand. de SS. Sacr. Est præceptum Ecclesiasticum expressum in cap. Omnis, utriusque sexus de pænic. & remis. ut omnes utriusque sexus fideles postquam ad annos discretionis pervenerint semel saltem in anno tempore Paschatis Eucharistiam suscipiant, nisi forte de Consilio confessarij ad tēpus, eius susceptionē differant.

Franc. Tempus autem Paschatis est à Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusive, nam jam consuetudo Christiana habet hoc tempus pro adimplendo præcepto communionis paschatis. Vbi vero fuerit consuetudo communicandi quolibet die à prima die quadragesimæ usque ad Dominicam in Albis, fit satis huic præcepto per communionem intra præfatum tempus.

l. 6. c. 18,

Tolet. Hoc præceptum in doctus differt à præcepto confessionis 1. quod hoc præceptum debet statuto tempore impleri, adeo quod si quis sæpe intra annum communicet, tenetur tamen communicare tempore paschatis. At vero qui semel in anno confitetur quocunque anni tempore, non amplius illo anno tenetur confiteri, nisi postea mortaliter peccet, & velit communicare. Tunc ratione communionis præmittenda est Confessio.

2. Qui tempore statuto non communicat, peccat quidē sed iam non tenetur communicare pro illo anno: sicut qui non audiuit sacrum in die dominico, non tenetur audire die lunæ. At vero qui non est confessus toto vno anno semper obligatus manet confiteri; & peccat

peccat de novo quoties occurrit commoda confitendi occasio ( si non confiteatur.)

Fr. Qui facit sacrilegam Domini manducationē non satisfacit præcepto communionis annuæ: & oppositum damnauit SS. Domin. N. Innoc. Papa Vndecimus an. 1679. die 2. Martij.

Ad hoc sacramentum requiritur magna reverentia & devotio: & ideo cum pueri primo communicaturi sunt, debent diligenter examinari in doctrina Christiana, in distinctione inter bonum, & malum, in notitijs necessarijs tanti Sacramenti: vnde cum pueri pervenerint ad usum rationis, & in his instruantur, debent communicare in Paschate.

Bart. de Medin. Quando autem quis habeat usum rationis? debet inquiri & declarari à Confessario docto, & quando is determinaverit posse aliquem communicare, ex tunc tenebitur communionem sumere. Vbi vero consuetudine receptū est, neminē communicare usque dū habeat duodecim vel tredecim annos, non peccat qui usque tunc non communicat, nisi Confessarius adverteret puerum jam instructum idoneum, & ingeniosum: debet enim dicere ei ne sequatur talem consuetudinem, sed quod sumat Eucharistiam: omnes enim postquam pertingerint usum rationis tenentur ad communionem & sumptionem Eucharistiæ in Paschate.

*vbi supr.*  
§. 42.

Franc. Hoc præceptum debet impleri in propria Parochia, licet possit adimpleri in aliena, aut alibi de licentia Parochi, vt in ecclesijs mendicantium. Advenæ autem & Peregrini debent implere hoc præceptum sumentes Eucharistiam in Cathedrali, & Matrice: quamvis probabile sit satisfacere eos huic præcepto sumentes Eucharistiam in Ecclesijs Mendicantium: nam prædictæ personæ non habent proprium Parochum, nec propriam Parochiam.

Qui autem per multum tempus puta per sex menses, vel sic habitant extra propriam parochiam, vt Scholastici qui extra propriam patriam & Parochiam degunt, debent adimplere hoc præceptum in ea parochia in cuius ambitu, seu ditioe habitant. Nam tunc censentur Parochiani talis Parochiæ ad quã attinet domus in qua habitant.

*De præc.  
Ecl. l. 5. c.  
5. n. 38.*

**Rocaff.** Laici inservientes Religiosis si degunt extra Monasteria debent recipere eucharistiam in propria parochia: nam ita declaratum est à Sacra Congregatione vt refert Sa v. Eucharistia n. 9. Qui vero in Monasterijs sunt, hi excepti sunt à Parochia: quia sicut isti in Monasterijs sepeliri possunt inconsultis parochis ita & ibi sumere sacramenta, confessionem scilicet, Communionem & extremam vnctionem.

**Franc.** Idem dicendum de famulis conjugatis quamquam noctibus extra Monasterium dormiant: nam hi etiam sunt continui commensales.

## QUAESTIO VII.

*De obligatione sumendi Eucharistiam ex præcepto divino.*

**F**RANC. Datur præceptum diuinum sumendi Eucharistiã, vt colligitur ex verbis Christi Joan. 6. Nisi manducaveritis carnem fil. hominis &c. Et ex illis luc. 22. Hoc facite in meam commemorationem. Quod præceptum obligat adultos baptizatos, non autem Nonbaptizatos: nam hi non tenentur ad Confessionem: ergo nec ad Communionem.

Obligat igitur hoc præceptum in articulo mortis, nunquam enim potest esse maior necessitas huius cibi quam in illo articulo ex quo pendet æternitas gloriæ,



& adhuc, qui communicavit in Paschate, si postea incidat in articulum mortis, tenetur iterum communicare. Unde est usus Ecclesiæ dare communionem infirmis periclitantibus, quamvis in Paschate communicaverint.

Toletus. Probabile est eum qui paulo ante mortis articulum communicavit (puta vno vel duobus aut tribus diebus) non teneri ad sumendam Eucharistiam in periculo mortis, sub peccato mortali, *l. 6. c. 18.*

Leander de SS. Sacr. Probabilius est, teneri, quia præceptum communicandi in articulo mortis, & sumendi Eucharistiam per modum Viatici est divinum: at huic nullo modo est satisfactum per communionem ex devotione factam ante periculum & articulum mortis. Ergo tenetur. *tra. 7. disp. 2. de Euth. q. 5.*

Num vero qui eodem die communicavit, teneatur iterum sumere Eucharistiam ut Viaticum si eodem die incidat in periculum mortis! probabile est utrumque: nam ratio asserens eum non teneri, est quia per primam communionem iam est satisfactum præcepto divino. Ratio vero asserens eum teneri est quia quamvis sit prohibitum, bis eadem die communicare extra missam, potest nihilominus infirmus, imo & tenetur Eucharistiam sumere pro adimplendo diuino præcepto, cum hoc maioris ponderis sit quam Ecclesiasticum. Nam prima communio fuit voluntaria, & hæc, de præcepto diuino & obligatione, & communio ob devotionem non tollit obligationem communicandi eodem die, & sumendi Eucharistiam per modum Viatici. *q. 6.*

Infirmus autem qui viaticum semel sumpsit, licet post sumptionem peccet mortaliter non tenetur iterum sumere Viaticum: quia per unicam Viatici sumptionem jam est satisfactum præcepto divino. *q. 7.*

Franc. Est autem dubium. Num in casu mortis vio;

lentæ per sententiam iudicis damnatus ad mortem tenetur sumere Eucharistiam? Resp. teneri. Nam etiam is habet necessitatem non minus quam qui infirmitate laborat: tenetur que iudex concedere tempus ad summptionem Eucharistiæ, & non damnare ad mortem exequendam vsque dum species sacramentales consumantur, quæ per spatium vnius horæ consumuntur.

Si vero iudex timeat aliquod damnû ex concessione temporis ad communicandum, nempe quod reus evadet, vel violenter aliqui eum eripient, tunc non tenetur tale tempus concedere: nam id esset in damnû iustitiæ. Attamen in quocunque casu tenetur concedere tēpus ad suscipiendû pœnitentiæ sacramentum.

## QVAESTIO VIII.

*De dispositione ad recipiendam Eucharistiam.*

**F**RANC. Ad susceptionem Eucharistiæ requiritur dispositio ex parte corporis, & animæ. Et parte corporis I. jeiunium naturale, hoc est quod nihil cibi vel potus sit transactum per guttur ex duodecima noctis hora vsque ad communionem. Transitus autem salivæ non impedit Communionem. Reliquiæ vero cibi remanentes inter dentes si casu deglutiantur per modum salivæ, & immixtæ ei non impediunt Communionem. Si vero transglutiantur advertenter, tutius est non communicare, licet multi asserant etiam advertenter si transglutiantur non impedire communionem.

Sumptio autem & transglutio papyri, ligni, terræ vel officuli, num impediatur somptionem Eucharistiæ: est controversum apud Doctores: cæterum mihi videtur impedire: nam ista aliquantulum sunt cibus cum possint

virtute stomachi aliquo modo saltem imperfecte alterari.

Sumptio autem tabachi in pulvere per nares non impedit communionem ut per se patet, & idem potest dici de sumptione in fumo. quamvis non audeam idem asserere de sumptione in folio, ibi enim saliva crassior & quasi sustentum videtur transglutiri.

Et tandem, tutius est non communicare, cum aliquid transit per guttur siue sit sustentabile, seu sustentativum siue non, ut plumbum, aurum, aut musca quæ in apertum os ingreditur & transglutitur cum respiratione.

Infirmi autem, & alij qui sunt proximi ad mortem ut qui damnantur ad mortem per sententiam judicis possunt non jeiuni communicare: & quidem de infirmis non est dubium: damnati autem ad mortem debent jeiuni communicare, si commode possunt, secus aliter.

Jejunium igitur requisitum ad communionem est ex præcepto Ecclesiastico: & ipsum jejunium debet esse naturale, nam Ecclesiasticum, non sufficit. Ut constat ex praxi Ecclesiæ: illud autem dicimus jejunium Ecclesiasticum quod non violatur per id quod sumitur per modum medicinæ: cæterum quamvis sumptio per modum medicinæ non frangat jejunium Ecclesiasticum, frangit naturale, & ideo impedit communionem, nisi in infirmis &c.

Salazar. Infirmo habenti vomitus deneganda est Eucharistia per modum Viatici. Si tamen prius non habebat vomitus, & post sumptionem Viatici, adveniant, tunc si evomat formam consecratam non integram totus vomitus debet comburi, & in piscinam projici. Si vero evomat formam integram ponetur reverentia magna in vase vini igni eliquati usque dum contumpantur species

In Prompt.  
tra. 4 §. 5.

sacramentales, & post corruptionem fiet combustio: & cineres projicientur in piscinā. Infirmo autem de quo dubitatur num possit deglutire hostiam consecratam, dabitur prius non consecrata, & facto experimento, dabitur vel negabitur forma consecrata.

Franc. Requiritur 2. ex parte corporis reverentia, & decencia: vnde præcedente pollutione nocturna causata ex cogitatione prævia quæ sit peccatum mortale, vel ex nimia crapula, abstinendum est à communionem, nisi aliud Confessario videatur. Et multo magis est abstinendum si eodem die fuit commissa mortalis voluntaria pollutio, vel fornicatio: quamvis præcedente confessione verum sit tolli omnem indecentiam, & in rigore posse talem communicare: id autem attente prospiciet Confessarius Prudens.

Leand. de SS. Sacr. Circa Coniugatos est sciendū nullum esse peccatum accedere ad Eucharistiam ipso die habitæ copulæ coniugalis quamvis consulendum sit eis ut nocte præcedente Communionem abstineant à copula: si tamen non abstinuerint non est consulendum illis quod non communicent, si alia non adsit causa. Et tandem ipsa die communionis possunt coniuges absque peccato petere debicum, licet non ita deceat, reddere autem abs vlla dubitatione tenentur.

tra. 7. disp  
6 q. 4. 5.  
c. 6.

Franc. Requiritur 3. ex parte corporis serenitas & quies mentis. Vnde qui cænam non digessit ob defectū somni, vel quia cænavit immoderate, vel ex alia causa non peccat communicando: sed ob perturbationem mentis ex qua devotio tollitur, consulitur aliquando abstinendum.

Ex parte animæ requiritur tanquam dispositio essentialis & indispensabilis vt communicans sit in statu gratiæ iustificantis. Dicitur enim. 1. Cor. 11. Quisunque

manducaverit panem, & biberit calicem Domini indigne reus erit corporis, & sanguinis Domini. Probet autem se ipsum homo &c. Vbi indigne id est in peccato mortali sumentes, erunt rei, nam committunt grave peccatum circa corpus Domini. Vnde debent probare se id est examinare suas conscientias qui communicaturi sunt, & si habeant conscientiam peccati mortalis, confessione præmissa ad communionem accedere.

Quando autem instat aliquod periculum irreverentie in Eucharistiam, quamvis quis habeat conscientiam peccati mortalis, si non adest copia Confessarii, potest contritione præmissa, vel attritione, existimata contritione communicare, & sumere Eucharistiam. v. g. in casu quo quis videret infideles obsessuros Ecclesiam & contemptibiliter combusturos hostias consecratas repositas in Sacratio. Et tunc nihil interest quod talis communicans sit jeunius vel non.

Tolet. Cum etiam aliquis contrahit infamiam, si non communicet. V. g. aliquis est Monachus, qui habet reservatum casum Provinciali absentis, tunc tamen occurrit dies sollemnis in quo omnes communicant Monachi: si iste desit, infamiam contrahit, potest cum contritione accedere ad communionem. l. 6. c. 1  
n. 2.

Franc. Pariter qui iam sunt ad altare ad communionem sumendam, si tunc recordentur peccati mortalis, & non possunt sine circumstantium scandalo separare se, possunt tunc præmissa contritione communicare, & postea confiteri: ad quam confessionem etiam tenentur omnes qui propter legitimam causam communicant cum contritione præmissa sine confessione.

Remig. Qui autem est in proximo & ad altare ad communionem si recordetur peccati mortalis obliti in confessione, poterit sumere Eucharistiam, ne det notam, In Pro  
n. 14.  
c. 14. 5

& non tenetur conteri, sicut qui non confessus est (is enim tenetur conteri) quia jam supponitur in gratia per confessionem præcedentem.

c. 15. §. 3.  
n. 6.

Præterea. Qui tempore Paschatis communicaturus est quin possit id excusare absque gravi nota, & scandalo, & habet nonnullos casus reservatos cum excommunicatione maiori de qua non potest absolvere cum Confessarius, poterit cum magna contritione celebrare, vel communicare, quin incurrat irregularitatem. Si tamen casus non sint nisi reservati debet confiteri eos cum reliquis peccatis ut eum absolvat Confessarius directe quidem de alijs, & indirecte de reservatis cum obligatione confitendi eos suo legitimo Confessario.

## QUAESTIO IX.

*De quarto præcepto Ecclesiae, scilicet de jeiunio.*

**S.** Isidorus. Jeiunium est Parsimonia victus, abstinentia que ciborum.

Franc. Id est subtractio vel privatio ciborum, scilicet carniū, & in quibusdam jeiunijs ultra hoc, abstinendum est ab ovis, & lacticinijs, ut in quadragesima: in alijs autem jeiunijs mos patriæ servandus est.

v. jeiun 1.

Arnil. Si autem in aliquibus locis etiam consuetum esset in quadragesima uti butyro, ex quo Ecclesia scit, & tolerat, excusantur utentes à mortali. Ad jeiunium necessaria est vna tantum comestio, & sic habet consuetudo.

20. 3. 174. 5.

dip 6. 9. 4.

5. 7.

Leand. de SS. Sac. Circa horam prandij, seu vniæ comestionis in die jeiunij sciendū quod vniuersali consuetudine est receptum ut refectio fiat in meridie, sumpta meridie late, & moraliter, præsertim vbi nullum est

horologium. Vbi autem viget consuetudo sumendi prandium vna, aut duobus horis ante meridiem, licite potest observari.

Imo cum causa potest quis notabiliter anticipare horam prandij cum jeiunat. Nam hora sumendę refectionis in die jeiunij non respicit substantiam, sed circumstantiam jeiunij. Ergo hæc non viget quando rationabilis causa oppositum exigit. Hæc autem iusta causa est, quando post prandium superuenit aliquod extraordinarium, aut etiam aliquid continuum, quod ita exigit anticipationem, vt hora consueta non possit absque incommodo expectari. 9. 15.

Vnde, ob legendum pro mensa, ob legendum in scholis, ob concionandum post meridiem, ob iter faciendũ, ob adventũ hospitis, & ob similes causas potest quis abs vilo peccato horam prandij anticipare. Similiter Officiales Regularium possunt ante alios comedere, vt possint tempore congruo suo munere fungi. Idem possunt anticipando horam prandij, qui post meridiẽ tractaturi sunt negotia requirentia attentionem mentis, vt iudices, Advocati &c. Et etiam illi qui de nocte, aut multo mane surgunt vt proprijs officijs incumbant, vel vt studijs vaccent, aut vt venatum eant, aut ob aliquid aliud, etiamsi solum ad recreandum animum ordinetur.

Sine vero causa qui notabiliter anticipat horam prandij, tantum peccat venialiter: nam hora sumendę refectionis non est de essentia, seu substantia ieiunij, sed illius circumstantia, seu conditio quædam. Ergo non servata hora ieiunij, satisfiet vere præcepto ieiunij quo ad substantiam, & consequenter non peccat mortaliter qui horã taxatam pro prandio non servat. 9. 8.

Franc. Notabilis autem anticipatio examinanda est

In horam taxatam ad prandendum vel à Doctoribus, vel à consuetudine. Vnde ubi taxata est hora duodecima meridiana ad prandium, esset notabilis anticipatio si plus quam per integram horam fieret anticipatio. Vbi vero taxata est hora prandij duabus horis ante meridiem, esset notabilis anticipatio si per dimidiam horam fieret. Nam ieiunium est ad concupiscentias carnis refrenandas, ad satisfaciendum pro peccatis &c. & oportet quod id reperiat in ieiunio quod non reperietur si notabiliter prandium anticipetur.

In quantum autem ad dilationem ieiunij, seu prandij in die ieiunij post horam consuetam, id licere per se liquet, nam quo tardius fit prandium, tanto est maior afflictio corporis, & refrenatio concupiscentiarum carnis.

Tandem sciendum potum non frangere ieiunium, nã in abstinentia à cibo extra horam debitam consistit ieiunium. Præterea, parvitas materiæ in cibo licet sit extra horam, ut cum sumitur modicus frustulus panis ne noceat potus, vel propter urbanitatem rogatus ab amico cum quis sumit quidpiam modicum panis, piscis, vel huiusmodi, non frangit ieiunium.

v. ieiun.  
n. 6.

M. Montes. Etiam qui debent servire mensæ, vel legere ad mensam, & postea prandere, ut possint melius servire, & levare famem, cū prandium differtur, possunt sumere parvã materiã (ut duas uncias, quæ est quarta pars collationis.)

n. 6.

Circa forbitiunculam quæ vulgo appellatur Chocolate, dicendum quod probabile est sumere eã non solū ratione parvitatatis materiæ & quia sic docent multi viri docti, & quia consuetum est eam sumere diebus ieiunij; sed etiam quia ibi maior quantitas est de aqua, quam de alijs ingredientibus, transit de cibo in potum: & ideo



si vni vasi detur vncia ex Chocolate, & vncia Sachari, & aqua in quantitate competenti, poterit talis potus abs scrupulo absorberi, secus si id fieret spissum.

Acaci. March. Is enim potus, siue cibus, siue quid- <sup>¶ jeiun.</sup>  
quid sit nempe Chocolate prout communiter fit in His- <sup>re Job. 31.</sup>  
pania cū sacharo, & alijs aromaticis rebus censeo quod <sup>n. 7.</sup>  
non possit sumi in magna quantitate: sic enim est valde  
nutritium & intrinsece oppositum jeiunio. Vnde plu-  
res occupati in negotijs ne in prandendo tempus insu-  
mant, sumunt quantitatē notabilem Chocolate, & sine  
vlla debilitate durant per rotum diem.

Oportet igitur vt sumatur sine scrupulo, vt ingre- <sup>n. 12.</sup>  
dientia ad compositionem Chocolate, non excedant  
quantitatem duarū vnciarum paulo magis, aut minus.  
Scilicet, vt ad vnum vas vna vncia de Chocolate, &  
alia de Sacharo, cum quantitate aquæ ad libitum,  
nam aqua non habet terminū fixum in quantitate.

## QUAESTIO X.

### De Collatione.

**A** Polinar. Collationem licere adhuc abs vlla ne- <sup>sup. Mach.</sup>  
cessitate, communiter tenetur. Ad eā alij assignant <sup>to. 1. l. 2. p.</sup>  
tres vncias, alij quatuor, alij quinque, alij sex, alij oc- <sup>4. tra. 3.</sup>  
to adhuc de diversis dapibus, & Sanchez habenti fa- <sup>§. 7.</sup>  
mem pressiore licere tenet aliquid amplius sumere in  
collatione. Alij assignant quartam partem cænæ. ( In  
quantitate, non in qualitate ciborum, hoc est quod  
qui solet cenare triginta vncias, possit in collatione su-  
mere quartam partem triginta vnciarū in cibis compe-  
tentibus collationi ) Alij tenent, Principes, & personas  
delicatas & delicias posse longiorē facere collationē  
ob complexionē delicatiorē.

12.3.tra.5.  
4.1p.4.9.13

Lean. de SS. Sacr. Dicendum posse sumi pro collatione, cibum in quantitate octo vnciarum. Quia tota ista cibi quantitas nullo modo excedit terminos refectiuunculæ, seu collationis, & alias est necessaria ad nutriendam aliquam naturam, ad ministrandas illi vires aliquas vt possit functionibus suis vacare, ad capiendū necessarium somnum, & tandē ne potus stomacho noceat. Et adhuc qui præfixam quantitatem vnciarum octo excederet per vnam, vel duas vncias non frangeret ieiunium, nec mortaliter peccaret, sed tantū venialiter, nā excessus is non est valde notabilis.

9.14.

in sum. tra.  
3.6.4.5.8.  
n. 1.

Remig. Non enim peccabit mortaliter qui bona fide, vel quia premitur fame maiori, sumit in collatione aliquid modicum amplius ultra octo vncias assignatas.

sub. Mach.  
to 1.1.2.p.  
4.1r.3.5.7

Apolinar. Commune est, qualitatem collationis non debere esse de cibis, vel condimentis quæ deserviunt ad prandium. Non nulli tamen admittunt pisciculos parvos (non tamen id debet admitti ubi non est consuetudo) Alij autem cum Bonacina tenent non plus debere attendi ad qualitatem, quam ad quantitatem, dummodo non sit de cibis prohibitis ab Ecclesia in diebus in quibus ieiunatur.

7. ieiun.  
ref. 23. n. 7.

Acaci. March. Communiter tamen docent Doctores qualitatem collationis debere esse de cibis modicæ substantiæ, puta de fructibus, pomis melle, aut saccharo conditis, & hervis. Non de cibis validioribus qui solent deservire ad prandium, hoc est de ovis, piscibus, lactinijs, nec cum leguminibus multæ substantiæ, qualis esset scutella cicerum, aut aliorum similiū jusculorum. Et Ratio est, nam collatio quantum ad quantitatem, & qualitatem consuetudine introducta est: ergo standum est consuetudini in vtraque re: atqui non est introductum

in Ecclesia fieri collationē cibis substantiosis, sed cibis modicæ virtutis, & substantiæ. Ergo solum cum istis poterit fieri collatio.

Lean. de SS. Sacr. Potest igitur fieri collatio cum panē madefacto in vino, vel madefacto in juscuro, nā panis sic immixtus vino, vel juscuro non auget substantiā cibi in ordine ad nutrimentum, ut constat. Licitum etiam est vti in collatione hervis coctis in aqua & oleo perfusis: nam coctio nihil substantiæ eis addit, sed solū adimit aut mitigat eorū cruditatem. ubi. supr.  
q. 35.  
q. 37.

Non tamen licet in collatione cremor amygdalinus aut triticeus (vulgo Almendrada, Almidon) nam in collatione solum sumi possunt bellaria, hoc est fructus, insalata, indulciata, & alia quæ ante prandium ad excitandū appetitum, vel post ad sigillandum cibum apponi solent, cuiusmodi non sunt huiusmodi cremores: nec consuetudine id receptum aut introductū est: vnde non licet eis vti in collatione. q. 40.

Frañc. Noctē Nativitatis Domini licet Collatio longior cæteris collationibus intra annum. Tum ex usu, & consuetudine Populi Christiani, tum ob singularem tanti festi lætitiā: tum tandem ob laudabilē tolerantiam Prælatorum.

Quando vero festum Nativitatis Domini incidit in feria secunda, tunc non licet in Sabbato facere nisi collationem ordinariam. Nam ibi adest obligatio jejunandi pro jejunio quatuor temporum, quod tunc incidit in tali Sabbato & præterea: adhuc non adest officium solemnitatis Nativitatis Domini. Licet oppositum sit probabile.

Circa Regulares num possint facere collationem longiorem quando vigilia Nativitatis Domini inciderit extra Sabbatum? dicendum (si ipsi habeant obligationē

ieiunandi solū ex præcepto Ecclesiastico ) posse, si consuetudine in Religione receptum est. Si vero ultra obligationem ex præcepto Ecclesiastico, teneantur etiam ieiunare, non posse, nam obligatio orta ex voto cernens est ad jus divinū contra quod nulla prævalere potest consuetudo.

*v. ieiun.*  
*n. 71.*

M. Montes. Hora collationis communiter est ad initium noctis, id tamen non est de substantia collationis: vnde qui faceret collationem mane, & cænaret nocte tantum peccaret venialiter, & nullo modo, si iusta causa faceret hanc mutationem, veluti causa Prædicandi, legendi &c.

## QVÆSTIO XI.

*De personis quæ ieiunare tenentur.*

*sup. Mach.*  
*to. 1. l. 2. p.*  
*4. 67, 3, 5, 9*

**A** Polinar. Obligat ieiunium omnes fideles ( nisi ad sit iusta causa excusans eos ) à vnde viginti annis completis vsque ad sexaginta annos. Et si postea habeant ætatem robustam, sibi probabiliorem opinionem, ad huc tenentur ieiunare.

*to. 2. tra.*  
*5. disp. 8.*  
*q. 17.*

Leand. à SS. Sac. Probabilius tamen dico quod ætas sexagenaria omnino, & absolute liberat omnes senes etiam fortes, & robustos à lege ieiunij: nam ætas sexagenaria est ex se ætas senilis: ætas autem senilis excusat in omnium opinione à lege ieiunij. Ergo ætas sexagenaria omnes senes, etiam fortes, à ieiunio liberat.

Franc. Obligatio igitur ad ieiunandum est vsque ad ætatē senilem formaliter, à vigesimo primo anno completo: quia tamen hæc senilis ætas communiter accidit anno ætatis sexagesimo, ideo vsque ad præfatam ætatem regulariter tenentur fideles ieiunare.

Silve. Professi regulam in qua præceptum est aliquibus diebus jeiunare, ad hoc obligantur ante ætatē completam vnde viginti annorum.

Franc. Pariter Professi regulam in qua præceptum est aliquibus diebus jeiunare tenentur jeiunare in ætate sexagenaria quamvis sint exempti à ieiunijs communibus Ecclesiæ. Nam hæc obligatio nascitur ex professione quæ durat vsque ad mortē. Per accidens tamen possunt liberari ab hac obligatione, puta ratione senectutis nimie, magnæ quæ debilitatis.

Tandem in aliquibus casibus obligantur ad jeiunium illi qui non dum habent viginti & vnum annos. 1. Cum Pontifex, alius ve Ecclesiæ Prælati in maximis calamitatibus indicit jeiunium. 2. Cum ipsi voluntarie vovent aliquibus diebus jeiunare. 3. Cum Confessarius in pœnitentiam, ieiunium iniungit. 4. Ad vincendas tentationes, tenetur quis præcepto diuino ieiunare, seu observare abstinentiam quando aliter saluti spirituali non potest providere. Et hæc obligatio est communis omnibus personis cuiuscunque status, & ætatis, & in quibuscunque diebus.

## QUAESTIO XII.

*De his qui jeiunare non tenentur.*

**D** Thom. In pueris maxime est evidens causa non ieiunandi, tum propter debilitatem naturæ ex quo provenit quod indigent frequenti cibo & non multo simul assumpto. Tum etiam quia indigent multo nutrimento propter necessitatem augmenti quod fit de residuo alimenti. Et ideo quandiu sunt in statu augmenti quod est, vt in pluribus, vsque ad finem tertij septe-

2.2.9.147

4.4 ad 2,

nij, non tenentur ad Ecclesiastica ieiunia observanda.

613.

Circa operarios, & peregrinos num teneantur? est distinguendum: quia si peregrinatio, & operis labor commode differri possit aut diminui absque detrimento spiritualis salutis, & exterioris status qui requiritur ad conservationem corporalis, vel spiritualis vitæ, non sunt propter hoc Ecclesiæ ieiunia prætermittenda. Si autem imminet necessitas statim peregrinandi, magnas dietas faciendi, vel etiam multum laborandi, vel propter conservationem vitæ corporalis vel propter aliquid necessarium ad vitam spiritualem & simul cum hoc non possint Ecclesiæ ieiunia observari, non obligatur homo ad ieiunandum: quia non videtur fuisse intentio Ecclesiæ statuentis ieiunia, ut per hoc impediret alias potestates, & magis necessarias causas. Videtur tamen in talibus recurrendum esse ad Superioris dispensationem: nisi forte ubi est ita consuetum, quia ex hoc ipso quod Prælati dissimulant, videntur annuere.

Franc. Circa Peregrinos iterum est distinguendum, nam vel sunt devoti ut qui peregrinantur ad loca sancta visitanda & hi absque commoditate si iterfaciant & pedestres, atque per iter longum, puta ab una dieta & ultra, probabile est, non teneri eos ad ieiunium, quod in aliquo die in via incidit, nam multum fatigatur sic peregre itinerans: nec refert quod voluntarie aggreddatur talem peregrinationem: quemadmodum enim voluntarie vapulans in processibus Hebdomadæ Sanctæ usque ad multam effusionem sanguinis non tenetur ieiunare, quia manet debilitatus viribus, ita pariter huiusmodi devotus peregrinus non tenetur ieiunare, cum multum maneat in longa pedestri peregrinatione quamvis voluntaria fatigatus. Si vero peregrinatio

natio ex deuotione esset breuis, puta duarum leucarum vel sic, debet ieiunare, vel non inchoare talem peregrinationem in die ieiunij, sed alio die.

Si Peregrinantes vero sint negotiatores, vt mercatores, vel Agalones portantes & ducentes bestias onustas. Vel voluntarie iterfacientes ad videndas vrbes, & regna, vel ludos publicos qui in aliqua ciuitate celebrantur, vel propter alias causas voluntarias. Tunc quoque distinguendum est.

Nam si negotiatores pedibus iterfaciant per spacium trium leucarum, vel vtra, excusantur à ieiunio. Nam iter pedestre valde debilitat. Vnde opus habent maiori, ac frequentiori cibo, quam exigit ieiunium, ad subueniendum corpori.

Leand. à SS. Sacr. Equitantes non tenentur ad ieiunium casu quo iter sit aut plurium dierum, aut nimis longum, etiam si non sit pluriū dierum sed solum vnus diei. Ratio est quia in hoc casu quamuis equus sit placidus, & gressu facilis, nihilominus tamen equitans fatigatur & valde laxatur ex agitatione equi & longitudine itineris quæ maximam molestiam affert itinerantibus.

*vbi su, disp  
8, 9, 101,*

Vt autem itineratio cum equo, sive super equum excuset à ieiunio oportet quod sit itineratio octo aut decem leucarum Hispanicarum: nam qui vnico die decem, aut octo leucas equitant, sufficienter laborant, & fatigantur & debilitantur eorum vires. Ergo sufficientem causam habent, ad hoc vt eodem die à ieiunio excusentur.

*9, 102.*

Franc. Voluntarie etiam iterfacientes si sint pedestres excusantur à ieiunio cum itineratio est notabilis puta supra tres leucas: nam præceptum ieiunij non prohibet iter pedestre: vnde voluntarie potest quis aggredi huiusmodi iter.

l. 1, in inf,  
c. 14, §, 10,

Barthol. de Medi. Nam præceptum ieiunij est respectu eorum qui ieiunare possunt, & non sunt fatigati: pedibus autem iterfacientes, quamuis sit pro delectamento, vel pro visenda amica impudica, non tenentur ieiunare: peccabunt quidem contra præceptum castitatis, non autem contra præceptum ieiunij. Secus esset si itineratio sumeretur pro medio ad non ieiunandum: sic enim esset fraus & dolus contra legem ieiunij.

Franc. Alij vero voluntarie iterfacientes equitando, regulariter tenentur ad ieiunium, cum possint iterfacere temperate & per dietas commodas ut non fatigentur multum.

Circa operarios, & laborantes sciendum, quod quoties labor corporalis multum macerat, & notabiliter defatigat corpus, excusat à ieiunio.

l. 6, c. 4.  
n. 2,

Tolet. Propter quod Fossiles, Messores, Aratores, Seminatores, Fabri lignarij, Ferrarij, Lapidæ, Cursores, iterfacientes pedites, & omnes alij huiusmodi laborantes excusantur à ieiunio: sed non Sutores, & qui vestes faciunt, & alij huiusmodi artifices qui non multum corpus exercent, à ieiunio excusantur. Advertendum tamen laborem hunc excusare cum provenit ex vna triu causarum.

n. 3,

Prima est cum labor competit ex officio, etiam si laborans sit dives: non enim diuites tenentur cessare à labore ob ieiunium. 2. Quamuis labor non competat ex officio, si tamen laborant in utilitatem Reipublicæ, ut qui tempore belli iuvant ad muros construendos. 3. Quando laboratur in proximi utilitatem, vel ad vitandum damnum proprium, vel proximi temporale, & multo magis spirituale. Ut qui laborant ad extinguendum incendium, vel aliud opus corporale faciunt, quod nisi fiat, inducit damnum.



Joan. Henriq. Opifices officiorum non magni laboris tenentur ieiunare in diebus in quibus non laborant. *lib. 16. q. 28.*

At vero laborantes in officijs valde defatigantibus non tenentur ieiunare in diebus in quibus non laborant, nec in hoc multum scrupulizandum est: esset enim imponere magnum onus eis supra eorum laborem: prudenter enim iudicatur eos habere impotentiam moralem ad ieiunandum: vnde nimis affigerentur, si difficulter eis concederetur excusatio ab hac obligatione.

Franc. Vnde Agricolaë, & Nautæ tam regentes, & tractantes vela, anchoras, alia que plura opera, quam remigantes laboriose excusantur à ieiunio in die in quo non laborant dummodo post laborem immediate sequatur dies ieiunij, secus quando post laborem esto magnum, sequitur quies, & post vnum vel duos dies quietis, dies ieiunij.

Lean. de SS. Sacr. Eximuntur à ieiunio milites si degant in castris contra hostes, aut iter agant: aut etiã si degentes intra munitiones, credant probabiliter futuram esse occasionem pugnandi, aut exercentur in arte militari, aut excubias agant.

*vbi. supr.  
q. 91.*

Franc. Et generaliter qui multum laborant in quocunque officio laborioso possunt excusari à ieiunio. Et sane licet supra asserat Tolæus Sutores teneri ieiunare, & Sartores qui vestes faciunt: sane Sutores multum laborare adhibendo magnum conatum brachijs, cruribus, & pedibus ad consuendum calceos per se patet: vnde non tenentur ieiunare. De Sartoribus autem teneri, & non teneri est æque probabile. Et quidem censeo quandoque eos excusari, vt cum per integrum diem magno conatu, & celeritate se applicant ad suendas vestes.

De alijs vero officijs levioribus in quibus se exercent barbitonfores, pictores, Scribentes, & huiusmodi, ab-

solute dicendum est eos teneri ad jeiunia servanda, Non enim in his officijs multum defatigatur corpus.

*ubi su. ad 4*

D. Thom. Circa pauperes dicendum quod pauperes qui possunt sufficienter habere quod eis sufficiat ad unam comestionem, non excusantur propter paupertatem à jeunijs Ecclesiæ à quibus tamen excusari videntur illi qui frustratim eleemosynas mendicant: qui non possunt simul habere quod eis ad victum sufficiat.

*ubi su. n. 1.*

Tolet. Eodem modo excusantur sm Gabr. alij, licet non ostiatim petant, qui propter paupertatem, miserum prandium, & insufficientem habent: possunt enim cænare, & interdiu comedere.

Franc. Excusat etiam à jeunio infirmitas, vt Febris, Chiragra, Podagra, dolor capitis, stomachi, stanguria, & quilibet alius morbus grauis qui potest cum jeunio damnum causare. Et adhuc transacta infirmitate, dum quis est in conualescentia excusatur à jeunio.

*In sum, 1. d.*

*3. 1. 4. 5. 4*

Remig. Qui autem dubitat num possit ei provenire grave damnum si jeiunet, vel si non edat carnem poterit non jeiunare, & manducare carnem, & multoties tenebitur ad hæc: est enim præceptum de conservanda vita & de non ponendi se in periculo amittendæ salutis: & dubitatio debet interpretari in favorem rei. Et ideo qui feria quarta v. g. febribus laboravit poterit edere carnem in feria sexta quamvis in feria quinta non habuerit febres: nam poterit timere ne forte sit febris quartana.

*Ibid, n. 7.*

Præterea, qui patiuntur podogram, stanguriam &c. poterunt in diebus jeunij edere carnes, quamvis actualiter non patiantur prædictos morbos: sufficit enim eorum frequens repetitio, quamvis quandoque personæ

sint sanæ, & liberæ ab eorum molestijs. Convalescentes quoque, & qui aliqualem habent modicam frequentem & continuam febrim: item quibus scinduntur venæ ad emissionem sanguinis, & qui habent fracturam aliquam possunt edere carnes.

**Toler.** Excusat à jeiunio infirmitas complexionis, cum quis facile in morbum labitur, vt Valetudinarij: similiter qui inedia statim in dolores vehementes capitis aut stomachi incidunt: similiter qui ita debiles sunt, vt non possint vnico prandio necessarium victum accipere, sed indigent frequenti cibatione. l. 6. c. 4.  
n. 1.

Infirmitas quoque conditionis excusat à jeiunio vt in mulieribus grauidis, & lactantibus, quæ quia indigent cibo pro se, & pro fætu sm communem sententiam liberæ sunt à jeiunio, sed non à qualitate ciborum, licet medici possint licete vsum lacticimorum ipsis concedere.

**Lean. de SS. Sacr.** Possunt tamen prægnantes, & lactantes licite in diebus jeiunij edere carnes, quando eas vehementer appetunt, quia alias esset periculum periclitationis in fantis. Si vero sint valde robustæ, non licet eis comedere carnes, bene vero si sint nimis delicatæ complexionis, ne infantulus subeat notabile damnum. Vel etiam si sint robustæ, si lactent duos infantes simul, probabile est posse eas edere carnes. Imo abhuc in casu quo vnicum lactarent infantulum si hic esset aut infirmus, quod est certum, aut valde præter consuetudinem debilis. ubi supra, 937

**Caiet.** Circa senes dicendum quod quia senectus non est euidenter omnibus vna ( alij enim citius alij tardius senescunt, ideo non est determinatum tempus quando homines propter senectutem excusantur à jeiunio. Formaliter tamen loquendo quândocunque quis est vere 2. 2. q. 147  
sup. 4.

senex non tenetur ad ieiunia Ecclesiæ. Et ratio est quia natura est adeo debilis in sene, ut non possit multum simul cibum digerere. Et propterea egent frequenti alimento modico, sicut infirmi. Communiter autem videtur hoc accidere anno sexagesimo ætatis. Unde sexagenarius communiter est senex. Et nisi evidenter constet quod possunt alimentum pro ieiunio opportunum digerere, & tolerare, non debent conari ad ieiunium, sed debilitati quam sentiunt subvenire frequenti modico, & bono alimento, quoniam senectus morbus est incurabilis.

Franc. Pietas etiam excusat à ieiunio, ut cum quis prætermittit ieiunium vacans operibus misericordiæ, & charitatis, v. g. qui tota nocte vigilat curam habens de infirmo: & iterum si quis tota die inserviat infirmis in hospitali. Vel cum quis est in urgente necessitate in distantia à se sex, vel septem leucarum, & nisi vadam ut succurram ei, vexationem magnam patietur tunc si non possum incænatus aggredi hoc iter, non teneor ieiunare,

Concionatores quoque qui concionantur vel ex officio, vel ex obedientia, vel etiam ex mercede, si commode ieiunare non possunt in diebus quibus concionantur non tenentur ieiunare, tum ratione charitatis, tum ratione laboris. Unde qui per singulos dies in quadragesima prædicant sunt absoluti a toto ieiunio quadragesimali. Qui vero ter, vel quatuor in quadragesima prædicant, probabile est etiam excusari à toto ieiunio quadragesimali. Tum ratione laboris actualis concionandi. Tum quia debent conservare vires & robur ad commode, & viriliter prædicandum, quod ieiunando, male præstare possunt. Id tamen regulandum est secundum vires, & prudentiam ipsius Prædicatoris.

Alij autem Prædicatores qui tempore æstivo jam mane, jam vespere concionantur in multis locis, ad faciendas collectas, & elemosynas, vti fratres nostri Regij, ac Militaris Ordinis B. Mar. de Mercede Redemptionis Captivorum qui strenua & ardenti charitate faciunt collectas ad Captivorum Redemptionem, non est dubium eos excusari à jeiunio, dum sic elaborant.

Leander de SS. Sacr. Circa Confessarios dicendum excusari eos à jeiunio in casu quo cum auditione confessionum incompatible sit jeiunium: vt quando per totum fere diem huic labori audiendi confessiones incumbunt, siue confessiones sint arduæ, siue faciles, id est venialiam, nam labor audiendi confessiones per plures horas est magnus corpori, & spiritui.

Tolet. Excusat etiam à jeiunio obligatio solvendi debitum: vnde qui non potest reddere debitum vxori jeiunando, excusatur à ieiunio.

Rursus excusatur vxor quæ ad vitandas rixas, & odia cum marito cænat cum ipso, & ieiunium soluit. Sed intellige cum maritus non facit id in fidei contemptum: tunc enim potius est subeunda mors.

In casu autem quo pœnitens bona fide putat se habere causam sufficientem non jeiunandi licet vere non sit sufficiens, solum venialiter peccat, nec debet à confessario statim damnari de mortali: imo nec debet illū à sua fide & conscientia deponere, sed solum exhortari vt experiatur jeiunare.



## QUAESTIO XIII.

*Qui sint dies in quibus jeiunandum est?*

**T**Olet. Jeiunia communia populo Christiano sunt hæc. Quadragesima, quatuor tempora, Vigilia Nativitatis, Pentecostes, Assumptionis Beatissimæ Virginis, Omnium Sanctorum, Apostolorum, exceptis vigilijs S. Joannis Apostoli, & Sanctorum Philippi, & Jacobi Apostolorum, Vigilia S. Joannis Baptistæ, & S. Laurentij. Ultra hæc sunt aliqua particularia jeiunia in locis aliquibus obligantia.

## QUAESTIO XIV.

*De dispensatione in Ecclesiastico jeiunio.*

22. s. 47.  
4. q. 147.

**C**Aiet. Dispensatio in jeiunio contingit dupliciter. 1. Absolute, tollendo vel commutando vinculum legis quo ad hanc personam, & hoc spectat ad Papam qui solus est super universalia jura positiva.

2. In particulari casu & hoc spectat ad Episcopos, & etiam ad Presbyteros, Curatos, & universaliter ad Prælatos respectu suorum subditorum. Vt constat ex Authore: S. S. Thom. In 4. senten. dist. 15. dicente expresse quæst. 3. art. 2. ad ultimum, de laborantibus quod possunt in dispensationem Sacerdotis sui jeiunium solvere.

Et in hoc loco ad 3. Nisi forte ubi est ita consuetum, quia ex hoc ipso quod Prælati dissimulant, videntur annuere. Ex quibus verbis patet quod non de solo Papa loquitur, quoniam locorum consuetudines non præsumitur

sumitur Papam scire, sicut nec statuta municipalia.

Franc. Possunt igitur iusta causa dispensare in jeiunio Episcopi, Parochi in absentia Episcoporum. Parochorum vices gerentes nisi alias id ipsis à Parochis prohibeatur. Superiores Regularium. Vicarij Superiorum localiū in horum absentia. Confessarij autem, Viri docti, Medici, Abbatissæ, & aliæ Monialiū Superiores non possunt dispensare cum non habeant jurisdictionem exteriorem spiritualem requisitam ad dispensandum poterunt tamen declarare in hoc vel illo casu non obligare jeiunium, & supposita tali declaratione, tuto poterunt non jeiunare personę quæ eos adeunt ad consulendum.

Prælati autem sint benigni & liberales dispensatores cum subditi exigunt dispensationem in jeiunio, quamvis causa sit dubia interpretando eam in favorem subditi: nã quãdo causa est certa nihil operaretur dispensatio: præcipue vbi consuetudo viget causa evidenti ad non jeiunandum adessente, posse quencunque relinquere jeiunium sine dispensatione: vel etiam, idem posse, quando de facili non habetur recursus ad Superiorem.

Præterea, quando causa est dubia, Prælatus tamen magis inclinatur eam esse insufficientem ad dispensandum in jeiunio: adhuc si forte falli possit in hoc iudicio, poterit consulere medicum, & consolari subditum: nunquam tamen relinquat rem subditi arbitrio, & conscientię, faciens eum iudicem in propria causa: sic enim exponit subditum periculo peccati, & erroris.

Caiet. Minus ergo sapiunt qui petentibus subditis in causa dubia dispensationem cænandi in jeiunijs Ecclesiæ, aut aliter jeiunium solvendi præveniēdo horam jeiunij, remittunt eos in conscientia sua, debent enim compati infirmis, & commutare ad cautelam jeiuniū in septē psalmos, vel aliquid huiusmodi. *vbi supr.*

v. jein. q.  
7. in fin.

Silve. Quantum autem ad edendas carnes in diebus jeiunij potest medicus declarare, & etiam in alijs diebus prohibitis quamuis non sint dies jeiunij: peccat tamen medicus sine causa rationabili vel saltim dubia sm Archi. Talia mandans. ar. 23. q. 1. Quid culpatur.

## QUAESTIO XV.

*De casibus in quibus peccatur frangendo jeiunium.*

**F**RANC. Peccat mortaliter qui habens ætatem in qua obligat jeiunium Ecclesiasticum, voluntarie & absque causa frangit illud, manducans à media nocte in mediam noctem pluries quam semel. Quod intelligendum est exceptis collatione, parva materia, & alijs exceptionibus in præcedentibus quæstionibus positis, & hic ponendis.

In sum. tra  
3. c. 4. §. 2.  
n. 7.

Remig. Multi tenent non jeiunantem in die qua occurrunt duo præcepta ad jeiunandum v. g. dies vigiliæ, dies ieiunij Quadragesimalis peccare duplici peccato, vel vno cum circumstantia specifica necessario aperienda in confessione. Et idem est de non audiente sacrum in festo colendo cum incidit in die dominica. Oppositum tamen censeo: vnde sufficit dicere in confessione se non ieiunasse, vel non audisse sacrum in die præcepti. Hic enim solum in non auditione sacri est adversus virtutem religionis, & in non ieiunare, adversus virtutem temperantiæ.

Si vero quis teneatur jeiunare ex voto, & præcepto, si frangat jeiunium, tenetur vtrumque aperire in confessione, nempe quod peccavit contra votum attinens ad Religionem & contra præceptum præcipiens temperantiam, & ieiunium in tali die.



Noſter Reverendiſſimus M. Zumel. Ut ſi Monachus <sup>2.2.9, 72.</sup>  
teneatur ieiunare ex præcepto religionis, & præterea <sup>4.6, dub. 3,</sup>  
etiam ex præcepto Eccleſiæ: ut ſi tunc ſit vigilia ex ſta- <sup>600. 3.</sup>  
tuto Eccleſiæ ieiunanda, tunc ſane concurrunt ad actū  
illum duo præcepta ſm rationes omnino diverſas: unde  
in eo ſi adimpleatur erit duplex ratio virtuofa, ſi vero  
nō adimpleatur, duplex diverſa ratio vitij, & deformitatis.

Silve, Fractor ieiunij pro qualibet vice qua comedit  
in die ieiunij ultra vnam, vicem peccat mortaliter ſm Io. <sup>v. ieiun. 9. 8</sup>  
de Nea. in quod lib. quia iſtud præceptum reducit ad <sup>v. quartu.</sup>  
negativa ſcilicet ne comedas niſi ſemel: quod verum  
eſſet ſi novo contemptu ſemper comederet. Alias au-  
tem verius & communius eſt dictum Duran. in 4. quod  
tantū ſemel peccat mortaliter: aliter obligaretur ad im-  
poſſibile: quia ex quo ſemel ieiunium fregit, illo die je-  
iunare non poteſt in quadrageſima: tamen ſecus ubi je-  
iunare poteſt alio die: vnde quot dies quis ommittit,  
tot peccata committit.

Franc. Qui vero die ieiunij edit carnes, toties quo-  
ties eas edit, peccat mortaliter: nam præceptum de non  
comedendis carnibus eſt negativum. Pariter in diebus  
quibus prohibentur ova, & lactinia qui ea edunt,  
toties quoties peccant mortaliter: eſt enim etiam hoc  
præceptum negativum.

Præterea. Adhuc in diebus in quibus prohiben-  
tur carnes, quamvis non ſint dies ieiunij, peccat mor-  
taliter qui carnibus veſcitur toties quoties. Et idem  
dicendum de perſonis qui ieiunare non tenentur: nam  
adoleſcentes ante vigefimum primum ætatis annum,  
quamvis ieiunare non tenentur, bene vero ad non eden-  
das carnes in diebus prohibitis, & in diebus ieiunij. Pa-  
riter licet pueri ante annos diſcretionis, qui adveniunt  
regulariter ad finem primi ſeptenij poſſint edere car-

nes, non tamen post annos discretionis: nec iterum poterunt edere oua, & lacticia in Quadragesima post annos discretionis.

Et inferitur hinc perpetuo amentes ut pote incapaces obligationis legis, posse semper edere carnes, & licite quencunque posse eis dare carnes ad vescendum, quam vis sint robusti, & sani: non enim robusta sanitas extrahit amentes ab immunitate legum, a quibus propter incapacitatem sunt liberi.

Tandem non peccant, qui in diebus prohibitis edunt carnes causa necessitatis, quia scilicet non habent alios cibos. Nec qui ad vitandum grave damnum comedunt eas præfatis diebus. Ut si fidelis transiens per terras Turcarum, ne captivaretur, ederet carnes ad occultandum se esse Catholicum. Nam præceptum abstinendi à carnibus est Ecclesiasticum non obligans cum gravi periculo & damno.

Nec iterum peccant mortaliter, qui in diebus ieiunij, & alijs diebus prohibitis edunt parvā materiam carnis, veluti octavam partem vnius uncie.

Qui vero inservientes infirmis comedunt parvitatem carnis ad inducendos eos ad comedendum, nullo modo peccant: nā à mortali peccato liberat eos parvitas, & à veniali, charitas. Non enim in die ieiunij prohibentur opera charitatis.

Mart. Nav. Nec etiam peccant qui aliquid sumunt causa prægustandi cibos dominorum, vel infirmorum quibus inserviunt etiam mane, & etiam si cibi prægustandi sint oua, vel carnes, & etiam in Quadragesima: quia non sumunt illud in cibum, sed ex debito officio propter quod non solvunt ieiunium, nec excusantur ab eo.

Franc. Vnde Pincernæ Principum prægustant cibos

pro securitate : & coqui vt credentiam faciant. Vnde nec venialiter peccant , quia non sumunt ea manducandi gratia , sed ex necessitate seruitij.

## QUAESTIO XVI.

### De ieiunio Quadragesimali.

**L**Eand. de SS. Sacr. Non solum ex vi iuris sed etiam ex vi consuetudinis sunt prohibita sub peccato mortali, oua, & lacticia in ieiunijs Quadragesimæ. Et qui dem quod obliget ex vi iuris probatur ex sexta Synodo Generali can. 6. Vbi prohibetur Clericis vsus ovorum, & lacticiniorum in quadragesimæ ieiunijs sub pæna suspensionis : laicis vero sub pæna excommunicationis : quæ pæna supponit gravem culpam , & obligationem sub mortali.

10, 2 174. 5,  
disp. 3. q. 2,  
c. 3.

Deinde : ex vi consuetudinis : quia in eodem can. præcipitur vt consuetudo Ecclesiæ vniuersalis abstinendi ab ouis, & lacticinijs in Quadragesima seruetur sub pænis nuper dictis & explicatis. Ergo seruit Concilium , aut , vt melius dicam Congregatio illa Episcoporum habita post Concilium talem consuetudinem in Ecclesia introductam obligare ad mortale peccatum : alias non præci-peret sub tanta pæna observari.

Circa vero vsum ouorum , & lacticiniorum in diebus Dominicis Quadragesimæ : nunc in Hispania non sunt ea sub peccato mortali prohibita : vel quia talis consuetudo non fuit introducta , vel quia lex Concilij , aut consuetudinis abrogata est per consuetudinem contrariam.

Circa veros Regulares, & Presbyteros dicendū quod 1. 10.

probabilius est eos si habeant Bullam Cruciatæ posse edere in Dominicis Quadragesimæ oua, & lactinia: quamuis ea sint prohibita in Dominicis Quadragesimæ vel à sexta Synodo prædicta, vel ab alio iure, vel à consuetudine. Nam in Bulla Latina solum prohibentur Presbyteris, & Religiosis oua, & lactinia in diebus jeiunii Quadragesimæ: dies autem Domini Quadragesimales non sunt jeiunii dies. Ergo licite poterunt dictæ personæ edere virtute Bullæ oua & lactinia in Dominicis Quadragesimæ.

Franc. De laicis probabile est posse eos edere oua, & lactinia in diebus Dominicis Quadragesimæ absque Bulla Cruciatæ. Licet probabilius sit non posse sine prædicta Bulla. Et id intelligendum est in locis ubi non viget consuetudo comedendi ea: ubi enim viget consuetudo comedendi ea sine Bulla, non est dubium non indigere laicos Bulla ad ea edenda. Absolute vero loquendo indigent Bulla: nam sine ea, prohibita sunt oua, & lactinia in Dominicis Quadragesimæ, ut probat Ludovic. à S. Raymu. Excalceatus nostri ordinis to. 1. tra. varia. moralium tra. 2. resol. 4. n. 34.

*De Præ. Ec.*  
*l. 3. c. 3. n.*  
*41.* Rocaff. Nota circa pauperes ostiatim petentes posse in quadragesima sine Bulla comedere unum ovum, aut parum orixæ cum lacte aut frustrum casei sibi dati, nec teneri cum alio cibo non prohibito commutare. Ita Henric. de Indul. cap. 13. n. 9. Quod tanquam probabile admittit Truellene l. 5. cap. 1. dub. 4. Cuius ratio est vel quia in illis illud censetur parva materia vel quia non habent aliud quo se sustentent, neque ad extraordinaria media tenentur.

Imo Sanchez in Consil. p. 2. l. 5. c. 1. dup. 19. n. 4 cum Henric. & alijs censet pauperes agricolas, quando necessitas est clara & non possunt invenire commo-

de pisces, bene vero oua, & lactinia posse illa comedere, & præbere domesticis suis, melloribus, & putatoribus, illi que possunt comedere licet Bulla careant.

Franc. Tandem cui concessum est edere carnes in Quadragesima, licite potest comedere oua, & lactinia. Et cui concessum est edere oua, licite poterit lactinia edere. Nam in maiori concessione conceditur id quod minus est præsertim quando est eiusdem rationis, uti oua cum carne à qua originem dicunt, & lactinia cū ouis quæ pene sunt eiusdem rationis, licet aliquantulum inferioris ad oua.

Remig. Et qui habet dispensationem edendi carnes non tenetur seruire formam jejuniij: unde potest manducare sicut qui non tenetur jejunare. *In sum, tr, 3, 6, 4, 8, 4, u, 2,*

## QUAESTIO XVII.

### *De quinto præcepto Ecclesie.*

Franc. Quintum Ecclesie præceptum est de solvendis decimis, & Primitijs. Et quidem ratio naturalis dicitur ut ministrantibus ad cultum Dei ad salutem populi, populus necessaria victui ministret. Sicut & his qui communi utilitati invigilant, ut Principibus, & militibus, debentur stipendia victus à populo. In nova autem lege determinatio decimæ partis solvendæ Ministris Ecclesie est instituta auctoritate Ecclesie determinantis illud Math. 10. Dignus est operarius cibo suo.

Toletus. Advertendum tamen tres esse species decimarum, quasdam prædiales ex terræ fructibus, ut oleum, frumentum, vinum. Alias personales ex fructibus per-

*1, 6, 6, 20.*

sonæ, vt ex venatione, negotiatione. Alias mixtas, vt decimæ ex fœtura animalium quæ ex terra pascuntur, & tamen industria humana opus est. Et istæ decimæ solvuntur in nova lege licet non omnes in omnibus locis.

Sub peccato mortali tenentur homines solvere decimas vbi est consuetudo solvendi: & debent extrahi decimæ ex fructibus non deductis expensis nec his quæ homo seminavit vel apposuit, sed ex eo toto quod homo colligit, decima est solvenda.

Vbi autem non est consuetudo solvendi decimas, si Parochus non habeat sustentationem, tenentur Parochiani illum sustentare: & tandem consuetudo servanda est etiam de quota, donec aliud per maiores disponatur.

D. Thom. Laudabiliter ministri Ecclesiæ decimas Ecclesiæ non requirunt vbi sine scandalo requiri non possent, propter dissuetudinem, vel propter aliam causam. Nec tamen sunt in statu damnationis qui non solvunt in locis illis in quibus Ecclesia non petit: nisi forte propter obstinationem animi habentes voluntatem non solvendi, etiam si ab eis peterentur.

Franc. Cum autem quis vendit triticum v.g. non decimatum, potest Ecclesia decimas exigere & ab emptore qui habet rem Ecclesiæ debitam, & à venditore qui quantum est de se Ecclesiam defradavit. Vno tamen solvente non tenetur alius.

Rursus, quia decimæ debentur ex fructibus terræ in quantum proveniunt ex munere Dei: ideo non cadunt sub tributo, nec etiam sunt obnoxie mercedi operariorum. Vnde solvens decimas si debeat tributa Principi, & præcium operarijs solvere, non debet prius deducere tributa, & præcium, quam solvantur decimæ: sed ante omnia debent decimæ solvi ex integris fructibus.

## QUAESTIO XVIII.

*Quibus personis debeantur Decimæ?*

**D.** Thom. Circa decimas duo sunt consideranda: *ibid. 4. 3.*  
 ius accipiendi eas, & ipsæ res quæ, decimæ dicuntur. Et quidem jus est spirituale, consequitur enim illud debitum quo ministris altaris debentur sumptus de ministerio, & quo ministrantibus spiritualia debentur temporalia: quod ad solos Clericos pertinet habentes curam animarum, & ideo eis solum, competit hoc ius habere. Res autem quæ nomine decimarum dantur corporales sunt, unde possunt in usum quorumlibet cedere, & sic possunt etiam ad laicos pervenire.

Franc. Est autem consuetudo in quibusdam terris, quod milites decimas ab Ecclesia, in feudum tēnent. Religiosi etiam quidam decimas accipiunt. Ergo videtur decimas deberi alijs & non solum Clericis curam animarum habentibus.

**D.** Thom. Ad hoc dicendum quod sicut res nomine decimæ acceptas potest Ecclesia laico tradere: ita etiā potest ei concedere ut d. ndas decimas ipsi accipiant, jure accipiendi ministris Ecclesiæ reservato, sive pro necessitate Ecclesiæ sicut quibusdam militibus decimæ debentur in feudum per Ecclesiam concessæ: sive etiā ad subventionem pauperū, sicut quibusdā religiosis laicis, vel non habentibus curam animarū aliquæ decimæ sunt concessæ per modū eleemosynæ. Quibusdam tamen religiosis competit accipere decimas, ex eo quod habent curam animarum. *ibid. 4. 3.*

Franc. Tandem circa decimas personales, prediales, & mixtas est sciendum, personales deberi Ecclesiæ in cuius parochia homo habitat. Circa vero prædiales jura determinant, quod in hoc servetur consuetudo diu obtenta. Circa vero mixtas si Pastor v. g. diversis temporibus in duabus parochijs gregem pascit debet propor-

tionaliter vtrique Ecclesiæ decimas solvere. Et quia ex pascuis fructus gregis proveniunt, magis debetur decima gregis Ecclesiæ in cuius territorio grex pascitur, quam illi in cuius territorio ouile locatur.

### QVAESTIO XIX.

*De personis quæ tenentur ad solvendas decimas.*

**F**RANC. Omnes homines baptizati tenentur ad solvendas decimas, nisi alias exempti sint. Quia tamen plures sunt exempti, ideo hic breviter quæ necessaria sunt ut Confessarius sciat, dicemus.

Et in primis Clerici Clericis non solvunt decimas ex fructibus beneficiorum suorum, aut de decimis quas ipsi percipiunt: Bene vero ex fructibus prædiorum quæ possident sæculari jure, puta hereditario, emptione, & Pariter prædia Ecclesiæ curatæ non sunt obligata ad solvendas decimas alteri Ecclesiæ, etiamsi sint infra terminos & parochiam alterius Ecclesiæ.

2.2. q. 87.  
sup. ar. 4.

**CAIET.** Quod tamen intelligendum est cum grano salis, scilicet sine notabili damno Ecclesiarum ut colligi potest ex ea. suggestum ex tra. de decimis. Ne contingat quod unus esuriat, & alter ebrius sit. Æquitas namque non patitur statuta Ecclesiæ de ordinatione habere, unde si omnia prædia infra terminos alicuius parochiæ donarentur à diversis, diversis alijs Ecclesijs: tunc alijs Ecclesijs possidentibus cuncta, spoliata maneret parochialis illa Ecclesia suis decimis.

Propter quod in similibus casibus debent prædia extraneis Ecclesijs curatis donata transire cum onere suo, ut scilicet solitas parochiali Ecclesiæ decimas solvant. Et tunc per accidens Clerici Clericis solverent decimas.

ibid. 4. 4.  
ad 2.

**D. THOM.** Religiosi qui sunt Clerici si habeant curam animarum, spiritualia populo dispensantes, non tenentur decimas dare, sed possunt eas recipere. De alijs vero Religiosis etiamsi sint Clerici qui non dispensant popu-



lo spiritualia est alia ratio. Ipsi enim tenentur de jure communi decimas dare: habent tamen aliquam immunitatem sive diversas concessionem eis à Sede Apostolica factas.

Leand. de SS. S. Vnde nunc Religiosi exempti sunt virtute suorum privilegiorum à solutione decimarum prædiorum suorum quæ proprijs manibus vel sumptibus excolunt: Nam omnes fere Religiones habent privilegia à sum. Pontificibus ad hanc exemptionem.

Franc. Et quidem Noster Ordo Regius B. Mar. de Mercede Redemp. cap. habet hoc privilegium à Greg. Vndecimo in Bulla quæ incipit Greg. Episcopus, &c. & post pauca. Dum Salubria laborum vestrorum studia. Vbi eximit nos à Decimis realibus & alijs quibuscumque solvendis ad instar Religionum militarium Sancti Ioannis Ierosolymitani, de Calatrava, & Montesia. Quod privilegium transit in Coloniam & Emphyteutam ut ibidem dicit noster sapientissimus Mag. Seraphinus de Freitas Canon Doctor & Emeritus Vesperarius Pincianus.

Leand. de SS. Sac. Ista autem privilegia religionum se extendunt ad prædia etiam denuo acquisita, & ad novalia non tamen quando sequitur enormis læsio Ecclesijs, ut quando Religiosi haberent omnes fere possessiones unius Parochiæ. Et id, quod dicitur de Religiosis, intelligendum est de Monialibus: quamvis Portel dicat in Portugallia praxim esse in contrarium pro decimis solvendis à monialibus de possessionibus à colonis conductis.

Franc. Tandem in alijs Ecclesijs perpetuo unitis, vel aliter subordinatis standum est sanctionibus à Superioribus, ordinatis circa prædia, novalia, decimas &c.

## QUAESTIO XX.

### De Primitiis.

Franc. Primitiæ sunt onus prædiale: vnde qui nullos colligunt fructus nec per se nec per alios, nullas solvunt primitias. Circa quantitatem primitiarum, stan-

10. 3. tra.  
6. disp. 6.  
q. 34.

in Bull. nri  
ordin. Bull  
4. Greg. II

Freitas ib.

ibid q. 47.  
c. 48. c.  
51.

q. 43.  
regul. 2.  
in dubijs  
deci. n. 3.

dū est consuetudini locorum. Et pariter circa personas quæ tenentur solvere: Regulariter tamen omnes qui tenentur ad solvendas decimas tenentur etiam ad solutionem Primitiarum quæ etiam regulariter sunt deputatæ ad fabricam, ornatum sumptus que Parochiarum.

## QVÆSTIO XXI.

### *De Oblationibus.*

**F**RANC. Oblationes quæ fiunt in Ecclesia in Missarū solemnijis vt de pane, vino, cera & huiusmodi sunt voluntariæ, nisi in casu quo Ministri Ecclesiæ non haberent vnde sustentarentur, vel propter consuetudinem. Tenentur enim fideles in aliquibus solemnitatibus ad aliquas oblationes consuetas: remanet tamen voluntas libera quantū ad quantitatem, vel speciem rei oblatæ.

D. Thom. Et illi qui oblationes debitas non reddunt possunt puniri per subtractionē sacramentorū non per ipsum Sacerdotem cui sunt faciendæ oblationes, ne videatur per Sacramentorum exhibitionem aliquid exigere, sed per Superiorem aliquem.

Franc. Et id intelligendum etiam in alijs casibus quando debentur oblationes, vt cum alicui conceditur fundus Ecclesiæ vt certis temporibus certas oblationes faciat, & non facit. Vel cū quis in testamento relinquit aliquid in posterū Ecclesiæ solvendū, & non soluit qui tenetur &c.

Tandem de oblationibus quæ à Populo exhibentur Deo, possunt Sacerdotes dispensare eas partim ad cultū Dei, partim ad suum vīctum, partim in vīsus pauperum. Partim in vīsum laicorum, donando, vel vendendo: non tamen oblationes consecratæ possunt cedere in vīsum laicorum, vt vasa, & vestimenta sacra, sed oblationes non consecratæ, vt panis, cera &c. Et hæc de quinque præceptis communibus Ecclesiæ.



# LIBER TERTIUS.

## DE

# SACRAMENTIS.

### QUAESTIO PRIMA.

*Quid sit Sacramentum.*



**R**A N C. Sacramentum est, Signum rei sacrae sanctificantis homines. Id est quid perceptibile per sensus, & repræsentans rem sacram nempe gratiam sanctificantem, & inhærentem formaliter animæ quam sanctam denominat. Vnde in baptismo per exteriorem abluitionem, & verba prolata à ministro, quæ ablutio, & verba sensibilia sunt significatur interior animæ ablutio per gratiam sanctificantem. Et sic in alijs sacramentis per signa exteriora ducimur in cognitionem rei sacrae spiritualis, scilicet gratiæ. Vt videbitur in singulis sacramentis.

Sapientia enim divina suaviter disposuit institutionem sacramentorum in signis perceptibilibus per sensus, ut per hæc sensibilia adipisceretur homo spiritualia, & intelligibilia dona quibus sanctificaretur. Est enim ho-

mini connaturale per sensibilia pervenire in cognitionem rerum spiritualium ( nam omnis humana cognitio à sensu oritur )

Homil 60  
ad pop.  
Antioch,

S. Joan. Chrysostronus. Si enim ( o homo ) In corporeus esses, nuda, & incorporea tibi dedisset ipse ( scilicet Christus ) dona, sed quoniam anima corpori conferta est, in sensibilibus intelligibilia tibi præbet.

Franc. Sacramenta igitur sunt signa quæ præter speciem quam ingerunt sensibus, faciunt aliquid aliud in cognitionem venire, Nempe gratiam animæ formaliter in hærentem & sanctificantem eam. Et quæcunque alia signa rerum sacrarum quæ non significant sanctificationem hominis per gratiam formaliter eius animæ inherentem non sunt sacramenta. Vnde Aspersio aquæ benedictæ, & huiusmodi alia, quæ sacramentalia appellantur non sunt sacramenta, significant enim dispositionem ad sanctitatem, non veto ipsam sanctitatem per gratiam. Et iterum, creaturæ sensibiles significant aliquid sacrum, nempe sapientiam, & bonitatem Dei, non tamen sunt sacramenta, quia nos non sanctificamur per sapientiam, & bonitatem Dei, sed per gratiam infusam animabus nostris a Deo.

## QUÆSTIO II.

*De necessitate Sacramentorum.*

FRANC. In statu Innocentiæ in quo fuit Adam antequam peccaret, non fuerunt necessaria sacramenta. Cum enim non esset vulnus peccati, non erat necessaria medicina sacramentorum ad curationem. Deinde, in reſtitutione illius status, mens dominabatur viribus inferioribus animæ, & anima corpori: vnde esset con-

3. p. 9. 61.  
4. 2.

ad 1.

tra hanc rectitudinem, acquirere gratiam dependenter ab inferioribus, & sensibilibus signis.

D. Thom. Et ideo in statu innocentie homo sacramentis non indigebat, non solum in quantum sacramenta ordinantur ad remedium peccati, sed etiam in quantum ipsa ordinantur ad anime perfectionem. Licet autem in illo statu homo indigeret gratia, non tamen ut eam consequeretur per aliqua sensibilia signa, sed spiritualiter, & invisibiliter.

Franc. Post peccatum Adami, necessaria sunt sacramenta ad salutem æternam consequendam: Hæc enim obtinetur pre gratiam: gratia autem confertur hominibus per Christum mediatorem Dei, & hominum, quem proposuit Deus Propitiorem per fidem in sanguine ipsius, ut dr. Rom. 3. Unde necesse est dari sacramenta, seu signa visibilia protestantia fidem de Christo Mediatore, ut per hæc signa donetur nobis gratia iustificans.

& quidem in lege naturæ fuerunt huiusmodi sacramenta determinata hominibus à Deo, non per legem scriptam exterius datam, sed per interiorem instructionem. & adhuc, in tempore legis naturæ fuit Abrahamæ data Circumscissio Gen. 17. Pro sexu virili in remedium contra peccatum originale. Et tandem pro parvulis, fæminis, atque adultis erant sacramenta secundum quod illi tempori congruebant: Parvuli autem per fidem Parentum de Christo Mediatore cum aliquo exteriori protestativo huius fidei, mundabantur ab originali peccato. Adulti autem per actum personalem, & proprium fidei de Christo Mediatore cum protestatione visibili huius fidei, per sacrificia, vel aliter.

In lege autem veteri scripta, seu veteri testamento fuerunt instituta à Deo multa sacramenta: Circumf-

cissio quoque aërea data Abrahæ fuit iterum stabilita in hac lege Moyfi data à Deo, vt patet ex Levit. 12.

Et tandem in lege nova Evangelica, seu lege gratiæ instituit Christus septem sacramenta Baptismum, nempe, Confirmationem, Eucharistiam, Pænitentiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, atque Matrimonium. Vt constat ex Con. Triden. Sess. 7. can. 1.

Est autem hæc differentia inter sacramenta legis naturæ, & Veteris testamenti, & inter sacramenta nouæ legis: quod illa non causabant gratiam sanctificantem, sed protestabantur opus operantis, id est actum fidei quæ Antiqui habebant de Christo Mediatore venturo ad salvandum genus humanum. Et Deus ad præsentiam huius protestationis conferebat eis gratiam. Sacramenta vero nouæ legis causant gratiam ex opere operato, id est ex passione Christi peracta, quæ est opus operatum, ex quo derivatur virtus salutifera in nouæ legis sacramenta.

Christus autem passus est pro nobis, & mortuus est tradens semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suavitatis, exhibens recompensationem pro offensa generis humani, & redimens nos suo precioso sanguine, eo que lavans nos à peccatis nostris, reconcilians nos Deo per mortem suam, & operans nostram salutem. Cumque hæc passio, & mors sit peracta, ex ea derivatur virtus causativa gratiæ sacramentis nouæ legis, non autem sacramentis antiquis: nam tunc non erat peracta passio Christi, & ideo non derivavit virtutem causativam gratiæ, eis.



## QVÆSTIO III.

## De Sacramentis novæ legis.

**C**Athechismus Pij V. Sacramentum novæ legis est: Res sensibus subiecta, quæ ex Christi institutione, sanctitatis, & justitiæ tam significandæ, quam efficiendæ vim habet.

Franc. Unde apparet sacramenta novæ legis non solum significare gratiam, & sanctitatem, sed etiam causare eam, quod expressit etiam D. Augu. sup. Joan. dicens. Aqua baptismalis corpus tangit, & abluit cor: sed cor non abluitur nisi per gratiam ergo baptismus gratiam causat: & pari ratione, alia sacramenta Ecclesiæ efficiunt quod figurant.

Hæc autem causalitas competit his sacramentis tanquam instrumentis: nam principalis causa efficiens gratiæ est Deus, ad quem comparatur humanitas Christi sicut instrumentum coniunctum sacramentum autem sicut instrumentum separatum: & sic virtus salutifera à divinitate Christi per eius humanitatem in sacramenta Ecclesiæ derivatur.

D. Thom. Specialiter tamen sacramenta Ecclesiæ habent virtutem ex passione Christi, cuius virtus quod <sup>3. p. 1. 62.</sup> <sub>4. 5.</sub> dammodo nobis copulatur per susceptionem sacramentorum. In cuius signum de latere Christi pendentis in Cruce fluxerunt aqua, & sanguis, quorum vnum pertinet ad baptismum, aliud ad Eucharistiam, quæ sunt potissima sacramenta.

Franc. Hæc sacramenta constant ex rebus, & verbis tanquam ex materia, & forma, & quodlibet sacramentum est vnum non in genere entis, sed in genere signi.

ficandi, : sic quod res se habeat in quolibet sacramento pro materia, & verba pro forma: quæ forma & facit vnum totum cum materia, & perficit significationem Materiæ, & significat effectum sacramenti. V. g. in baptismo, illa verba, seu forma Ego te baptizo &c. simul cum aqua ablucite facit vnum baptismum & perficit significationem aquæ vt intelligatur de interiori animæ ablutione per gratiam, & tandem significat hanc gratiam.

Nomine autem rerum, & verborum intelliguntur res, & verba formaliter, vel virtualiter talia: in nonnullis enim sacramentis sunt formaliter, ut in baptismo &c. In alijs virtualiter vel æquivalenter, vt quandoque per nutus potest esse matrimonium, de his tamen in quæstionibus de pænitentia, & matrimonio infra erit sermo.

Hæc sacramenta novæ legis fuerunt instituta à Christo, eorum que materias, & formas determinavit Christus, & quidem de materia, & forma Baptismi, Eucharistiæ, & Pænitentia, & Extremæ Vnctionis aperte probatur ex scriptura sacra. Vt videbitur infra.

Suare. Et idem est iudicium de cæteris sacramentis, quamuis non fiat ita in Scriptura explicata. Vt enim ait Diony. c. 2. Eccles. Hierarch. Primi Sacerdotalis muneris duces visibilibus signis cælestia sacramenta texerunt, & partim scriptis, partim non scriptis institutionibus, nobis tradiderunt.

Determinatio autem materiæ, & formæ non est æqualis in omnibus sacramentis: nam in baptismo est aqua, & oleum in Extrema Vnctione: vbi oleum, & aqua sunt materiæ determinatæ in specie. In pænitentia est materia determinata in genere, non in specie: sufficit enim dolor attritionis. In Eucharistia, & Confirmatione, dubia res est num materia sit in vna specie physica,

10. 2. in. 3.  
p. disp. 2.  
sect. 3.



vel in vno genere? Ut panis, & vinum in Eucharistia: balsamum in Confirmatione. Et idem reperire possumus in formis, quamvis in his, maior determinatio exigatur: nam in sacramentis (excepto matrimonio) requiruntur propria verba certa, & præscripta in sensu, & significatione, non in idiomate. Vnde materia, & forma vel in genere, vel in specie debet esse secundum Christi institutionem.

Franc. Nec in inviduo Christus determinavit materias, & formas omnium sacramentorum. Ut patet in Baptismo, & Eucharistia. Nam Græci baptizant sic. Baptizetur servus Christi N. in nomi. &c. Latini, sic. Ego te baptizo. &c. Græci utuntur pane fermentato, Latini, Azymo, ad Conficiendam Eucharistiam.

Substantialiter autem, & formaliter materiæ, & formæ institutæ à Christo sunt invariabiles: nam sunt de necessitate sacramenti: nec homines habent potestatem variandi substantialiter eas. Tunc autem variantur substantialiter, quando aliæ res, & alia verba diversæ substantiæ, & sensus à sensu, & substantia institutionis Christi, assumuntur ad conficienda Sacramenta. Exemplum materiæ in baptismo, si quis loco aquæ, assumeret vinum, vel oleum ad abluendum: non fieret baptismus. Nam vinum, & oleum sunt diversæ substantiæ ab aqua. Exemplum formæ in ipso baptismo. Siquis diceret Ego te amo in nomi. &c. non fieret baptismus: Nam huius forma, nempe, Ego te baptizo &c. vel, Baptizetur servus Christi N. &c. facit diversum sensum, à sensu, ego te amo.

Quando autem variatio est puerè accidentalis tam in materia, quam in forma, conficitur Sacramentum. Ut patet in variatione accidentali formæ baptismi apud Græcos, & Latinos: & in variatione accidentali ma-

teriae Eucharistiae, panis nempe fermentati apud Græcos, Azymi, apud Latinos.

Vtraque autem variatio tam substantialis quam accidentalis in verbis formæ sacramentorum, potest fieri multipliciter. 1. Per additionem. 2. Per diminutionem. 3. per transpositionem verborum. 4. Per eorum corruptam pronuntiationem. 5. Per interruptionem, &c. Et in omnibus his est regula generalis quod si addantur verbis quæ sunt forma sacramentorum verba diversi sensus: vel si diminuatur aliquid de verbis formæ, sic quod sensus etiã sit diversus, tunc non conficitur Sacramentum, bene vero, quando variatio verborum non mutat sensum substantialem formæ Sacramenti.

3. p. 9. 60.  
4. 8. ad. 3.

D. Thom. In interruptione autem si tanta sit verborum interruptio quod intercipiatur intentio pronuntiantis, tollitur sensus Sacramenti, & per consequens, veritas eius: non autem tollitur quando est parva interruptio, quæ intentionem proferentis, & intellectum verbum non aufert.

Franc. Vnde baptizans, si dicto: Ego te baptizo in nomine Patris: diceret, Tacete pueri, seu, recedite hinc, vel quid huiusmodi: & prosequeretur formam baptismi: & filij, & spi. &c. Is conficeret Sacramentum: nam hæc interruptio non discontinuat intentionem proferentis, vel vim verborum, secundum communem morem humanum loquendi: secus, si semiprolata forma, iret, baptizans prorsum, & postea prosequeretur reliqua verba formæ.

3. p. 9. 60.  
sep. 4. 8.

Caieta. Circa corruptam pronuntiationem verborum advertendum, quod ut patet de consecratione, dist. 4. c. Retulerunt. Zacharias Papa determinavit fuisse baptizatum illum qui ob ignorantiam baptizantis, baptizatus est in nomine Patria, & Filia, & Spiritua Sancta.

Vbi vides quod corruptio fuit tanta, quod variata est significatio nominum: nam Patria non Patrem, sed locum nativitatis significat, sed licet Patria absolute aliud significet quam Pater, vt tamen est pars corrupte prolata huius Orationis, Ego te baptizo in nomine Patria, & Filia. &c. significasse Patrem, iudicatum est, & sic oratio tota non mutavit significationem. Et hoc valde notandum est pro casibus occurrentibus in verbis corrupte prolatis, circa alia Sacramenta, vel ex festinatione, vel ex balbutiente lingua, vel aliquo alio accidente.

Franc. Circa materiam Sacramentorum, & quidem remotam, cuiusmodi est aqua in baptismo ( Nam materia proxima est illa, inter quam, & formam nihil mediat, & ipsa mediat inter formam, & materiam remotam, vt ablutio in baptismo ) sciendum eam esse duplicem, aliam certam, & aliam, dubiam. Certa est ea quæ instituta est à Christo, vt panis, ad Eucharistiam: dubia est illa de qua non est compertum, num sit materia certa, an nulla? vt aqua decoctionis carniū ad baptismum, nam dubium est num sit certa, & vera aqua, an vero transferit ad speciem diversam ab aquæ specie? & quidem materia certa vti possumus absolute in conficiendis Sacramentis; materia vera dubia in baptismo, in casu necessitatis, sub conditione tamen. V.g. Si hæc est vera Materia, Ego te baptizo &c. In nonnullis etiã alijs casibus necessitatis, & præcipue in Sacramento penitentia, etiam licet sub conditione, vti materia dubia: numquam autem ad conficiendam Eucharistiam.

Vlterius necessarium est necessitate præcepti Ecclesiæ in conficiendis Sacramentis vti materia, & forma secundum præscriptionem Ecclesiæ, & non variare

adhuc accidentaliter: Vnde esset peccatum mortale contra hoc præceptum Ecclesiæ, si quis baptizans, diceret, Ego te lavo in nomi. &c. Vel in penitentia, Ego te libero à peccatis tuis. Nam per verba, Ego te baptizo: & Ego te absolvo, præcipit Ecclesia conficere hæc Sacramenta. Quamvis casu necessitatis baptizans, ignorans hæc formam ab Ecclesia præscriptam ad baptismum, possit sine peccato, uti alia accidentaliter tantum diversa ab ista.

Præterea requiritur ad conficienda Sacramenta, quod materia, & forma simul coexistent: vel physice, ut simul ac dicitur forma, addit materia præsens. v. g. dum dicitur Ego te baptizo &c. in baptismo, fiat ablutio cum aqua: vel moraliter, id est quod statim dicatur forma supra materiam modico tempore præcedentem, ut in matrimonio. Ista autem si multas tam physica quam moralis quia diversimode reperitur in Sacramentis, infra videbitur qualis debeat esse in singulis.

## QVÆSTIO IV.

### *De Ministro Sacramentorum novæ legis.*

**A** Polinar. Minister est qui applicat formam ad materiam cum intentione faciendi quod facit Ecclesia. Intentio vero est triplex Actualis, quæ habetur in ipso actu. Virtualis, quæ remanet ex actuali. V. g. intendit quis in ingressu Ecclesiæ celebrare Missam: & dum consecrat, habet mentis evagationem, tunc manet actualis antecedens virtualiter, nisi fuerit retractata. Habitualis est cum quis operatur ex habitu quin præcesserit intentio, vel intentio quæ præcessit fuit interrupta, nec manet virtualiter.

Franc. Ex his sufficit intentio vel actualis, vel virtualis, licet curandū sit quod adsit actualis, ad conficienda sacramenta: habitualis vero non est sufficiens.

Requiritur etiam dispositio in Ministro; scilicet gratia, nam sancta sancte tractanda sunt: vnde curabit minister si sit in peccato mortali conteri, antequam ministrat Sacramentum, vel saltim habere attritionem quæ sit existimata contritio: imo, & confiteri, si adsit copia Confessarij, & celebraturus sit missam. Peccat enim mortaliter minister conscius peccati mortalis, conficiens Sacramenta.

D. Thom. In articulo tamen necessitatis non peccat baptizando in casu in quo etiam posset laicus baptizare, sic enim patet quod non exhiberet se ministrum Ecclesie, sed subveniret necessitatem patienti. Secus autem est in alijs Sacramentis quæ non sunt tantæ necessitatis.

3 p. 1. 64.  
4. 6. ad 3.

## QUAESTIO V

### De subiecto Sacramentorum.

Franc. Subiectum est homo recipiens Sacramentū, qui etiam debet habere intentionem recipiendi, vel propriam, & personalem si sit adultus, vel intentionē quam habet Ecclesia pro parvulis, & perpetuo amentibus.

M. Montes. Sufficit (in Adultis) intentio etiam coacta ex metu, est enim simpliciter libera, esto secundū quid involuntaria. Sufficit etiam consensus genericus quem quilibet Catholicus habet recipiendi omnia sacramenta, quoties eis indigerit, quem consensum supponit Ecclesia in moribundo cui confert Extremam Vnctionem, quin is petierit. Et tandem sufficit habi-

v. sac. n. 7

tualis intentio vt supponitur in cap. Maiores. Recipiens enim non se habet vt agens in ordine ad sacramentum sicut minister, vnde sufficit in eo intentio minor.

Franc. Requiritur etiam dispositio scilicet gratia in recipiente Sacramenta Vivorum: & in recipiente Sacramenta mortuorum dolor, & pœnitentia: nam baptismus, & pœnitentia, quæ sunt Sacramenta mortuorum, id est instituta ad conferendam primam gratiam remissivam peccatorû his qui in eis sunt mortui vitæ spirituali gratiæ, & charitatis, exigunt recogitationem peccatorum & dolorem de eis: & quidem baptismus in adultis (nam parvuli non habent nisi originale peccatum.)

Reliqua vero Sacramenta requirunt, & supponunt in recipiente ea, vitam spiritualem gratiæ, vnde dicuntur Sacramenta vivorum, & conferunt augmentum gratiæ primæ, seu secundam gratiam. Quandoque tamen vt infra videbitur Sacramenta mortuorum per accidens gratiam secundam causant, & Sacramenta vivorum, primam.

Præterea: qui indispositus, & conscius peccati mortalis recipit Sacramentum vivorum, peccat mortaliter, & non recipit rem Sacramenti, scilicet gratiam: oportet igitur, quod recipiens se disponat, vel per confessionem, vel per contritionem, vel saltim habeat attritionem quæ sit existimata contritio, vel necessario confiteatur, si suscepturus est Eucharistiam, & adsit copia confessorij.



## QUAESTIO VI.

*De effectu Sacramentorum.*

**F**RANC. Effectus omnium Sacramentorum novæ legis est gratia : sic tamen quod singula Sacramenta addunt supra gratiam communiter dictam, quoddam divinum auxilium ad consequendum Sacramenti finem: sicut gratia baptismalis regenerat spiritualiter hominē, Confirmationis gratia est ad augmentum, & firmitatem in vita spirituali. Et sic in alijs Sacramentis.

Uterius Baptismus, Confirmatio, & Ordo imprimunt characterem, seu notam, aut potestatem spiritua- lem in anima, perficientem hominem ad ea quæ sunt divini cultus secundum ritum vitæ Christianæ. Is autem character est indelebilis, ut pote participatio Sacerdotij æterni Christi, de quo dicitur. Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec. Unde potest sic defini character, potestas indelebilis impressa in anima ad ea quæ sunt divini cultus secundum ritum vitæ Christianæ. Et hinc habes quod hæc tria Sacramenta non possunt iterari.

## QUAESTIO VII.

*De numero Sacramentorum novæ legis.*

**D.** Thom. Quia remedia spiritualis salutis sub signis sensibilibus sunt hominibus tradita: consequens etiam fuit ut distinguerentur remedia quibus provide- retur spirituali vitæ secundum similitudinem vitæ corporalis. In vita autem corporali duplicem ordinem in-

4. con. Gen  
c. 58.

venimus. Sunt enim propagatores, & ordinatores corporalis vitæ in alijs: & sunt qui propagantur, & ordinantur secundum corporalem vitam.

Vitæ autem corporali, & naturali tria sunt necessaria per se, & quartum per accidens. Oportet enim primo quod per generationem, seu nativitatem res aliqua vitam accipiat. 2, quod per augmentum ad debitam quantitatem, & robur perveniat. 3. Ad conservationem vitæ per generationem adeptæ, & ad augmentum perductæ, est necessarium nutrimentum: & hæc quidem sunt necessaria per se naturali vitæ, nam sine his perfici non potest. Sed quia contingit aliquod impedimentum circa corporalem vitam, ex quo res vna infirmatur: per accidens est necessarium quartum, quod est sanatio rei viventis ægroi.

Sic igitur, & in vita spiritali, primum est spiritalis generatio per baptismum. 2. Spirituale augmentum, per Confirmationem. 3. Spirituale nutrimentum, per Eucharistiam. 4. Spiritualis sanatio vel in anima tantum per Pœnitentiæ Sacramentum, vel ex anima derivatur ad corpus quando fuerit opportunum per Extremam Vnctionem. Hæc igitur pertinent ad eos qui in vita spiritali propagantur, & conservantur.

Propagatores autem, & ordinatores corporalis vitæ secundū duo attenduntur, scilicet sm originem naturalem, quod ad Parentes pertinet: & sm regimen politicum, per quod vita hominis pacifice conservatur: & hoc pertinet ad Reges, & Principes. Sic igitur est in vita spiritali. Sunt enim quidam propagatores, & Conservatores spiritalis vitæ sm spirituale ministerium tantum, ad quod pertinet Ordinis Sacramentum. Quidam vero secundum corporalem, & spiritualem simul, quod fit per sacramentum matrimonij, quo vir, & mulier con-



veniunt ad prolem generandam, & educandam ad cultum divinum.

Franc. Vnde apparet proportio, & similitudo inter ordinem gratiæ, & naturæ, & suavissima Christi Domini dispositio in septenario Sacramentorum novæ legis numero.

## QUAESTIO VIII.


*De necessitate Sacramentorum novæ legis.*

**C**Aietan. Tria Sacramenta sunt necessaria simpliciter ad salutem æternam. Baptismus absolute: Pænitentia supposito peccato mortali post baptismum. Et Ordo respectu Ecclesiæ universalis. Reliqua Sacramenta sunt necessaria ad melius, seu commodius. 3. p. q. 65. ad a. 3.

D. Thom. Nam Confirmatio quoddammodo perficit baptismum, Extrema Unctio, pænitentiam: matrimonium vero, Ecclesiæ multitudinem per propagationem conseruat.

Franc. Baptismus, autem, & Pænitentia sunt necessaria simpliciter in re, vel in Voto, eis qui sunt capaces ad habendum in voto hæc sacramenta, quando in re, ea non possunt habere. Quomodo autem parvulis potest prodesse baptismus, infra agentes de baptismo videbimus. 3. p. q. 65. ad a. 3.

Tolet. Alia Sacramenta, vt Eucharistia, Confirmatio, Extrema Unctio sunt in præcepto aliquando, & cum haberi possunt, ita vt obligent ad susceptionem, sed non sic, vt sine illis non contingat salus. l. 2. c. 17. n. 3.



## QVAESTIO IX.

*De comparatione Sacramentorum inter se.*

**F**RANC. Potissimum inter Sacramenta novæ legis est Eucharistia, ibi enim est Christus substantialiter; in alijs autem sacramentis continetur quædam virtus spiritualis participata à Christo, vt ex supradictis patet. Aliorum autem sacramentorum comparatio potest esse sic. Quod in via necessitatis, baptismus est potissimus. In via perfectionis, Ordo: medio autem modo se habet Confirmatio. Pænitentia vero, & Extrema Unctio sunt inferioris gradus: sic quod Pænitentia est maioris necessitatis, sed Extrema Unctio, maioris perfectionis. Matrimonium autem habet vltimum locum inter Sacramenta.

## QUAESTIO X.


*De nonnullis alijs ad Sacramenta novæ legis attinentibus.*

**F**RANC. Hic sciendum est primo Sacramenta novæ legis significare vltra sanctificationem animæ per gratiam, passionem Christi, causam nostræ sanctificationis, & gloriam æternam, finem nostræ sanctificationis. Vnde sunt signa rememorativa passionis Christi, demonstrativa sanctificationis nostræ, & prognostica, seu prænuntiativa futuræ gloriæ.

Tolet. Quod in illa antiphona SS. Sacramenti, cui per excellentiam ista appropriantur, exponitur: quæ tamen omni Sacramento conveniunt. O sacrum convi-

vium in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.

Franc. Tandem sciendum est in quolibet Sacramento esse Sacramentum tantum, nempe sensibilis forma, & materia. Rem, & Sacramentum: & est character in Sacramentis per quæ imprimitur character; in alijs, suo loco dicetur. Et rem, tantum: & est gratia quam quodlibet Sacramentum causat.



## DE SACRAMENTO BAPTISMI.

### QVÆSTIO XI.

#### *Quid sit Baptismus?*

**F**RANC. Dupliciter definitur Baptismus 1. physice, sic. Ablutio exterior corporis sub forma præscripta verborum. 2. Metaphysice sic. Sacramentum novæ legis institutum à Christo causativum gratiæ regenerativæ. In prima definitione ostenditur, abluitionem debere esse in corpore, vel in eius parte principali, ut capite, scapulis: & simul cū abluitione debere proferri verba quæ sunt determinata ad formam huius Sacramenti. In secunda, gratiam Baptismi regenerare hominem ad vitam spiritualem, præsupposita nativitate naturali per generationem naturalem.

In hoc Sacramento, Sacramentum tantum, est materia, & forma, nempe ablutio externa, & verba quæ tunc dicuntur à ministro.

3. p. q. 66.  
a. 1.

**D** Thom. Res autem & Sacramentum est character baptismalis qui est res significata per exteriorem ablu- tionem : & est signum sacramentale interioris justifica- tionis ( per gratiam ) quæ est res tantum huius Sacra- menti.

## QUAESTIO XII.

*De institutione huius Sacramenti.*

3. p. q. 66.  
sup. a. 2.

**C**Aiet. Institutio baptismi potest intelligi quo ad duo, vel quoad ipsum Sacramentum, vel quo ad obligationem accipiendi ipsum Sacramentum. Quo ad 1. Baptismus institutus est, quando Christus est bapti- zatus, quia tunc habuit vim regenerativam.

ser. de Eph.

Aug. Ex quo Christus in aqua mergitur ( nempe in Jordane, quando fuit baptizatus à Joanne Baptista ) ex eo omnium peccata abluit aqua.

eo. 1. fr. 5.  
diffi. 2.

Villalo. Nec obstat id quod postea dixit Christus Math. ult. Baptizantes eos in nomine Patris &c. ex quo videtur formam baptismi non fuisse tunc institutam, sed postea. Nam etiam forma fuit instituta tunc, licet id non expresse appareat in scriptura.

ibid.

Caiet. Quo ad 2. Baptismus fuit institutus quo ad necessitatem utendi illo post Christi passionem, & re- surrectionem.

Franc. Tunc enim fuit indictum, & impositum præceptum hominibus de suscipiendo baptismo quan- do Christus dixit Apostolis euntes docete omnes gen- tes, baptizantes eos. in nomi &c.



## QVÆSTIO XIII.

*Num aqua sit propria materia Baptismi.*

**M**ag. Montes. Duplex est materia baptismi, proxima nempe, & remota: ista est aqua, illa, ablutio. Aqua debet esse elementaris: vnde aqua extracta ab herbis, floribus, radicibus, &c. non potest esse materia baptismi.

v. baptism.  
u. 15.

Franc. Ratio est. Nam Christus dixit Joan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei. Ergo aqua quæ veræ habet speciem aquæ est materia instituta à Christo ad baptismum. Vt aqua naturalis fluminum, fontium, puteorum, maris, vel elementaris, vt aqua pluvialis: & huiusmodi aquæ sunt materia certa huius Sacramenti. Materia vero dubia, vt aqua lixivij, decoctionis carniū, & etiam gutta vna aquæ naturalis. Et in casu necessitatis tenemur vti ad baptismum, aqua dubia, sub conditione tamen, nempe. Si hæc est vera materia, ego te baptizo &c. Si autem sic baptizatus supervixerit, & evaserit periculum, iterum sub conditione est baptizandus sic. Si non est baptizatus, Ego te baptizo.

## QUAESTIO XIV.

*De Forma huius Sacramenti.*

**F**ranc. Forma huius Sacramenti secundum ritum Ecclesiæ Latinæ est hæc. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. Illæ particulae, Ego, & Amen, sunt necessariae necessitate præ-

cepti Ecclesiæ: unde qui eas ommitteret, conficeret Sacramentum, peccaret tamen mortaliter. Reliquæ particule sunt de necessitate Sacramenti.

Quod attinet ad hæc verba in idiomate latino proferenda sunt in baptismo: quando vero ignorantes latinum idioma ea proferunt vernaculis vocibus in casu necessitatis, ut obstetrices, non peccant. Curam autem animarum habentes edoceant obstetrices formam baptismi ad casus necessitatis.

In Enchyr.  
c. 22. n. 6.

Mart. Nav. Peccat enim mortaliter quæ obstetricis officio fungens, debitam baptizandi formam ignorat.

Franc. Est autem Hic commune, & tritum dubium. Num varietur substantialiter forma baptismi, si dicatur. Ego te baptizo in nomine Genitoris, & Geniti, & procedentis ab utroque. Vel, in nomine SS. Trinitatis. Vel, in nomine Christi? Et respondeo in prima forma variationem non esse substantialem. Quia tamen Christus non his verbis, sed Patris, & Filij & Spiritus Sancti, iussit conferri baptismum, periculosum esset utrius alijs verbis. Bene vero in 2. & 3. Non enim in his sic expresse, sufficiens, & plena invocatio divinarum personarum.

3 p. 7. 66.  
a. 6. ad 1.

D. Thom. Ex speciali tamen revelatione Christi, Apostoli in primitiva Ecclesia, in nomine Christi baptizabant: ut nomen Christi (quod erat odiosum Judæis, & Gentilibus) honorabile redderetur per hoc, quod ad eius invocationem Spiritus Sanctus dabatur in baptismo.

Franc. Nec etiam erit sufficiens forma baptismi, si quis diceret Ego te Baptizo in sapientia, vel omnipotentia Patris &c. Et non, in nomine Patris &c. Nam illa vox (in nomine) plus significat quam sapientia, vel omnipotentia, aut aliquod aliud attributū Dei. Mec

Nec iterum valet hæc forma. Ego me baptizo: nam ly me, non est idem quod, te, & sic substantialiter variaretur forma, & consequenter nullus se ipsum potest baptizare.

## QUÆSTIO XV.

*Num convenienter describantur tria baptismata?*

**A**ugustin. Baptismi vicem aliquando implere passionem, de latrone illo, cui non baptizato dictum est, hodie mecum eris in paradiso Beatus Cyprianus non leue documentum assumit: quod etiam, atque etiam considerans, inuenio non tantum passionem pro nomine Christi, id quod baptismo decrat, posse suplere: sed etiam fidem, confessionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium baptismi, in angustijs temporum succurri non potest.

*l. 4. de unico  
baptismo.  
paruum foris.*

Franc. Ex quibus convenienter apparet triplex baptismus 1. Aquæ abluentis. Secundus passionis & Martyrij pro nomine Christi, qui dicitur baptismus sanguinis. Et 3. Baptismus flaminis, seu ardoris quo quis per Spiritum sanctum movetur ad credendum, & diligendum Deum, & pœnitendum de peccatis cum cordis contritione perfecta. Et ex his baptismatibus, solum baptismus aquæ est Sacramentum, & imprimi characterem: reliqua vero duo dicuntur baptismata, quantum ad effectum & rem baptismi aquæ. Nam Deus, qui potest dare rem Sacramenti sine Sacramento, ut pote non dependens ab eo, habentibus votum & desiderium baptismi & patientibus martyrum, vel dolentibus contritione perfecta de suis peccatis, infundit gratiam baptismalem sine Sacramento baptismi.

Et hinc apparet baptismum flaminis, solum adultis

competere hi enim soli possunt conteri de proprio peccato: alij duo sunt communes etiam parvulis: & quidem de baptismo aquæ constat parvulis exhiberi.

l. 2. c. 22.  
n. 2.

Tolet. Vnde si parvuli occidantur ab aliquo in odiû Christianorum, quia filij Christianorum sunt, licet aqua non sint baptizati salvantur. Et rursus cû mulier prægnans subit martyrium, & infans in vtero salvatur, & fit martyr.

## QVÆSTIO XVI.

### *De Ministro Sacramenti Baptismi.*

3. p. 9. 67. 4  
1. ad 3.

4. 2. 4.

**D.** Thom. Quia baptismus est Sacramentum necessitatis, permittitur Diaconibus necessitate urgente in absentia maiorum ( Presbyteri, scilicet & Episcopi ) baptizare. Et hoc modo B. Laurentius Diaconus existens: plures baptizavit. Et ita ad proprium officium Sacerdotis pertinet baptizare, etiam præsentente Episcopo.

Franc. Solemniter baptizare est proprie attinens ad Parochum: de cuius commissione quilibet alius Sacerdos etiam regularis poterit baptizare solemniter. In necessitate etiam Parochus est prior ad baptizandum: deinde Sacerdos. 3. Diaconus. 4. Subdiaconus. 5. Clericus minorum Ordinum. 6. homo ordinibus non initiatus. 7. Femina. Si vero vir ignoret formam baptismi, & fæmina sciat eam, tunc fæmina præfertur viro.

Vnde si quis inferior baptizaret invertens hunc ordinem peccaret mortaliter: & etiam Sacerdos qui in præsentia Parochi baptizaret contra Parochi voluntatem, vel sine Parochi commissione.

Rogabis, Num non baptizatus possit esse minister huius Sacramenti in casu necessitatis: Resp. affirmative. Et patet ex Isidoro dicente. Romanus Pontifex non



hominem iudicat qui baptizat, sed Spiritum Dei subministrare gratiam baptismi, licet Paganus sit qui baptizat.

D. Thom. Et ideo etiam non baptizatus in articulo necessitatis baptizare potest: ut si duo non baptizati se invicem baptizent dum prius unus baptizaret alium, & postea baptizaretur ab eodem, & consequenter uterque non solum Sacramentum, sed etiam rem Sacramenti consequeretur.

vbi. sup.  
4. 7.

Franc. Num autem plures possint baptizare simul unum! est explicandum. Et dico quod si duo contentiose concurrerent ad baptizandum qui prius perficeret Sacramentum, baptizaret, alius vero iam non baptizaret quamvis diceret formam, & aqua ablueret: nam per primum iam erat baptizatus. Si vero uterque simul verba pronuntiaret, & ablueret simul, uterque quantum est in se baptizaret, & tunc Christus qui interius baptizat, unum sacramentum per utrumque conferret. Huiusmodi autem baptizatores essent puniendi de inordinato modo baptizandi.

Si autem duo concurrerent ad baptizandum, unus verba proferens & alius aquam infundens, tunc non esset baptismus, quia non verificaretur forma verborum ut per se patet.

## QUAESTIO XVII.

### De suscipientibus Baptismum.

Tolet. Post Evangelij promulgationem per Apostolos factam, praecipuum divinum generale est omnes ad baptismum suscipiendum obligans: sine quo in re, vel in voto suscepto nullus de lege ordinaria salvatur

l. 2. c. 21.


juxta illud Joān. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.

Franc. Etiam si qui essent sanctificati in utero tenentur sub hoc præcepto recipere Sacramentum baptismi ad habendum characterem & se conformandū Christo in passione: nam per baptismum quis configuratur passioni Christi in quantum moritur vitijs. Isti autem si ante susceptum baptismum obirent, salvarentur ratione gratiæ sanctificantis: & quando baptizarentur, baptismus eis non conferret primam gratiam, nam hanc jam habebant, sed augmentum gratiæ.

Suscipientes autem hoc Sacramentum si sint adulti, debent prius instructi esse in doctrina fidei, & probari: si autem immineat periculum mortis, persecutionis, naufragij, infirmitatis, possunt statim baptizari, & postea si evaserint periculum, instrui in Doctrina Christiana. Parvulis autem non differtur baptismus, sed post natiuitatem, statim baptizantur intra vnum, duos vel octo dies.

M. Montes. Et horum intentionem suplent parentes quibus cura, & custodia commissa est filiorum antequā perveniant ad rationis usum.

Franc. Rursus. Adulti accedentes ad baptismum, debent abrenuntiare diabolo, & dolere de peccatis commissis, non tamen ea confiteri sacramentaliter, cum ante baptismum, nullum possit suscipi sacramentum. Requiritur etiam ex parte adultorum intentio ad suscipiendum baptismum. Requiritur etiam recta fides, alias non suscipient rem baptismi.



## QUAESTIO XVIII.

*Num Pueri infidelium invitis parentibus possint  
baptizari?*

**C**Aiet. Hic occurrit duplex dubium. 1. De pue- <sup>2. 2 q. 10.</sup>  
ris infidelium vniversaliter. 2. De pueris aliquo <sup>sup. 6. 12.</sup>  
rum infidelium, scilicet Judæorum, & seruorum. Scho-  
tus siquidem in 4. dist. 4. q. vlt. tenet, quod Princeps  
benefaceret, si pueros infidelium invitis parentibus  
baptizaret, adhibita cautela, ne sequerentur homicidia,  
& quod nutrentur religiose. Durandus verò ibid. q.  
3. 2. 1. asserit quod infidelium seruorum filij (idem dic  
de Judæis qui sunt seruituti addicti, vt pat. Extra. de  
Judæis cap. Et si Judæos) possunt licite invitis paren-  
tibus baptizari, auferendo eos à Parentum cura.

M. Montes. Quod attinet ad filios infidelium qui sunt  
Christianorum serui, possunt illi invitis parentibus bap- <sup>v. Baptis</sup>  
tizari: Potest enim Dominus baptizare eos, & tollere <sup>n. 11. 12.</sup>  
ab educatione, & societate parentum infidelium, ne  
fiant Apostatae cum pervenerint ad maiorem ætatem.  
Nec hoc est contra iustitiam: Dominus namque habens  
potestatem gubernandi seruum, non facit seruo iniuriã,  
in baptizando eius filium, licet invito patre. Nec est  
contra reverentiam baptismi: potest enim providere,  
ne Pater fallat filium cum pervenerit ad vium rationis,  
vendendo Patrem, vel Filium, vel aliter. Qui autem in  
particulari non posset sufficienter obviare, seu vitare hæc  
pericula, nullatenus debet baptizare puerum contra vo-  
luntatem Patris eius.

Franc. Nihilominus dicendum est nullo modo licere  
baptizare filios quoruncunque infidelium invitis eorum

parentibus. Ratio est quia nulli facienda est iniuria: fieret autem, si infidelium filij eis invitis baptizarentur: nam amitterent ius patriæ potestatis.

3. p. q. 68.  
4. 10.

D. Thom. Diceadum est igitur quod pueri infidelium filij, si habent vsum rationis, jam quantum ad ea quæ sunt juris naturalis, vel divini incipiunt esse suæ potestatis. Et ideo propria voluntate invitis parentibus possunt baptismum suscipere, sicut & matrimonium contrahere: & tales licite moneri possunt, & induci ad suscipiendum baptismum. Si vero non dū habent vsum liberi arbitrij, secundum jus naturale sunt sub cura Parentum: vnde contra justitiam naturalem esset baptizare eos invitis parentibus.

Franc. Deinde ex opposita sententia sequuntur duo inconvenientiæ. 1. Periculū fidei, parvuli enim quamvis substracti à Parentum cura, & societate, cum fuerint adulti, videntes parentes suos extra fidem Christianam, naturalis amor invicabit ad eorum perversitatem, & vetita conuersatio sollicitabit. 2. Infamia fidei, quasi non sit à Deo, qui corda hominum regit, vt compellere vellit Ecclesia hoc modo ad fidem: cum tamen oporteat sanctos, ab his, qui foris sunt, testimonium habere.

Vnde Ecclesia nunquam vsum habuit ad huiusmodi baptismata: cum tamen Catholici, & Potentissimi Principes fuerint familiaris sanctissimis Episcopis, vt Constantinus Silvestro, & Theodosius Ambrosio, qui non prætermisissent id ab eis impetrare, si esset rationi consonum.

Parvulis enim ante vsum rationis, non possunt sibi providere, & de jure naturali sunt sub cura Parentum: vnde & de pueris antiquorum dicitur quod salvabantur in fide Parentum. Et ideo huiusmodi pueri non possunt invitis parentibus baptizari. Secus pueri qui sunt

extra curam Parentum, vt in bellis capti, & in terras remotissimas adducti, qui nec norunt Patres, nec isti eos: reputantur enim hi destituti, & orphani atque proderelictis habiti.

Et per hæc patet solutio ad rationes Magistri Montes: nam in huiusmodi baptizatiōe fit contra iustitiam naturalem: & sequuntur inconuenientia dicta, vel vnam, vel aliud, vel vtrumque: vt consideranti liquebit.

Nihilominus arguit subtilis D. Schotus. Deus habet jus dominij supra puerum magis quam Parentes. Ergo vinculum potestatis paternæ non obligat in his quæ sunt contra præceptū Dei. Confirmatur. Princeps debet cogere seruum plurium dominorum subordinatorum ad seruitium superioris, si inferior velit vti eo contra superiorem. Ergo multo melius poterit contra parentum voluntatem baptizare infidelium filios, inuitis parentibus, auferendo parvulos ab eis, & baptizando, atque educando Christiane in seruitio Domini Dei.

vbi sup.

Duranus autem arguit sic. De filijs seruorum potest Dominus facere quod vult: ac per hoc potest eos vendere, & donare prope, & longe: ac per hoc auferre à cura Parentum, & tunc poterunt baptizari.

vbi sup.

Resp. Ad Argum. Schoti quod etiam infidelis adultus magis est Dei quam sui ipsius: & tamen inuitus non potest baptizari. Ergo nec puer nolentibus Parentibus quorum voluntas se habet vt voluntas pueri quandiu est sine vsu rationis sub cura parentum.

Ad Confirm. dico, Principem posse facere id quod ibi dicitur, seruato ordine iustitiæ: statuit autem Deus ordinem naturæ, & fidei, vt voluntarie, & non inuite saluentur qui saluari sunt per gratiam Dei. Et ideo non stante voluntate Parentum per quam puer ante vsum rationis regitur, non potest baptizari.

Inconvēnientia autem, quæ sequuntur ex ablatione filiorum à Parentibus supra adducta, etiam militant contra hanc rationem Schoti. Et per hæc patet argumento Durandi. Potest nanque Dominus vendere, donare &c. filios servorum infidelium, non autem baptizare. Nam illa sunt de jure civili, quod non nocet juri naturali.

Si autem replicetur adhuc. 1. In periculo mortis temporalis subveniendum est puero, etiam invitis parentibus. Ergo potius in periculo mortis æternæ, in quo periculo est puer filius infidelium, nisi ab eis subtractus, baptizetur. 2. Invitis parentibus potest eorum filijs prædicari Evangelium. Ergo & conferri baptismus. 3. Vinculum matrimoniale non potest per hominem solvi sicut illud Math. 19. Quod Deus coniunxit, homo non separet. Et tamen interveniente infidelitate solvitur, quando coniux infidelis non vult sine contumelia Creatoris cum altero stare. Ergo pariter propter infidelitatem perditur ius patriæ potestatis in filios: cum alias etiam solvatur per hominem, uti contingit in emancipatione. Ergo infidelium filij possunt Parentibus invitis baptizari.

Resp. Ad 1. Non licere in periculo mortis corporalis subvenire contra ordinem juris civilis, violenter nempe eripiendo à morte eum qui iuste damnatus est. Et similiter contra justitiam naturalem nullus est baptizandus, & erluendus ab æterna morte. Ad 2. Quod Prædicatio fit habentibus usum rationis, quibus, invitis parentibus potest prædicari: & etiam conferri baptismus, si velint baptizari. Ad 3. Quod uterque coniux habet usum liberi arbitrij, & uterque potest invito altero fidei assentire: sed hoc non habet locum in puero ante usum rationis: unde est dispar ratio.

## QUAESTIO XIX.

*Num pueri in maternis uteris positi, sint Baptizandi?*

**F**RANC. Nemo renascitur ( inquit Aug. ) nisi primo nascatur. Cum igitur baptismus sit regeneratio, non poterunt pueri in maternis uteris baptizari, sed post egressionem ab utero per nativitatem naturalem, quæ est prima generatio.

*In epi. ad Dardan.*

Rituale Romanum. Sed si infans caput emiserit, & periculum mortis immincat, baptizetur in capite, nec postea si vivus evaserit, erit iterum baptizandus. At si aliud membrum emiserit, quod vitalem indicet motum, in illo si periculum impendat baptizetur, & tunc si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus sic. Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patr. &c. Si vero ita baptizatus, mortuus prodierit ex utero, debet in loco sacro sepeliri.

*in ti. de bag*

FRANC. Mortua vero matre, vivente prole in utero extrahatur puer aperta matre, ut baptizetur: mater autem vivens nunquam est aperienda quamvis periclitetur puer: non enim facienda sunt mala ut veniant bona. Puer autem mortuus egrediens ex matre mortua, non sepelitur in loco sacro.

## QUAESTIO XX.

*Num furiosi, & amentes debeant baptizari?*

**F**RANC. Amentes, & furiosi à nativitate absque nullo unquam usu rationis sunt sicut parvuli, unde sunt baptizandi. Si vero ex sana mente ruerunt in amentiam,

etiam conferendus est eis baptismus in furia, & amentia constitutis, quumvis tunc renstantur, si tamen petierint baptismum cum essent sanæ mentis, secus, si non petierint.

*3. p. 9. 68.*  
*4. 12.*  
D. Thom. Quidam vero sunt qui licet à nativitate fuerint furiosi, vel amentes, habent tamen aliqua lucida intervalla, in quibus recta ratione uti possunt. Unde si tunc baptizari voluerint, baptizari possunt etiam in amentia constituti, & debent si periculum timeatur: alio qui melius est ut tempus expectetur in quo sint sanæ mentis, ut devote suscipiant Sacramentum. Si autem tempore lucidi intervalli non appareat in eis voluntas suscipiendi baptismum, baptizari non debent in amentia constituti.

## QVÆSTIO XXI.

*De nonnullis alijs quibus conferendus, vel negandus est baptismus.*

*3. p. 9. 68.*  
*sup. 4. 4.*  
CAict. Existentibus cum voluntate peccandi venialiter, potest baptismus dari monendo ipsos, quod nisi voluntatem mutant, gratiam quidem filiorum Dei recipient, sed non secundum plenitudinem baptismalē, & suo deinde arbitrio relinquere, ut ipsi viderint.

Franc. Existentibus vero in peccato mortali negandus est baptismus, quando constat de voluntate eorum persistendi in peccato: secus est de his qui dant signa recedendi à peccatis. Isti enim accedunt intentione mundandi se à peccatis: illi vero indigne.

*n. Bap. n. 8*  
M. Montes. Infantes expositi ad jævas Ecclesiæ sine schedulis de eorum baptismo, cum advertitur esse recentiter natos, sub conditione baptizandi sunt. Imo im



Villalob. etiam, quando apparientiam habent ætatis mensis vnus. Si vero habeant schedulam baptismi: adhuc docet Marchancius tra. 2. de bap. c. 2. q. 2. debere baptizari sub conditione, ne forte schedula incerta sit: & muliercula baptizaverit puerum inter tenebras, & curas, commisso aliquo errore in essentialibus baptismi. Oppositum tamen tenendum est cum Ochagavia de bap. q. 11. n. 8. nam vbi adest baptismi schedula, naturaliter certum est infantem esse baptizatum, nisi inveniatur in campo, & dubitetur num sit fidelium, an infidelium filius, quia schedula tunc suspicionem generaret.

Franc. De dormientibus dicendum non esse baptizandos nisi periculum immineat, & prius petierint baptismum, quo pacto baptizatus est nesciens, amicus S. Augustini vt ipse narrat 4. Confessionum.

Tandem circa Monstra, magna diligentia adhibenda est, & per tempus si licuerit, & opus fuerit, consulatur Ordinarius loci, antequam baptizetur. Si autem periculum immineat, consulantur viri periti qui adsunt.

Rituale Roman. Monstrum quod humanam speciem non præferat, baptizari non debet: de quo si dubium fuerit baptizetur sub hac conditione. Si tu es homo, ego te baptizo &c. Illud vero de quo dubium est vna ne, aut plures sint personæ, non baptizetur donec id discernatur. Discerni autem potest si habeat vnum, vel plura capita, unum vel plura pectora: tunc enim totidem erunt corda, & animæ, hominesque distincti, & in eo casu singuli seorsum sunt baptizandi, vnique dicendo. Ego te baptizo &c.

Si vero periculum mortis immineat, tempus que non suppetat, vt singuli separatim baptizentur, potest mi-

nister singulorum capitibus aquam infundens, omnes simul baptizare, dicendo. Ego vos baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Quam tamen formam in his solum, & in alijs similibus mortis periculis ad plures simul baptizandos, & vbi tempus non paritur, vt singuli separatim baptizentur, alias nunquam licet adhibere.

Quando vero non est certum in monstro esse duas personas, vel quia duo capita, & duo pectora non habet bene distincta: tunc debet primum vnus absolute baptizari, & postea alter sub conditione, hoc modo. Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

## QUAESTIO XXII.

### *De modo Baptizandi.*

*Ibid.*

**R**ituale Rom. Baptismus licet fieri possit aut per infusionem aquae aut per immersionem, aut per aspersionem; primus tamen vel secundus modus qui magis sunt in vso, pro Ecclesiarum consuetudine retineantur: ita vt trina ablutione caput baptizandi perfundatur, vel immergatur in modum Crucis, vno, & eodem tempore quo verba proferuntur, & idem sit aquam adhibens, & verba pronuntians.

Franc. In casu autem necessitatis licite potest baptizari infans fune ligatus in puteum immersus, licet facilius sit pannum, vel linteolum funi ligatum immergere, & ex eo per expressionem extrahere sufficientem aquam ad baptizandum. Nunquam autem licet puerum in puteum projicere ad baptizandum, nec ponere eum infra imbricem vt abluatur aquis ex ea cadentibus. In his

enim casibus non esset idem aquam adhibens, & verba pronuntians. Et quidem primus casus illicitus est, ut per se patet. Secundus est facilior, humanior, & possibilior si quis manu acciperet aquam cadentem ex imbrice & baptizaret: alias, imbrex ablueret, & homo proferret formam, unde non fieret baptismus.

In casu etiam urgentis necessitatis si fieret aspersio ad baptizandos plures, non reciperent baptismum qui non aspergerentur, vel indivisibili gutta insufficienti ad abluendum aspergerentur: nam baptismus ex Christi institutione essentialiter est ablutio. Licet tempore Apostolorum ex Christi dispensatione manerent baptizati illi super quos una gutta aquæ cadebat: tunc enim pauci erant ministri, & multi baptizandi.

Denique, qui in casu necessitatis sine solemnitate baptizatus est, si evaserit periculum, sistet, ut in eo suppleantur solemnitates Ecclesiæ, omissa forma, & ablutione.

## QVÆSTIO XXIII.

### De Patrinis.

**F**RANC. Patrinus secundum decr. Con. Trid. ad baptismum, unus tantum sive vir, sive mulier, vel ad suum unus, & una adhiberi possunt: & isti non debent esse ipsius baptizandi parentes. Patrinos autem saltem in ætate pubertatis, ac sacramento confirmationis confirmatos convenit esse.

Tole. Patrini non debent esse monachi, nec religiosi. Et tenentur baptizatum circa fidem, & mores instruere: nec est tanta obligatio nunc, cum Parentes sunt Christiani, sicut quando sic non solebat esse: esset autem modo si non essent tales parentes: vel esset defectus, aut negligentia in eis. l. 2. c. 23. n. 4.


Franc. Sanctimonialia quoque excluduntur ab officio Patrini. Item publice excommunicati, aut interdicti, publice infames, & qui ignorant rudimenta fidei.

Tandem Patrini contrahunt spirituales cognationem cum baptizato, & etiam cum huius parentibus, imo & baptizans ut videre est infra q. 157. Pater vero, aut mater baptizati hunc baptizantes in casu, & articulo mortis, quando alius non est qui baptizet (non enim possunt in alio casu baptizare) nihil contrahunt impediens matrimonij usum.

## QVAESTIO XXIV.

### *De effectibus Baptismi.*

**F**RANC. Ultra gratiam sanctificantem, & characterem habet baptismus pro effectu, liberare hominem ab omni reatu peccati, & consequenter apertionem januae regni caelestis, & plures alios, ut videre est apud D. Th. 3. p. q. 69.



## DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

### QUAESTIO XXV.

#### *Quid sit Confirmatio?*

**F**RANC. Confirmatio physice definitur sic. Signatio Christiani facta in fronte cum Chrismate ab Episcopo sub forma praescripta verborum. Metaphysice vero sic. Sacramentum institutum à Christo causati-

vum gratiæ corroborativæ. In prima definitione ostenditur debere esse baptizatum, seu Christianum eum qui accedit ad susceptionem Sacramenti Confirmationis. Nam ante baptismi susceptionem nullum potest suscipi Sacramentum.

In secunda definitione ostenditur Confirmationem esse Sacramentum novæ legis & causare gratiam corroborantem quæ est gratia specialis & propria Confirmationis perficiens Christianum in vita spirituali jam natū per baptismum.

D. Thom. Sicut enim præter motum generationis quo aliquis accipit vitam corporalem, est motus augmenti quo aliquis perducitur ad perfectam ætatem. Sic etiam vitam spiritualem homo accipit per baptismum qui est spiritualis regeneratio. In Confirmatione autem accipit quasi quandam perfectam ætatem spiritualis vitæ. Unde Melchiades Papa dicit. Spiritus Sanctus qui super aquas baptismi salutifero descendit laplu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam: in baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam, in baptismo abluimur, post baptismum roboramur.

Franc. In hoc Sacramento, Sacramentum tantum est materia, & forma sensibilis, scilicet signatio in fronte cum chrismate, & verba quæ dicuntur in tali signatione. Res autem & Sacramentum est character qui in confirmatione imprimitur animæ, & Res tantum est gratia roborans animam.



## QUAESTIO XXVI.

*De institutione Confirmationis.**rbi. nup.  
ad 1.*

**D.** Thom. Christus instituit hoc Sacramentum non exhibendo sed promittendo scilicet illud Joan. 16. Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. Et hoc ideo quia in hoc Sacramento datur plenitudo Spiritus Sancti, quae non erat danda ante Christi resurrectionem, & ascensionem: scilicet illud Joan. 7. Non dum erat Spiritus datus, quia Jesus non dum erat glorificatus.

## QUAESTIO XXVII.

*Num. Chrisma sit propria materia huius Sacramenti?**rbi nup.  
4. 2.*

**F**ranc. Respondeo affirmatione. Vnde D. Diony. c. 4. Eccle. hierarc. Est quaedam, inquit, perfecta operatio quam duces nostri (idest Apostoli) Chrysmatis hostiam nominant.

D. Thom. Et quidem Chryisma est conveniens materia huius Sacramenti in quo datur plenitudo Spiritus Sancti ad robur spirituale quod competit perfectae aetatis. Nam homo cum ad perfectam aetatem pervenerit incipit iam communicare actiones suas ad alios, antea vero quasi singulariter sibi ipsi vivit.

Gratia vero Spiritus Sancti in oleo designatur: vnde Christus de unctus oleo laetitiae propter plenitudinem Spiritus Sancti quam habuit. Et ideo oleum competit materiae huius Sacramenti. Admiscetur autem balsamum propter fragrantiam odoris quae redundat ad alios. Et licet

cet

cet multa alia sint odorifera, tamen præcipue accipitur balsamum, & quia habet præcipuum odorem, & quia etiam incorruptionem præstat.

Franc. Chrisma igitur est compositum ex oleo, & balsamo. Oleum autem debet esse olivarum, alias si conficiatur Chrisma, vel mixtio ex balsamo & oleo v. g. nucibus extracto, non erit materia Confirmationis.

Leand. à SS. Sac. Est etiam necessarium necessitate 10. l. tra. 3<sup>a</sup> Sacramenti quod Chrisma sit consecratum. Nam mate disp. 23. q. 4<sup>a</sup> ria Sacramentorum qua Christus non est usus, necessario consecranda est antequam ad usum Sacramenti applicetur. At materia confirmationis non est usus. Ergo necessaria est prævia consecratio eius.

Hæc autem consecratio seu benedictio consecrativa q. 5. Chrismatis nequit fieri à simplici Sacerdote, sed ab Episcopis, quibus solis jure divino data est hæc potestas ut constat ex multis Concilijs præcipue ex Florentino sub Eugen. 4. ubi definiente materiã Confirmationis, ait. Esse Chrisma ex oleo, & balsamo per Episcopum, benedictum.

Caict. Advertendum tamen hic vnum scilicet quod 3. p. q. 72. Chrisma compositum scilicet ex oleo, & balsamo non sup. 2. l. ita est materia Confirmationis, sicut aqua est materia 2. baptismi, quia sine balsamo confirmatio tradita valet, sine aqua autem baptismus non valet.

Et de hoc extat textus clarus de Sacramentis non reiterandis ca. Pastoralis. Vbi quæritur si Confirmationis Sacramentum in eo debeat reiterari qui per errorem fuit non Chrismate, sed oleo delinitus? & responderetur quod non est aliquid iterandum, sed caute suplegendum quod incaute fuerat prætermisum. Ex hoc enim apparet sacramentum Confirmationis quoad substantialia fuisse completum sine balsamo: fuisset siquidem alioquin

reiterandum sine balsamo collatum. Vnde intelligimus mixtum ex oleo, & balsamo (quod Chrisma consuevimus vocare) esse regularem materiam Confirmationis de necessitate præcepti, & non de necessitate Sacramenti.

Franc. Probabilis tamen est Chrisma esse de necessitate Sacramenti. Nam Apostoli edocti à Christo institutore Sacramentorum novæ legis, communiter chrismate utebantur in exhibitione Confirmationis vt patet ex Diony. supra. Quia tamen probabilis est opinio Caietani, si aliquando in necessitate, & angustijs temporum vel per errorem aliquis fuerit confirmatus simplici oleo, debet non absolute, sed sub conditione reiterari confirmatio.

## QUÆSTIO XXVIII.

*De forma huius Sacramenti, eiusque Ministro.*

Franc. Forma huius Sacramenti est. Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. Quæ forma habetur in Concil. Florentino sub Eugen. 4. Et in ea explicatur causa conferens plenitudinem roboris spiritualis: ibi. In nomine Patris &c. Et robur spirituale, & interna sanctificatio quæ significantur per ly Confirmo te Chrismate salutis, idest sanctificationis. Et signatio externa ad pugnam exteriorem, ibi. Signo te signo Crucis in qua scilicet Chæistus triumphavit: nam milites consueverunt insigniri ducum signis: & pariter Christiani in Confirmatione consignantur exterius quasi vexillo crucis ad pugnam spiritualem.

Quod autem in hac forma non exprimat persona



ministri per ly Ego: hoc ideo est quia persona conferens confirmationis Sacramentum est minister excellens, nempe Episcopus: is enim solus est ordinarius minister Confirmationis. Nam Episcopi succedunt Apostolis qui in primitiva Ecclesia conferebant hoc Sacramentum. Licet summus Pontifex Gregorius concesserit scribens Januario Episcopo, presbiteros conferre hoc Sacramentum ubi Episcopi defunt.

D. Thom. Nam Papa habet plenitudinem potestatis ex qua potest quaedam quae sunt superiorum ordinum committere quibusdam inferioribus, sicut quibusdam presbyteris concedit conferre minores ordines: quod pertinet ad potestatem episcopalem. Et ex hac plenitudine potestatis concessit B. Gregorius Papa quod simplices Sacerdotes hoc Sacramentum conferrent, quando diu scandalum tolleretur.

*vbi. sup.  
a. 11. ad 1.*

## QVAESTIO XXIX.

*Num hoc Sacramentum imprimat characterem?*

**F**RANC. Resp affirmative. Nam sicut baptismus est quaedam spiritualis generatio in vitam Christianam; ita etiam Confirmatio est quoddam spirituale augmentum promovens hominem in spiritualem aetatem perfectam. Manifestum est autem ex similitudine corporalis vitae quod alia est actio hominis statim nati, & alia actio quae competit ei cum ad perfectam aetatem pervenit.

Et ideo per Sacramentum confirmationis datur homini potestas spiritualis ad quasdam alias actiones sacras, praeter illas ad quas datur ei potestas in baptismo. Nam in baptismo accipit homo potestatem ad agendum

ea quæ ad propriam pertinent salutem: prout scilicet semetipsum vivit. Sed in confirmatione accipit homo potestatem ad agendum ea quæ pertinent ad pugnam spirituales contra hostes visibiles fidei. Confirmatorum enim qui sunt spiritualiter provecti, est contra inimicos & persecutores fidei pugnare nomen Christi publice confitendo.

Vnde in Confirmatione imprimitur character, signum nempe distinctivum non infidelium à fidelibus, sed spiritualiter perductorum ad virilem ætatem ab his quibus dicitur. Sicut modo geniti infantes, qui sunt baptizati.

*vbi sup. 4. 6* D. Thom. Character autem Confirmationis necessario præsupponit characterem baptismalem. Vnde non baptizatus nequit confirmari: sicut in naturalibus nullus potest in ætatem perfectam promoveri, nisi primo fuerit natus. Potest tamen Deus sine Sacramento Confirmationis conferre robur ad confitendum publice fidem & pariter ante susceptionem baptismi conferre rem baptismi & confirmationis cum voto baptismi & confirmationis.

## QUAESTIO XXX.

*Num omnibus sit exhibendum hoc Sacramentum?*

*In prompt. 2. 4. 3. 5. vnic. in fin* **S** Alazar. Hoc Sacramentum est de Consilio, proinde secluso scandalo, vel contemptu non peccat quis id non suscipiens. Est tamen de præcepto in duobus casibus. 1. Cum quis initiandus est Ordinibus. Præceptum namque Ecclesiæ est Ordinandos prius debere baptizari, & confirmari. 2. Cum quis profecturus est ad prædicandum infidelibus, disputandum que cum eis. In his casibus tenetur quis confirmari sub præcepto, & peccato mortali.

**Franc.** Regulariter tamen omnibus est exhibendum hoc sacramentum. Nam Act. 2. dicitur quod Spiritus sanctus replevit totam domum ( per quam significatur Ecclesia ) & postea subditur : quod repleti sunt omnes Spiritu Sancto. Sed ad illam plenitudinē consequendā hoc sacramentū datur. Ergo est omnibus qui sunt in Ecclesia exhibendum.

Vnde potest exhiberi Confirmatio viris, fæminis, senibus, iuvenibus, servis, pueris ante vel post vsum rationis, Amentibus etiam perpetuis, & etiam statim morituris.

**Leand. à SS. Sacr.** Omnes enim isti sunt capaces, & de consuetudine receptū est, Confirmare huiusmodi personas : & quamvis nonnullæ, ex his nunquam sint spiritualiter pugnaturæ, vt perpetuo amentes, & statim morituræ, hoc per accidens est. Idem que dicendum de Phreneticis, surdis, mutis, & huiusmodi. *to. 1. tra. 3. disp. 4. per tot.*

Requiritur tamen ex parte Adulti suscipientis hoc Sacramentum, quod habeat intentionem saltem virtua- 1. 7. lem vt in baptismo. Deinde quod sit in gratia, vel saltem vt bona fide putet, se esse contritum : hoc enim sufficit habenti conscientiam peccati mortalis.

**Franc.** Ex parte carentium vsum rationis requiritur etiā gratia suscepta in baptismo, quia tamen isti non sunt capaces intentionis, supplet Ecclesia horum intentionem.

Tandem Probabilissimum est hoc Sacramentum debere homini conferri in fronte tanquam in loco evidenti. Vnde si per possibile vel impossibile quis careret fronte, iuxta hanc sententiam non esset capax suscipiendi confirmationem. Cæterum probabilem iudico oppositam sententiam asserentem, Chrismatis vnctionem, & Crucis signationem in fronte non esse de necessitate

huius Sacramenti sed de necessitate præcepti Ecclesiæ. Et ideo carens fronte, saltem sub conditione poterit confirmari in parte magis idonea ad susceptionem huius Sacramenti.

## QUAESTIO XXXI.

*Num ille qui confirmatur indigeat Patrino?*

**F**RANC. Resp. indigere. Nam illi qui assumuntur ad pugnam indigent eruditoribus à quibus instruuntur de his quæ pertinent ad modum certaminis: unde sunt in exercitiis duces, & alij Directores, & instructores militum. Sic etiam in Confirmatione in qua quis insignitur ad pugnam spiritualem adest Patrinus tenens illū qui confirmatur ad erudiendum eum.

Is autem Patrinus (sive sit vir, sive fœmina, quæ Matrina nominatur) debet esse confirmatus, & regulariter alius à Patrino baptismi, quamvis non peccaret mortaliter si esset idem. Tandem. Contrahitur cognatio spiritualis in Confirmatione inter Tenentem seu Patrinū & Confirmatum, eiusque Parentes. Et inter Confirmantem & Confirmatum eiusque parentes. Ut constat ex Triden. sess. 24. de reform. matrimonij c. 2.

Leand. de SS. Sacr. Si autem Patrinus Confirmationis foret non confirmatus, is non contraheret, sibi probabiliorē sententiam, cognationem spiritualem: non enim haberet condiciones requisitas ab Ecclesia, ut verus, & legitimus susceptor sit. Est enim de necessitate præcepti Ecclesiæ quod Patrinus Confirmationis sit Confirmatus.

10. 1. tra. 3.  
disp. 5. q. 5.



## DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

## QUÆSTIO XXXII.

*Num Eucharistia sit Sacramentum?*

**C**onci. Tridentinum. Principio docet Sancta Synodus & aperte, ac simpliciter profitetur, in almo Sanctæ Eucharistiæ Sacramento post panis, & vini consecrationem, Dominum nostrum Jesum Christum verum Deum, atque hominem vere realiter ac substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium contineri. *sess 13 decr de Euchar. c. 1.*

Franc. Vnde apparet Eucharistiam esse Sacramentum. Tum, quia sic appellatur à Concilio. Tum quia est symbolum rei sacræ sanctificantis nos, & invisibilis gratiæ visibilis forma. Nam species sensibiles panis, & vini post consecrationem continent rem sacram nempe Christum Dominum qui sumptus sub his speciebus à nobis confert gratiam sanctificantem nos per quam nos facit membra sua.

Vnde communiter sic definitur definitione physica hoc Sacramentum. Species panis & vini consecratæ sub forma præscripta verborum. Metaphysice autem sic. Eucharistia est Sacramentum novæ legis causativum gratiæ cibativæ. Vnde species panis & vini, consecratæ & verba consecrationis sunt Sacramentum tantum. Corpus Christi verum contentum sub speciebus consecratis est res & Sacramentum. Et Corpus Christi mysticum quod componitur ex societate, & unione

sanctorum per gratiam Eucharisticam per quam uniantur Christo, & fiunt membra corporis Christi, est res tantum huius Sacramenti.

Hæc autem gratia mystice constituens homines membra corporis Christi, dicitur gratia cibativa, tanquam spirituale alimentum in vita spirituali. Sicut enim in vita corporali est nativitas, deinde augmentatio, & conservatio per alimenti sumptionem. Ita in vita spirituali (in qua ad subveniendum homini ordinantur Ecclesiæ Sacramenta) est baptismus qui est spiritualis generatio, & Confirmatio, spiritualis scilicet augmentatio, & Eucharistia, seu spirituale alimentum ratione gratiæ quæ causat, & spiritualium charismatum quibus abunde in hoc Sacramento mens impinguatur.

### QVÆSTIO XXXIII.

*Num hoc Sacramentum sit unum vel plura?*

3. p. 1. 73.  
4. 2.

**D.** Thom. Eucharistia est unum Sacramentum. Unum autem dicitur non solum quod est indivisibile, vel quod est continuum, sed etiam quod est perfectum, sicut dicitur una domus quamvis integretur ex multis partibus, quæ sunt necessariae ad inhabitandum. Nam unum in perfectione est id ad cuius integritatem concurrunt omnia quæ requiruntur ad finem eiusdem, sicut homo integratur ex omnibus membris necessarijs ad operationem animæ.

Et sic, hoc Sacramentum dicitur unum. Ordinatur enim ad spiritualem refectioem quæ corporali conformatur. Ad corporalem autem refectioem duo requiruntur, scilicet cibus qui est alimentum siccum, & potus qui est alimentum humidum. Et ideo etiam ad integritatem,

tegritatem huius sacramenti duo concurrunt, scilicet spiritualis cibus, & spiritualis potus, sicut illud Joan. 6. Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Ergo hoc sacramentum multa quidem est materialiter, sed vnum formaliter & perfectiue.

Franc. & quidem omne conuiuium perficitur ex cibo & potu alias esset imperfectum. Vnde etiam Eucharisticum conuiuium perficitur ex cibo & potu, & est vnum perfectiue, licet materialiter sit plura ut pote habens duas consecrationes aliam panis, & aliam vini. Vnde frequenter in orationibus, & collectis Ecclesie pluraliter dicitur, & eadem frequentia singulariter pronuntiatur & per hæc habetur quod panis, & vinum eorum que species sunt plura signa materialiter; formaliter autem representant vnum perfectum conuiuium.

## QUAESTIO XXXIV.

*Num Eucharistia sit de necessitate salutis?*

**F**RANC. Videtur quod sit de necessitate salutis. 1. Quia Joan 6. dicitur. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. 2. Nam Alimentum in corporalibus est necessarium ad salutem corporalem. Ergo etiam erit de necessitate salutis spiritualis, Eucharisticum spirituale alimentum.

Dicendum tamen est Eucharistiam esse necessariam in re, vel in voto. In re quidem, quando suscipi potest, & quis tenetur eam suscipere ut in articulo mortis, vel in Paschate semel in anno. In voto autem, quando quis non potest eam suscipere in re. Tunc enim ratione voti, & desiderij percipiendi hoc sacramentum percipit

quis rem huius sacramenti, unitatem scilicet corporis mystici Christi, & societatem Sanctorum sine qua non potest esse salus æterna.

*Vbi sup.  
n. 3.*

D. Thom. & quia per baptismum ordinatur homo ad Eucharistiam: ideo ex hoc ipso quod pueri baptizantur, ordinantur per Ecclesiam ad Eucharistiam: & sic sicut ex fide Ecclesiæ credunt, sic ex intentione Ecclesiæ desiderant Eucharistiam, & per consequens recipiunt rem ipsius.

*In exposi.  
ly ioan.  
6 Nisi mæ  
ducauer.  
etc.*

Angu. Nam Hunc cibum & potum, scilicet carnis suæ, & sanguinis, societatem vult intelligi corporis, & membrorum suorum quod est Eccl. I. si in prædestinatis, & vocatis, & iustificatis, & glorificatis sanctis, & fidelibus eius.

*In Epist.  
ad Boni.  
fac.*

Vnde nulli est aliquatenus ambigendum tunc vnum quenque fidelium corporis sanguinis que Domini participem fieri, quando in baptismo membrum corporis Christi efficitur: nec alienari ab illius panis calicis que consortio, etiam si antequam panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc sæculo in unitate corporis Christi constitutus abcedat.

Franc. & per hoc pater ad 1. Ad 2. dicendum alimentum corporale converti in substantiam aliti, vnde non potest valere ad salutem corporalem, nisi realiter sumatur. Alimentum autem spirituale convertit hominem in se ipsum. Potest autem aliquis in Christum mutari & ei incorporari voto mentis etiã sine huius sacramenti perceptione, & ideo non est simile.





## QUÆSTIO XXXV.

*De Institutione Eucharistiæ.*

**C**oncil. Tridentinum. Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem. sacramentū hoc instituit (in vltima scilicet Cœna) in qua diuitias diuini sui erga homines amoris velut effudit, memoriā faciens mirabilium suorum. & in illius sumptione colere nos sui memoriā præcepit, suam que annuntiare mortem, donec ipse ad iudicandum mundum veniat.

sess. 13. de euchar.  
c. 2.

Sumi autem voluit hoc sacramentū, tanquam spirituale animarū cibum quo alantur & confortentur viuentes vita illius qui dixit. Qui manducat me, & ipse viuet propter me: & tanquā antidotū quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præseruemur.

Pignus præterea id esse voluit futuræ nostræ gloriæ, & perpetuæ felicitatis, adeo que symbolū vnius illius corporis cuius ipse caput existit, cui que nos tanquā membra, arctissima fidei, spei & charitatis connexionē astrictos esse voluit, vt id ipsū omnes diceremus: nec essent in nobis schismata.

## QUÆSTIO XXXVI.

*De Materia Eucharistiæ.*

**F**ranc. Panis, & vinū sunt materia Eucharistiæ vt constat ex Math. 26. vbi Christus hoc sacramentū sub specie panis, & vini instituit. Panis autem debet esse frumenti, siue triticeus: nam sub nomine panis, com-

muniter, & indubitabiliter, panis triticeus intelligitur. Alij autem panes semper cū addito vocantur puta panis ordeaceus panis castaneaceus &c. Cum que in Euangelio absolute, & sine addito legatur quod Christus Dominus accepit panē & benedixit, ac fregit dedit que discipulis suis, & ait, accipite, & comedite. Hoc est corpus meum Satis constat panem frumenti esse materiā huius sacramenti.

Panis autem fit ex farina frumenti cum permixtione aquæ naturalis, & postea beneficio ignis & caloris evadit verus panis, connaturale que hominis alimentum. Unde admixtio aquæ ad farinā est de necessitate materiæ Eucharistiæ, ut pote constituens substantiam panis.

3. p. 9. 74.  
4. 7. ad 3.

D. Thom. & ideo si farinæ admisceretur aqua rosacea vel quicumque alius liquor, quā vera aqua non posset ex eo confici hoc sacramentum: quia non esset verus panis.

Franc. In pane autem triticeo si sit corruptus, non potest confici hoc sacramentū: bene vero in pane qui est in via & dispositione ad corruptionē. Ratio est quia in pane corrupto non adest species panis veri, bene vero in pane in quo est aliqua dispositio ad corruptionē: sed tamen qui conficit ex huiusmodi pane aliquo modo disposito ad corruptionē, peccat, propter irreuerentiā sacramenti.

Ulterius. Quia vix inuenitur farinā triticea quæ alterius grani per mixtionē non habeat nisi forte de electis tritici grani studiose fiat; ideo est consideranda permixtio quanta sit.

Ibid. 4. 3.  
ad 3.

D. Thom. Modica enim si est permixtio, non soluit speciem panis: quia id quod est modicum quoddammodo assumitur à plurimo. Ideo si sit modica admixtio

alterius grani ad multo maiorem quantitatem tritici poterit exinde confici panis qui est materia huius Sacramenti. Si vero sit magna permixtio (puta ex æquo, vel quasi) talis permixtio speciem mutat: unde panis exinde confectus, non erit debita materia huius Sacramenti.

Franc. Tandem circa panem ad Eucharistiam est advertendum, eum esse duplicem, alium fermentatum, & alium azymum. Et quidem necessitate Sacramenti in quocunque huiusmodi pane potest confici Eucharistia. At vero necessitate præcepti in Ecclesia latina debet confici in pane azymo: & in Græca Ecclesia pane fermentato. Et peccaret mortaliter (licet conficeret Sacramentum) Minister Latinus conficiens in fermentato pane, vel Græcus in azymo.

Ecclesia autem Latina utitur ad consecrationem panibus azymis, propterea quod Dominus sine vlla commixtione suscepit carnem. Græca autem Ecclesia utitur pane fermentato, pro eo quod Verbum Patris indutum est carne, sicut fermentum miscetur farinæ, ut dicit B. Gregorius in Registro.

Circa Vinum quod est altera materia huius Sacramenti, dicendum quod vinum vitis, quod absolute, & sine addito vocatur vinum, est materia Eucharistiæ. Sic enim instituit Christus qui dans calicem ad bibendum discipulis dixit Math. 26. Hic est sanguis meus &c. & deinde subdidit. Non bibam à modo de hoc genimine vitis. Unde vina mororum, malorum granatorum, & siquæ sunt alia non sunt, materia huius Sacramenti.

D. Thom. Et sicut de pane totaliter corrupto non potest confici hoc Sacramentum, ita nec de vino corrupto seu aceto per corruptionem. Potest tamen confici de vino acescenti, sicut & de pane qui est in via ad cor-

Ibid. a. 5.

ad 2.

ruptionem, licet peccet conficiens, ut prius dictum est.

ad. 31

De Agresta autem non potest confici hoc Sacramentum, nam est in via generationis ad vinum, & nondum habens speciem vini.

Mustum vero habet speciem vini, & de eo potest confici hoc Sacramentum. Non tamen debent vuae integræ huic Sacramento misceri: quia esset iam aliquid ibi præter vinum. Prohibetur tamen à Papa Julio ne mustum statim expressum de vua, in calicem offeratur: quia hoc est indicens propter impuritatem musti. Potest tamen in necessitate fieri. Dicitur enim ab eodem Julio Papa. Si necesse fuerit, botrus in calicem prematur.

Franc. V. g. Cum quis celebrans reperit loco vini, sibi dari liquorem qui non sit vinum, & non datur aliud vinum vllum nec reperitur ad manum, tunc poterit botrum premere in calicem, & cum tali musto celebrare & conficere Sacramentum.

Præterea. In vino extracto ex vuis non maturis, & in vino ex æquo, vel quasi, permixto cum aqua non potest fieri Sacramentum: nam huiusmodi vina non sunt vera.

Circa vinum vero congelatum est dubium num sit materia huius Sacramenti? Et relictis multis rationibus, & doctorum sententijs Respondeo 1. Quod est materia dubia. Nam ex una parte videtur quod sit vinum licet compressum & consolidatum, valens tamen liquefieri in vinum potabilem: quod nullo modo fieri posset, si non esset vinum. A privatione enim ad habitum non datur regressus. Ex altera vero parte videtur quod non sit vinum vsuale, commune & potabile, ut per se patet. Unde non erit materia sufficiens ad hoc Sacramentum.

Nam panis, & vinum quibus communius homines reficiuntur, assumuntur in hoc Sacramento ad usum spiritualis conuiuij. Sicut autem in baptismo, qua communius homines utuntur ad corporales ablutiones. Vino autem congelato non utuntur homines, saltim communiter.

Vnde Resp. 2. Nullatenus vinum congelatum esse sufficientem materiam Eucharistiæ. Ratio est. Quia id quod est materia Eucharistiæ ad consecrationem sanguinis debet esse vinum potabile, & vsuale, cuiusmodi non est vinum congelatum. Nam potus spiritualis sumitur ad similitudinem potus corporalis. Et ob hanc forte causam est huiusmodi rubrica in Missali titul. 10. de defectibus missarum in celebratione occurrentibus n. 11. Si in hyeme sanguis congeletur in calice, inuoluetur calix pannis calefactis: si id non proficeret, ponatur in feruenti aqua prope altare, dummodo in calicem non intret, donec liquefiat.

Quod sane præcipitur in Missali, ad hoc ut modo potabili sumantur species consecratæ: nam facile erat modicum sanguinem congelatum sub congelatione accipere: id autem non esset accipere modo potabili, quo pacto potus in conuiuiu hauri debet. Vnde quamuis vinum congelatum sit vinum quia tamen sub congelatione non est potabile non est materia sufficiens ad Eucharistiam, Sacramentum scilicet cibi & potus. Quæmodum etiam vinum intra vnam quia ibi est modo manducabili, non vero potabili nullo modo est materia Eucharistiæ. Et vinum in panno madefacto non est consecrabile, licet possit consecrari si per expressionem extrahatur à panno.

Si autem obijciatur quod nec panis azymus est panis usualis & communis apud homines; & tamen est mate-

ria Eucharistiæ. Ergo etiam vinum congelatum, quamvis communiter non utantur homines.

Resp. Panem azymum ex natura rei esse manducabilem: deinde Christum Dominum in eo instituisse Eucharistiam: instituit enim prima die azymorum, ut habetur Math. 26. Marc. 14. & Luc. 22. qua die nihil fermentatum in domibus Judæorum esse debebat. Præterea: quod is panis azymus est communior ad Eucharistiam ex usu & accommodatione Ecclesiæ Latinæ: quemadmodum, hæc vox Baptizo, licet non sit communior ad significandam ablutionem corpoream, tamen ex usu & accommodatione Ecclesiæ est communior ad baptismum, & sic assumitur ad baptismum.

Vinum autem congelatum nec assumitur ab Ecclesia, nec eo communiter utuntur homines, nec est potus, & propterea quod potus non est, nequit esse materia consecrationis sanguinis qui est potus ut dixit. servator noster sanguis meus vere est potus. Joan. 6.

Tandem circa materiã Eucharistię duo scienda sunt: 1. Quod nunquam ad hoc Sacramentum conficiendum est licitum uti materia dubia, rebus scilicet de quibus dubitatur num sint panis vel vinum. Nullus enim est necessitatis casus ad id obligans. Vnde cum quis tenetur sumere Eucharistiam & deest materia certa, & indubitata, percipiet quis rem huius Sacramenti per votum, & desiderium sumendi id.

2. Quod materia huius Sacramenti est duplex. Alia quæ, & alia ex qua. Materia quæ sunt species consecratæ continentem ipsum Christum, seu corpus, & sanguinem Christi, & virtute corporis, & sanguinis Christi sanctificant nos. Materia ex qua sunt panis, & vinum, & quidem si sint præsentia sunt materia proxima, si vero absentia, materia remota. Tunc autem sunt præsentia

cum

cum de eis possunt verificari illæ voces demonstratiuæ. Hoc est enim corpus &c. & hic est enim calix &c. Nam istæ voces. Hoc, & hic, sunt demonstrantes præsentiam rei siue moralem siue physicam, contentam tamen sub significatione harum vocum, & perceptibilem per aliquem sensum, vel mentem.

## QUAESTIO XXXVII.

*Num aqua sit vino permiscenda?*

**A**lexander Papa. In Sacramentorum oblationibus quæ inter missarum sollemnia Domino offeruntur, panis tantum, & vinum aqua permixtum in sacrificium offerantur.

Franc. Est igitur necessarium necessitate præcepti in fundi aquam in vinum in repræsentationem Dominicæ passionis nam aqua & sanguis ex latere Christi in passione sua profluxit: & per aquam significatur ablutio peccatorum quæ fiebat per passionem Christi.

Julius Papa. Videmus in aqua populum intelligi: in vino vero ostendi sanguinem Christi: ergo cum in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur.

Franc. Vnde etiam vnio populi Christiani ad Christum significatur per permutationem aquæ ad vinum.

Aqua autem vino permiscenda debet esse in modica quantitate: sic quod per eam non solvatur species vini, alias enim non esset vinum nec materia Eucharistiæ. Sed debet infundi modica quantitas aquæ ut possit converti in vinum, & vinum in sanguinem per consecrationem & quanto vinum fuerit debilius, tanto minor debet esse quantitas aquæ permiscendæ ei. Et hinc habes aquam immediate non converti in sanguinem Christi (non enim

aqua est materia Eucharistiæ ) sed in vinum & vinum immediate in sanguinem.

3. p. 9. 74. D. Thom. Et quia admixtio aquæ ad vinum non est  
4. 7. ad 3. de necessitate Sacramenti, non refert quantum ad Sa-  
cramenti necessitatem quæcunque aqua misceatur vino  
sive naturalis sive artificialis, vt rosacea. Quamuis quan-  
tum ad convenientiam Sacramenti, peccet, qui aliam  
aquam miscet præter naturalem & veram: quia de la-  
tere Christi pendentis in cruce aqua vera profluxit.

Franc. Et hoc peccatû, vt pote transgressio præcepti  
Ecclesiæ in re adeo graui & mystica erit mortale.

## QUAESTIO XXXVIII.

### *De forma huius Sacramenti.*

10. 1. sup. **A** Polinar. Forma necessaria consecrationis panis  
Machad. est. Hoc est corpus meum. Reliqua verba sunt de  
1 b. 3 p. 1. præcepto, quamvis ommittere ly enim, probabile sit  
tra. 6. §. 3. non esse nisi veniale, deficiente contemptu. Forma con-  
secrationis vini est. Hic est sanguis meus. Seu. Hic est  
calix sanguinis mei. Sequentia autem verba, juxta com-  
muniorem sententiam non sunt de essentia. Græci enim  
ommittunt ly Æterni, & ly Mysterium fidei, quæ po-  
nuntur in Missali latino in forma consecrationis vini.

Proinde notat Schotus consecrantem calicem non  
restringere intentionem ad ly Hic est calix sanguinis  
mei, nec extendere ad cætera verba, sed habere inten-  
tionem quam habuit Christus quando consecravit.

Franc. Nihilominus tamen ritus, forma, & verba  
consecrationis posita in Missali proferrî debent. Vbi sic  
ponitur consecrationis panis forma. Hoc est enim cor-  
pus meum. Vbi præter ly enim, quod est de necessitate



præcepti, reliqua sunt de necessitate Sacramenti, quibus non prolatis non erit Sacramentum. Et probabile est omissionem *ly enim*, etiam sine contemptu, cum advertentia tamen, esse peccatum mortale.

Forma vero consecrationis vini est. Hic est enim calix sanguinis mei novi & æterni testamenti mysteriū fidei qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Et hic idem dicimus de *ly enim*, ac supra de altero, enim, consecrationis panis. Reliqua vero verba necessario sunt proferenda, quamvis omnia non essent de necessitate formæ. Cum enim ignoremus in opinionibus probabilibus circa hoc, quæ sit certa, tutius est omnia ea verba proferre cum intentione consecrandi verbis quibus consecravit Christus Dominus.

D. Thom. Notandum tamen quod *ly calix* dupliciter intelligi potest. 1. *sm methonymiam*, qua ponitur contentus in calice, de quo fit mentio. 2. Potest intelligi *sm methaphoram* prout per calicem similitudinarie intelligitur passio Christi: nam ipse Dominus suam passionem appellavit calicem Math. 26. dicens. Transeat à me calix iste Ut sit sensus. Hic est calix passionis meæ de qua fit mentio in sanguine seorsum à corpore, consecrato: quia separatio sanguinis à corpore fuit per passionem.

3, p. 9. 78,  
4. 3. ad 1.

Franc. Notandum etiam quod cum dicitur *ly Hoc*, & *ly hic*: adhuc non est peracta consecratio (non enim peragitur vsque dum proferantur omnia verba necessaria ad formam consecrationis, necessitate Sacramenti). Vnde *ly Hoc* simul & indivisibiliter sumptum cum reliquis verbis constituentibus formam indivisibilem significat, quod hoc quod continetur sub specie panis est corpus Christi. Et sic *ly Hoc* non nude, & separatim

sumptum, sed simul cum reliquis verbis formæ consecrationis panis est forma huius Sacramenti, qua forma prolata est verum dicere quod ibi est corpus Christi. Et sic est vera ista locutio. Hoc est corpus meum. Et idem dicendum de ly Hic in consecratione calicis.

Et Hinc habetur quod si prolato ly hoc, & alijs non nullis formæ verbis, si omnia non proferantur non fieri consecrationem ( loquimur de verbis necessitate Sacramenti ) & pariter dicendum de verbis consecrationis calicis. Et materia illa supra quam non cadit tota plena & indivisibilis forma, licet gramaticaliter media pars formæ, vel etiam maior pars proferatur, non manet consecrata. Et ita si dicto ly Hic est, conuerteretur aqua infusa in calicem in vinum, talis portio vini non maneret consecrata, quamuis supra eam dicerentur reliquæ voces & verba formæ præter ly Hic.

## QUAESTIO XXXIX.

*De Conversione panis in corpus, & vini in sanguinem Christi.*

**C**ONCIL. Triden. Quoniam autem Christus Redemptor noster, corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit, ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, hic que nunc denuo hæc sancta synodus declarat per consecrationem panis, & vini fieri conversionem totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi Domini nostri: & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis eius. Quæ conversio convenienter & proprie à Sancta Catholica Ecclesia, Transubstantiatio est appellata.

Franc. Facta igitur consecratione panis, & vini, sub

speciebus eorū non manent panis, & vinū, sed corpus, & sanguis Christi. Nam substantia panis & vini convertuntur in corpus, & sanguinem Christi. Quod autem convertitur in aliquid, facta conversione non manet.

D. Thom. Sensu tamen apparet, facta consecratione, omnia accidentia panis, & vini remanere. Quod quidē rationabiliter per divinam providētiā fit non enim est consuetum hominibus sed horribile carnem hominis comedere, & sanguinem bibere. Et ideo proponuntur nobis caro, & sanguis Christi sumenda sub speciebus illorum quæ frequentius in usum hominis veniunt, scilicet panis, & vini. 3. p. 9. 75.  
4. 5.

Franc. Hęc autem conversio fit in instanti: fit enim virtute Dei infinita cuius est subito operari. Unde prolatis verbis consecrationis panis, & vini statim fit cōversio totius substantiæ panis in totam substantiam corporis Christi, & totius substantiæ vini in totam substantiam sanguinis Christi. Et ideo hęc conversio non continetur sub speciebus conversionum naturalium, sed est conversio substantialis, seu transubstantiatio.

## QUAESTIO XL.

*De modo quo Christus est in hoc Sacramento.*

**C**oncil. Triden. Non pugnant hęc inter se, ut ipse salvator noster semper ad dexteram Patris in cœlis assideat juxta modum existendi naturalem, & ut multis nihilominus alijs in locis sacramentaliter præsens sua substantia nobis adsit, ea existendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustrata assequi possumus, & constantissime credere debemus.

*pbi sup. c. 3.*

Franc. Vnde Christus in hoc Sacramento existit mi-  
ro modo Sacramentali, non autem definitiue, aut  
circunscriptiue.

3 p. 1. 76.  
a. 5. ad. 1.

D. Thom. Non definitiue: quia sic non esset alibi  
quam in hoc altari vbi conficitur hoc Sacramentum:  
cum tamen sit & in cœlo in propria specie, & in multis  
alijs altaribus sub specie Sacramenti. Similiter etiam  
patet quod non est in hoc Sacramento circunscriptiue:  
quia non est ibi sm commensurationem propriæ quanti-  
tatis. Quod autem non est extra superficiem Sacramen-  
ti, nec in alia parte altaris, non pertinet ad hoc quod sit  
ibi definitiue, vel circunscriptiue, sed ad hoc quod in-  
cepit ibi esse per consecrationem & conversionem panis  
& vini.]

Franc. Igitur corpus Christi non est in Sacramento  
sicut in loco: nam corpus locatur in loco per commen-  
surationem & extensionem suæ quantitatis in ordine  
ad locum sed est ibi sacramentaliter in quantum ibi in-  
cipit esse per consecrationem & conversionem panis,  
& vini. Vnde quantitas corporis Christi non est extensa  
in ordine ad locum sicut est in cœlo: sed tamen Chris-  
tus est sub quantitate panis & vini extensa in ordine ad  
locum, & occupante illum locum, vbi non sicut in lo-  
co sed sicut in Sacramento est Christus. Quia tamen  
corpus Christi & sanguis eius sunt subiectum quantitatis  
panis, & vini, vt infra dicetur.

vbi sup. in  
corp. a. cit.

D. Thom. Nam corpus Christi non est in hoc Sa-  
cramento sm proprium modum quantitatis dimensivæ  
sed magis sm modum substantiæ. Omne autem corpus  
locatum est in loco sm modum quantitatis dimensivæ  
in quantum scilicet commensuratur loco sm suam quan-  
tatem dimensivam. Vnde relinquitur quod corpus  
Christi non est in hoc Sacramento sicut in loco sed per

modum substantiæ: eo scilicet modo quo substantia continetur à dimensionibus. Succedit enim substantia corporis Christi in hoc Sacramento substantiæ panis. Vnde sicut substantia panis non erat sub suis dimensionibus localiter, sed per modum substantiæ, ita nec substantia corporis Christi: non tamen substantia corporis Christi est subiectum illarum dimensionum, sicut erat substantia panis.

Et ideo substantia panis ratione suarum dimensionũ localiter erat ibi: quia comparabatur ad locum illum mediantibus proprijs dimensionibus. Substantia autem corporis Christi comparatur ad locum illum mediantibus dimensionibus alienis: ita quod è conuerso dimensiones propriæ corporis Christi comparantur ad locum illum mediante substantia, quod est contra rationem corporis locati. Vnde nullo modo est corpus Christi in hoc Sacramento localiter.

Franc. Vnde esse per modum substantiæ est esse per modum quo substantia est sub dimensionibus, non autem per modum dimensionum, id est non per modũ illum quo quantitas dimensiva alicuius corporis est sub quantitate dimensiva alicuius loci.

Manifestum est autem quod natura substantiæ tota est sub qualibet partæ dimensionum sub quibus continetur sicut sub qualibet parte aeris est tota natura aeris, & sub qualibet parte panis est tota natura panis. Et hoc indifferentem sive sint dimensiones actu diuisæ (sicut cum aer dividitur, seu panis secatur) vel etiam sint actu indivisæ, divisibiles vero in potentia. Et ideo manifestum est quod totus Christus est sub qualibet parte specierum panis, etiam hostia integræ manente, & etiam cū frangitur.

Et sicut quantitate manente indivisa actu, substan-

tia alicuius rei non est pluries sub suis proprijs dimensionibus : ita pariter non est pluries corpus Christi sub speciebus panis & eius dimensionibus. In singulis autem portionibus divisus est totus Christus integer : fracto enim Sacramento non frangitur Christus, est enim eius corpus incorruptibile. Sed tantus & tam integer est sub singulis fragmentis, ac in toto erat Sacramento.

*In serm.*

Augu. Singuli accipiunt Christum Dominum, & in singulis portionibus totus est, nec per singulas minuitur, sed integrum se præbet in singulis.

Franc. Tandem hic modus existendi in Sacramento per modum substantiæ appellatur modus existendi indivisibilis, quia indivisibiliter est Christi corpus sub toto Sacramento totum, & totum sub qualibet parte. Sic enim existit substantia sub suis dimensionibus, tota sub omnibus, & tota sub qualibet parte, vt constat ex exemplis aeris, & panis supra positis.

## QVÆSTIO XLI.

*Num præter Corpus & Sanguinem Christi contineatur aliquid aliud sub hoc Sacramento ?*

*vbi sup. c. 3*

CONCI. Trident. Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem, verum Domini nostri corpus, verumque eius sanguinem sub panis & vini specie, vna cum ipsius anima, & divinitate existere: sed corpus quidem sub specie panis, & sanguinem sub vini specie, ex vi verborum: ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamque sub vtraque vi naturalis illius connexionis, & concomitantia, qua partes Christi Domini, qui iam ex mor-

mortuis iam resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur: Divinitatem porro propter admirabile illam eius cum corpore, & anima hypostaticam unionem. Quæ propter verissimum est tantumdem sub alterutra specie atque sub utraque contineri. Totus enim & integer Christus sub panis specie, & sub quavis ipsius speciei parte: totus item sub vini specie, & sub eius partibus existit.

D. Thom. Vnde aliquid Christi est in hoc Sacramento 3. p. 176.  
 to. 1. Quasi ex vi Sacramenti. 2. ex naturali concomitantia. Ex vi quidem Sacramenti est sub speciebus huius Sacramenti id in quod directe convertitur substantia panis, & vini præexistens, prout significatur per verba formæ, quæ sunt effectiva in hoc Sacramento, sicut & in cæteris. Puta, cum dicitur, hoc est corpus meum, vel, hic est sanguis meus. Ex naturali autem concomitantia est in hoc Sacramento illud quod realiter est coniunctum ei in quod prædicta conversio terminatur. Si enim aliqua duo sunt realiter coniuncta, ubicunque est unum realiter, oportet & aliud esse.

Fr. Vnde ex vi verborum in hostia est corpus Christi, ex reali autem comitantia est ibi divinitas Christi. Et ex naturali reali que concomitantia est ibi anima & sanguis Christi. Et iterum, ex vi verborum in consecratione vini est sanguis Christi. Per concomitantiam autem naturalem, corpus, & anima Christi: & per concomitantiam autem realem, Divinitas eius: & quia divinitas est una, & indivisa in Patre, Filio, & Spiritu Sancto, ideo Pater, & Spiritus Sanctus sunt in hoc Sacramento ubi est divinitas filij.

Rursus: si in triduo mortis Christi fuisset celebratum hoc Sacramentum sub specie panis, tunc non esset ibi anima, & sanguis Christi nec ex naturali concomitantia:

nam revera tunc anima, & sanguis erant sperata realiter à corpore Christi. Et idem dicendum si tunc fuisset celebratum hoc Sacramentum sub speciebus vini, nam tunc erat sanguis separatus à corpore, & anima: unde ista non forent in Sacramento celebrato sub vini speciebus. Divinitas vero esset in hoc Sacramento tunc celebrato sub quacunque specie: nam divinitas nunquam dimisit quod semel assumpsit.

Et pariter: quia Christus resurgens ex mortuis jam non moritur ut dic. Rom. 6. In omni celebratione huius Sacramenti (extra triduum mortis) semper est in hoc Sacramento corpus anima & sanguis Christi. Corpus quidem ex vi Sacramenti in consecratione panis: & anima & sanguis per concomitantiam. Et sanguis ex vi Sacramenti in consecratione vini: & corpus, & anima per concomitantiam. Nam corpus humanum vivum est naturaliter connexum cum anima, & sanguine.

Rogabis, nomine Corporis, num intelligenda sint ossa, etiam & nervi, & alia huiusmodi, an sola caro? Respondeo hæc omnia intelligi: unde caro, ossa, nervi & huiusmodi sunt in Sacramento ex vi verborum in consecratione panis, & per concomitantiam in consecratione vini. Unde in consecratione panis non dicitur, hæc est caro mea, sed hoc est corpus meum.

Et licet Joan. 6. Dominus dicat, Caro mea vere est cibus: ibi sumitur caro pro toto corpore. Dicitur autem ibi, caro. Quia secundum consuetudinem humanam videtur esse magis manducationi accommodata: prout scilicet homines carnibus animalium vescuntur communiter, non autem ossibus, vel alijs huiusmodi.

Tandem: quia facta consecratione, videmus sensibiliber ibi remanere accidentia panis, & vini: hinc apparet ea non converti in dimensiones, & accidentia corporis,



& sanguinis Christi, sed substantiã in substantiam. Et quia substantia corporis & sanguinis Christi non datur à sua quantitate dimensiva, & ab alijs accidentibus. Inde est quod ex vi realis concomitantiae est in hoc Sacramento quantitas dimensiva corporis & sanguinis Christi, & omnia accidentia eorum.

## QVÆSTIO XLII.

*De remanentibus in Sacramento accidentibus.*

**F**RANC. Accidentia panis, & vini que sensu deprehendimus remanere in hoc Sacramento post consecrationem, non existunt in substantia panis, & vini, quæ ibi non est: nec sunt in substantia corporis, & sanguinis Christi sicut in subiecto: quia substantia humani corporis, non potest his accidentibus affici. Neque etiam est possibile quod corpus Christi gloriosum, & impassibile existens, prout tale, alteretur ad suscipiendas huius modi qualitates.

D. Thom. Et ideo relinquitur quod accidentia in hoc 3 p. 1. 77.  
 sacramento manent sine subiecto. Quod quidem virtute 4. 1.  
 diuina fieri potest Deus enim prima scilicet causa substantiæ & accidentis potest sua infinita virtute conservare accidens in esse, subtracta substantia per quam conservabatur in esse sicut per propriam causam: sicut etiã alios effectus naturalium causarum potest producere sine naturalibus causis: sicut humanum corpus formavit in utero virginis sine virili semine. Unde quantitas dimensiva panis vel vini est quasi subiectum accidentium ibid. 4. 2.  
 remanentium in Eucharistia. Nam quantitas est prima dispositio materiæ, quæ est primum subiectum, & ratione quantitatis reliqua accidentia referuntur ad materiã:

& ideo substracto subiecto, vel materia, seu substantia panis, & vini, eorum accidentia in eorum quantitate subiectantur.

Franc. Istæ autem species sacramentales remanent cum eadem vi, & virtute ac si subiectarentur in pane, & vino: vnde si ibi essent, possent corrumpi, & pariter nunc: vnde videmus hostias consecratas corrumpi, & putrefieri, & posse comburi. Et quacunque corruptione sufficienti totaliter vel in parte, vel dispositive ad corrumpendam substantiam panis, vel vini si in re essent, corrumpentur species consecratæ totaliter vel in parte, vel dispositive.

D. Thom. Et cum corruptio vnus sit generatio alterius, necesse est quod ex speciebus sacramentalibus aliquid generetur, cum corrumpantur. Non enim sic corrumpuntur, vt omnino dispercant, quasi in nihilum redigantur, sed manifeste aliquid sensibile eis succedit.

Franc. Ad sensum enim videmus ex speciebus sacramentalibus aliquid generari, vel cineres, si comburantur: vel vermes si putrescant: vel pulveres, si conterantur. Hoc autem ideo est, quia miraculose in consecratione datur quantitati panis, & vini quod sit subiectum primum subsequenti formarum. Hoc autem est proprium materiæ: & ideo ex consequenti datur prædictæ quantitati quidquid ad materiam pertinet. Vnde quidquid posset generari ex materia panis & vini si ibi adesset, totum hoc potest generari ex quantitate suprente vicem materiæ, & habente miraculose vim, atque proprietatem substantiæ.

Item, propter eandem rationem possunt species sacramentales nutrire: si enim possunt converti in substantiam aliquam quæ ex eis generatur: ita etiam possunt converti in corpus humanum, & nutrire illud.

Vnde super illa verba Apostoli. Alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Dicit Glossa quod notat illos qui post celebrationem sacri mysterij, & consecrationem panis, & vini, suas oblationes vendicabant, & alijs non communicantes, soli sumebant, ita vt etiam inebriarentur. Quod quidem non posset contingere nisi species sacramentales nutrent. Ergo nutriunt.

Et tandem species Sacramentales possunt misceri alijs rebus miscibilibus. Et precipue species vini, vel cum alio vino non consecrato, vel cum aqua, alio ve liquore, vt per se patet: & ex hac parte etiam sunt corruptibiles.

## QUAESTIO XLIII.

*De Duratione Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus Sacramentalibus.*

**D.** Thom. Cum corpus, & sanguis Christi succedant in hoc Sacramento substantiae panis, & vini: si fiat talis immutatio ex parte accidentium quae non suffecisset ad corruptionem panis, & vini, propter talem immutationem non desinit corpus, & sanguis Christi esse sub Sacramento, siue fiat immutatio ex parte qualitatis (puta cum modicum immutatur color aut sapor panis, vel vini) siue ex parte quantitatis: vt cum dividitur panis vel vinum in tam minutas partes, quod adhuc in eis possit saluari natura panis, aut vini.

Si vero fiat tanta immutatio quod fuisset corrupta substantia panis, aut vini, non remanent corpus, & sanguis Christi sub hoc Sacramento. Et hoc siue ex parte qualitatum, sicut cum ita immutatur color & sapor, & alię qualitates panis, & vini, quod nullo modo possent

compati naturam panis, aut vini. Siue etiam ex parte quantitatis, puta si pulverizetur panis, vel vinum in tam minutas partes diuidatur, vt jam non remaneat species panis vel vini.

Franc. Circa mixtionem specierum Sacramentalium vini etiam est hic sciendum, quod mixtum ex duobus, neutrum miscibile est vt patet in omnibus mixtis. Ex aqua enim terræ mixta, resultat lapis, vel arbor, quæ nec aqua, nec terra sunt: sed quid tertium ex his compositum. Vnde si vino misceatur liquor aliquis in tanta quantitate quod posset diffundi per totum vinum, totum fieret permixtum: & sic vinum prius existens non remaneret.

Et liquor permixtus si esset alterius speciei (puta si vino permisceretur aqua) solveretur species vini, & esset liquor alterius speciei. Si autem esset eiusdem speciei liquor adiunctus vt si vinum vino permisceretur, remaneret quidem eadem species, sed non idem numero vinum, quod declarat diversitas accidentium: puta si vinum vnum esset album, & aliud, rubeum. Vel etiam in duobus vinis rubeis, & duobus albis, licet in his non adeo clare appareat diversitas ad sensum, bene vero ad intellectum.

Si vero liquor adiunctus esset tam parvæ quantitatis quod non posset perfundi per totum, non fieret totum vinum permixtum, sed aliqua eius pars. Quæ quidem non maneret eadem numero propter mixtionem: remaneret tamen eadem specie, non solum si parvus liquor permixtus, esset eiusdem speciei, sed etiam si esset alterius speciei: nam gutta aquæ multo vino permixta, transit in speciem vini.

Quare cum hic panis, & hoc vinum numero consequentur: manent corpus, & sanguis Christi sub hoc Sa

ramento, quandiu illæ species Sacramentales ædem numero manent. Vnde si fiat tanta permixtio liquoris cuiuscunque cum speciebus consecratis vini, quod fiant totæ permixtæ, erunt aliud numero, & non remanebit ibi sanguis Christi. Si fiat vero tam parva liquoris coniunctio quod non possit diffundi per totas species consecratas, sed vsque ad aliquam partem specierum, desinet esse sanguis Christi sub illa parte vini mixti, remanebit tamen sub alia.

Et tandem. Christus habens esse indeficiens non potest esse deficiendi principium: & cum desinit esse sub Sacramento, est, quia species huius Sacramenti desinunt esse. Admodum quo Deus habens esse indeficiens, & immortale desinit esse in creatura corruptibili: quia hæc desinit esse.

## QUAESTIO XLIV.

### *De Ministro Sacramenti Eucharistiae.*

**D.** Thom. Sacerdoti cum ordinatur confertur potestas hoc Sacramentum consecrandi in persona Christi, per hoc enim ponitur in gradu eorum quibus dictum est à Domino. Hoc facite in meam commemorationem. Et ideo dicendum est quod proprium est Sacerdotum conficere hoc Sacramentum.

Franc. Pariter Ad Sacerdotem attinet ministrare hoc Sacramentum alijs: Vnde Christus consecravit corpus suum, & deinde dedit Apostolis sumendum. Et pariter Sacerdos consecrat, & habet potestatem dispensandi alijs.

Apolinar. Ex jure autem, dispensare hoc Sacramentum fidelibus attinet ad Parochum tanquam ad Ministrum, & dispensatorem ordinarium.

*Sup. Macha  
v. l. 3. p. 1  
17. 6. 9. 10.*

10. 2. 11. 1. Leand. de SS. Sac. Nunc autem ex licentia tacita  
 7. disp. 4. Pastorum possunt omnes Sacerdotes Eucharistiam mi-  
 1. 3. 4. 5. nistrare: sufficit enim ad ministrandum licite hoc Sa-  
 cramentum facultas, seu consensus Pastoris expressus,  
 vel interpretativus, aut præsumptus: at hic semper adest,  
 cum semper prudenter præsumimus, eum ratum, &  
 gratum hoc habiturum si sciret. Ergo Religiosus autem  
 non indiget licentia aliqua Parochi ad administrandam  
 Eucharistiam in aliena Ecclesia: nam habet licentiam à  
 Papa ad Eucharistiam administrandam omnibus Christi  
 fidelibus. Sacerdos autem secularis indiget licentia su-  
 cularis indiget licentia Superioris, vel Sacristæ Reli-  
 giosorum tacita, aut præsumpta ad administrandam Eu-  
 charistiam in Ecclesia Regularium.

## QVAESTIO XLV.

*De dispositionibus Ministri ad consecrandum hoc Sa-  
 cramentum.*

**F**RANC. Multiplex requiritur dispositio ex parte Mi-  
 nistri. 1. Intentio, & hæc est necessaria necessitate  
 Sacramenti: intentio autem debet esse determinata su-  
 per hunc panem, & hoc vinum. Vnde habens coram  
 se undecim hostias, & intendat consecrare solum de-  
 cem, non determinans quas decem intendit, non con-  
 secrat. Bene vero qui coram se haberet viginti hostias  
 & intenderet viginti quatuor consecrare: nam intentio  
 super numerum maiorem hostiarum comprehendit nu-  
 merum minorem earum. Secus si putans se habere vi-  
 ginti hastias intenderet eas viginti consecrare: & post-  
 modum reperiret eas esse triginta. Tunc enim non con-  
 secrat: nam numerus inferior superiorem non compre-  
 hendit.

Qui

Qui autem putaret se habere præsentem decem hostias intentionem autem haberet consecrandi omnes quas coram se haberet : tunc quamvis essent undecim, vel plures, omnes tamen manerent consecratæ : Nam tunc intentio non ferebatur ad decem existimatas hostias, sed ad omnes quas coram se habebat, & licet haberet errorem in existimatione, nullus tamen ibi aderat intentionis defectus.

Salazar. Si Sacerdos intenderet consecrare dimidiam hostiam, quin determinaret quam dimidiam, non consecraret; secus si determinaret. *In promptu. Ergo. 4. Secto.*

Franc. Sacerdos igitur debet habere intentionem consecrandi determinatum panem, & vinum : licet autem intentio non sit actualis in ipsa consecratione propter evagationem mentis, sed virtualis, cum accedens ad altare, intendat facere quod facit Ecclesia; conficitur Sacramentum; curare tamen debet ut etiam actualem intentionem adhibeat. Et circa consecrationem hostiarum talem intentionem debet habere, ut scilicet intendat consecrare eas omnes quas ante se positas ad consecrandum habet. Et propter huiusmodi intentionem si Sacerdos putans se tenere unam hostiam, intendat tamen consecrare omne id quod manibus tenet, consecrat etiam duas si duas, in manibus teneret. Et post consecrationem inveniens fuisse duas simul junctas, utranque in sumptione simul sumat.

2. Requiritur dispositio ex parte animæ, ut scilicet Minister habeat gratiam : qui enim celebrat in peccato mortali, graviter peccat. Unde debet minister se probare ut celebret & de pane consecrato edat, & de calice bibat. Si quis autem in casu necessitatis non habens copiam confessionis, in peccato mortali absque contritione celebret, graviter peccat. Secus si conte-

ratur: debet tamen cum primum poterit confiteri: alias peccabit mortaliter contra præceptum Concilij Tridentini sess. 13. de cr. Euchar. c. 7.

Salazar. Ad cognoscendum autem quando adest, vel deest copia Confessoris, est regula generalis. Nam quotiescumque instat Sacerdoti præceptum celebrandi: vel absque notabili scandalo nequit ommittere celebrationem, si contigerit non posse adire Confessariū, & redire hora congruenti ad celebrandum, ex quo veniet scandalum: tunc intelligitur copia deesse Confessarij. Et tunc celebrabit prævia contritione, vel attritione quæ sit existimata contritio, & confitebitur quam primum poterit. Si vero potest adire, & redire hora competenti ad celebrandum, tunc tenetur adire, adest enim copia Confessarij.

Franc. Ecclesiæ consuetudo nanque declarat nullum sibi consciū peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debere. Et quidem prætermisso pro nunc eo quod attinet ad sumptionem huius Sacramenti. de qua sumptione infra. Certum est sancta sancte tractanda esse: & ministros Sacramenta conficientes debere esse justos: debent enim ministri Domino conformari sicut illud levit. 19. sancti eritis quoniam ego sanctus sum. Vnde minister accedens ad conficiendam Eucharistiam debet accedere in gratia, & prævia sacramentali confessione si sit conscius sibi peccati mortalis & adsit copia confessoris, ut decernit Tridentinum loc. citato.

Præterea si quis suspensus excommunicatus, degradatus, irregulatus, vel alias canonice impeditus, celebret, conficit quidem Sacramentum, sed gravissime peccat: tam propter Communionem quam indigne



sumit, quam propter executionem ordinum quæ liberat interdicta.

Sacerdotes autem mali, hæretici, excommunicati, degradati & huiusmodi ideo possunt conficere Sacramentum quamvis peccent: quia adhuc per hæc impedimenta manet in eis ordinatio integrâ, & potestas quâ in ordinatione acceperunt ad consecrandum, quæ non ammittitur per malitiam, vel impedimentum ministri, ut pote non dependens ab eius meritis, vel demeritis, sed à Deo.

Aug. Et ideo intra Ecclesiâ Catholicam, in misterio corporis & sanguinis Domini, nihil à bono maius, nihil à malo minus perficitur Sacerdote: quia non in merito consecrantis, sed in verbo perficitur Creatoris, & virtute Spiritus sancti.

*in l. de corp  
Domini.*

Franc. Quando autem Sacerdos forte in ipsa celebratione Missæ recorderetur esse in peccato mortali, contrahatur cum proposito satisfaciendi, & confitendi. Et tunc non tenetur post celebrationem quam primum confiteri: nam is casus est alius à casu in quo præcipit Tridentinum, quam primum confiteri.

Lean. de SS. Sacr. Si autem Sacerdos accedat ad altare prævia confessione, & in altari recorderetur peccati mortalis in confessione obliti, non tenetur ad ellicendam contritionem: quia iam supponitur homo in statu gratiæ per confessionem præmissam. Ergo non erit necessaria contritio ad remissionem peccati obliti (secus dicendum esset casu quo non esset præmissa confessio: tenetur enim tunc ante communionem conteri, si ante communionem post consecrationem occurrat: & ante consecrationem, si ante eam occurrat: non tamen statim quando occurrit: quia status gratiæ solum requiritur ex præcepto in conficiente, vel recipiente sacramentum, non in exercente alios actus ordinis.

*in 2 tra. 7.  
d. sp. 7. q.  
19.*

Franc. Quando autem Sacerdos est in altari, adhuc vero non inchoavit missam si recordatur peccati mortalis, non solum tenetur conteri, sed etiam confiteri si absque scandalo, aut nota possit. Alias autem præmissa contritione (etiam si de alijs confessus fuerit) inchoabit missam.

Si autem Sacerdos in ipsa celebratione recordetur se esse excommunicatum vel suspensum, aut locum esse interdictum, conteratur cum proposito petendi absolutionem. Ante consecrationem autem in his casibus, si non timetur scandalum, debet missam inceptam deserre.

3. Requiritur dispositio ex parte Corporis: Et in primis jeiunium naturale: nam si quis non est jeiunus post mediam noctem, etiam post sumptionem solius aquæ, vel alterius potus, aut cibi, per modum etiam medicinæ & in quacunque parva quantitate, non potest communicare, nec celebrare. Bene vero si reliquæ cibi remanentes in ore transglutiantur, sumuntur enim per modum salivæ non cibi. Idem dicendum si lavando os deglutiatur stilla aquæ præter intentionem.

Præceptum autem jeiune communicandi est Ecclesiasticum: unde potest in eo Papa dispensare: hoc autem jeiunium debere esse naturale constat ex praxi Ecclesiæ, & communi consensu omnium theologorum.

Sunt tamen aliqui casus in quibus licet non jeiunum communicare. Et 1. Potest Viaticum dari brevi morituris non jeiunis. Cæteris autem infirmis qui ob devotionem in ægrotudine communicant danda est Eucharistia ante omnem cibum, & potum non aliter ac cæteris fidelibus, quibus nec etiam per modum medicinæ antè aliquid sumere licet.

a. Si Sacerdos celebrans moriatur post consecrationem

corporis, vel etiam sanguinis : missa per alium Sacerdotem debet expleri ab eo loco ubi ille desijt, & in casu necessitatis etiam per non jeiunium.

3. Si Sacerdos deprehendat post sumptionem ablutio nis reliquias aliquas relictas consecratas, debeat eas sumere sive parvæ sint sive magnæ : nam ad idem sacrificium spectant.

4. Probabile est Sacerdotem si ante consecrationem panis recordetur se non esse jeiunium, licite posse finire sacrificium. Tutius tamen est missam inceptam deserere nisi graue scandalum timeretur.

5. Cum Reus mortis nequit movere iudicium ut differat in sequentem diem condemnationem, potest non jeiunus communicare, dummodo non sequatur, dummodo non sequatur irreverentia.

6. Laicus si videret infideles Ecclesiam obsidere, & præsumeret, probabiliter eos irreverenter conculcaturus, & tractaturos Eucharistiam : poterit licite suis manibus sumere eam etiam si non jeiunus esset.

Ulterius requiritur ex parte corporis munditia. Si namque præcesserit nocturna pollutio causata ex præcedenti cogitatione quæ sit peccatum mortale, vel evenerit propter nimiam crapulam, abstinendum est à Communionem, & celebrationem, nisi aliud Confessario videatur. Si dubium est in præcedenti cogitatione, an fuerit peccatum mortale, consulitur abstinendum, extra tamen casum necessitatis. Si autem certum est non fuisse, in illa cogitatione peccatum mortale, vel nullam fuisse cogitationem, sed evenisse ex naturali causa, aut ex diabolica illusione, potest communicare, & celebrare; nisi ex illa corporis commotione tanta evenerit perturbatio mentis, ut abstinendum videatur.

Rogabis quot peccata committat Sacerdos indigne celebrans? Resp. quod (in nonnullos committit tria peccata mortalia sacrilegij, aliud in consecratione, aliud in oblatione, & aliud in sumptione. Communiter autem dicitur committere vnum solum sacrilegium: eo quod isti actus sint subordinati ad rectam sumptionem & idē dicitur de omissione confessionis. Tencō tamen committere sacrilegiū in consecratione & etiam alterum sacrilegium in sumptione.

Nam quamuis consecratio ordinetur ad sumptionem. Tamen est actio ex natura rei & independentē a sumptione exigens sanctitatem in Ministro vt ex supra dictis constat: deinde sumptio debet esse non indigna independentē à consecratione, sed sumptio rei sacræ exigens reverentiam talem qualis est necessaria ad cibum eucharisticum: qui enim manducat, & bibit indigne, iudicium sibi manducat, & bibit non diiudicans corpus Domini, id est non discernens ab alijs cibis prophanis: cum tamen discernere debeat.

Rogabis iterum num Sacerdos in pecc. mortali ministrans eucharistiam alijs in Missa vel extra eam, puta infirmis, mortaliter peccet? Resp. negative: nam in his casibus Sacerdos nec conficit Sacramentum, nec sumit: peccat tamen venialiter ratione indecentiæ.

## QUAESTIO XLVI.

*Num in aliquo casu possit alius qui non sit Sacerdos ministrare Eucharistiam?*

3. p. 4. 82.  
4. 3. ad 1. **D.** Thom Diaconus quasi propinquus ordini Sacerdotali aliquid participat de eius officio: vt scilicet

dispenset sanguinem, non autem corpus nisi in necessitate iubente Episcopo, vel Presbytero.

Apolinar. Ministerium autem Diaconorum dandi *sup. Mach. 10. 2. l. 4. p. 1. tra. 8. §. 2.* olim fidelibus sanguinem Christi quando sub vtraque specie communicabant cessavit eo tempore quo communio sub vtraque specie cessavit. Nunc autem cum Papa solemniter celebrat, tunc solum Diaconus porrigit ei calicem ad sumendum.

Lean. de SS. Sacr. Requiritur autem causa necessaria, aut rationalibus ad concedendam Diacono facultatem dandi Corpus Christi. Ut scilicet quod Sacerdos sit debilis, infirmus, aut alijs exercitijs impeditus, aut quod non possit communicare tot homines & non sit alius Sacerdos qui commode possit id efficere. *10. 2. tra. 7. disp. 4. §. 8.*

Et iterum: Absente Presbytero, ex voluntate eius præsumpta potest Diaconus infirmis dispensare Eucharistiam. Et etiam in præsentia Presbyteri si is nolit per se, nec per Diaconum conferre ægroto Eucharistiam. Tum, quia præsentia Sacerdotis sua potestate abutentis pro absentia reputanda est. Tum etiam quia tunc censendum est velle episcopum eam facultatem concedere aut Papam, si episcopus neget. Et forte (addit Fagundes) in eo casu recurrendum est ad voluntatem Christi qui tunc censetur id omnino velle, & approbare. *q. 9. 10.*

Subdiaconus quoque in necessitate potest deferre Eucharistiam infirmis: imo, & se ipsum in extrema necessitate communicare. Nam ius humanum non videtur obligare in extrema necessitate. Et ob hanc rationem in eadem necessitate etiam laicus se ipsum & alios poterit communicare. Et quidem Regina Scotiæ Martyriū subitura, Eucharistiam quam apud se habebat, proprijs manibus suscepit. Et olim fideles manibus Eucharistiā sumebant. *q. 11. 12. 13.*

## QVÆSTIO XLVII.

*De sumptione huius Sacramenti.*

**F**RANC. Ad sumptionem huius Sacramenti requiritur quod sumens sit in statu gratiæ, & in ieiunio naturali, Nam qui manducat, & bibit indigne vt dic. *1. Cor. II.* Apost. iudicium sibi manducat & bibit, idest condemnationem. Vnde qui sumit in peccato mortali hoc Sacramentum, peccat mortaliter peccato sacrilegij tanquam Sacramenti violator.

Nec valet dicere hoc sacramentum esse medicinam: medicina autem est ad infirmorum curationem. Ergo infirmi per peccatum mortale possunt accipere hoc Sacramentum. Nam medicina est duplex alia purgatiua, vt baptismus, & pœnitentia quæ datur ad tollendam febrem peccati. Alia confortatiua, qualis est Eucharistia, & ideo non debet sumi nisi à liberatis à febre peccati. Nam medicina confortatiua nocet febricitantibus, non vero liberatis à febre.

Circa sumptionem igitur huius Sacramenti est maxima cura adhibenda, & diligenter examinanda conscientia, & per confessionem & dolorem emundanda si inueniantur peccata mortalia. Quando autem in angustijs temporum quis sibi conscius peccati mortalis ob defectum copiæ Confessoris communicat debet contritione mundare conscientiam, vel attritione quæ sit contritio existimata, & post modum cum habuerit copiam Confessarij confiteri.

Vnde cum quis in ægitudine & periculo mortis positus sumit Eucharistiam à Diacono, absente sacerdote, & est sibi conscius peccati mortalis, debet prius contem-  
ri.

ri. Si vero non haberet nisi atentionem quæ sit exaltata contritio, per sumptionem huius sacramenti con-  
sequeretur primam gratiam emundantem eum a pec-  
cato.

Pariter cum quis accedit ad sumendam Eucharistiam ad locum ubi datur communio si ibi iam proxime pos-  
tus ad communicandum recordetur alicuius peccati mortalis, si nequit inde recedere absque circumstantiũ  
scandalo, debet præuiam contritionem habere, & sic poterit communicare, & post modum confiteri cum adest copia Confessarij. Id autem intelligendum est, si prius non fuerit confessus, eo quod se probans in examine nullum inuenit peccatum mortale. Nam si prius fuit confessus, & id peccatum fuerit oblitum: iam per confessionem fuit remissum, & tunc sine prævia contritione poterit communicare. Tenetur tamen adhuc confiteri huiusmodi peccatum post communionem sumptam cum adest Confessarij copia.

Præterea. Parochus debet ad sacram communionem omnes fideles exceptis ijs qui iusta ratione prohibentur. Arcendi enim sunt publice indigni; quales sunt excommunicati, interdicti, manifeste que infames; ut meretrices, concubinarij, sceneratores, Magi, Sortilegi, Blasphemi, & huius generis alij publici peccatores: nisi de eorum pænitentia, & emendatione constet, & publico scandalo satisfecerint prius. Occultos vero peccatores si occulte petant, & non eos emendatos agnoverit, repellat: non autem si publice petant, & sine scandalo ipsos præterire nequeat.

D. Thom. Qui habent usum rationis licet debilem, possunt aliquam devotionem huius Sacramenti concipere; & sic eis non est denegandum hoc Sacramentum. illis vero qui nunquam habuerunt usum rationis non est

3. p. 2. 80.  
4. 9.

exhibendum hoc Sacramentum: illis autem qui aliquando habuerunt usum rationis, si tunc quando erant capaces suæ mentis, apparuit in eis devotio huius Sacramenti, debet eis in articulo mortis hoc Sacramentum exhiberi: nisi forte timeatur periculum vomitus, vel ex punctionis.

ad. 3.

Pueri autem quando incipiunt aliqualem usum rationis habere, ita ut possint devotionem concipere huius Sacramenti tunc potest eis hoc Sacramentum conferri.

Sup. hunc loc  
D. Thom.

**Caiet.** Advertendum autem circa puerorum, & puellarum communionem cum ad annos discretionis perverint juxt. ca. Omnis utriusque sexus, quod iudicium de initio discretionis à Parentibus & Confessore debet fieri. A Parentibus quidem quoniam continua conversatione experiuntur an filius seu filia discernere sciant panem spirituale à materiali, & cum devotione præpare se ad Sacramentum. A Confessore vero, quoniam in ipsa Confessione potest advertere quantum discretionis, aut devotionis possit inesse.

Et videtur nimia cautela adhiberi à Parentibus non exponentibus puellas decem annorum ad communionem: dicunt enim quod sunt nimis parvæ: cum tamen sufficientem habeant & discretionem, & devotionem. Et licet ipsi pueri, ac puellæ videantur excusari retrahentibus parentibus, & Confessore non præcipiente: quoniam disciplina illius status exigit, ut maioribus suis plus quam sibi ipsis & credant, & parentes tamen non excusantur.

to. 2. tit. 7.  
disp. 3. q. 7.

**Lean. de SS. Sacr.** Et probabile est mortaliter peccare Confessarium, & parentes puerorum non permittendo illos communicare statim ac capaces sunt doli: sunt enim causa ut pueri transgrediantur præceptum com-



munionis. Excusantur tamen à peccato si contrariam sententiam sequantur. quia est satis probabilis.

Fran. Tandem : obsessi a Dæmone, si mente, & corpore valent possunt sacram communionem sumere & sæpius ad arbitrium Sacerdotis.

Circa secundam dispositionem ad recipiendum hoc Sacramentum, nempe jeiunium naturale : & circa plura alia quæ in hoc tractatu de Eucharistia quæri solent, fuse dixi in superioribus, & in libro 2. de præceptis Ecclesiæ in quæstionibus de Eucharistica Comuni.

### QVÆSTIO XLVIII.

*Num liceat sumere vnam speciem Sacramentalem sine alia, Corporis, scilicet sine sanguinis specie?*

**F**RAN. Licet, vt constat ex vsu Ecclesia, in qua populo datur Corpus Christi sumendum non autē sanguis. Nec tamen sequitur ex hoc, aliquod detrimentū, quia Sacerdos in persona omnium sanguinem offert, & sumit, & sub vtraque specie totus Christus continetur, vt supra dictum est : & ideo populus sumens corpus sine sanguine, sumit per concomitantiam in corpore sanguinem.

D. Thom. Ex parte autem Sacramenti conuenit quod sumatur corpus, & sanguis, in vtroque enim consistit perfectio Sacramenti. Et ideo quia ad Sacerdotem pertinet hoc Sacramentum consecrare, & perficere, nullo modo debet Corpus Christi sumere sine sanguine. Ex parte autem sumentium requiritur summa reverentia, & cautela, ne aliquid accidat quod vergat ad iniuriam tanti mysterij

*Quod præcipue posset accidere in sanguinissumptione,*

sacrosancti, & prætiosi, qui quidem si incaute sumeretur, de facili posset effundi. Et quia crevit multitudo populi Christiani, in qua continentur senes, & juvenes, & parvuli quorum quidam non sunt tantæ discretionis ut cautelam debitam circa usum huius Sacramenti adhibeant: ideo provide in quibusdam Ecclesijs observatur ut populo sanguis sumendus non detur, sed solum à Sacerdote sumatur.

○ Fran. Sacerdos autem, extra casus necessitatis præscriptos in Rubricis Missalis in titul. de defectibus §. 10. de defectibus in ipso ministerio occurrentibus, integra Sacramenta si non sumpserit, gravissime peccat. Nam & in Concil. Toletano legitur, & habetur de consecr. dist. 2. c. relatum. Modis omnibus tenendum est, ut quotiescumque sacrificans Corpus Christi, & sanguinem Domini nostri Jesu Christi in altari immolat: toties perceptionis corporis, & sanguinis Christi participationem se præbeat.

Et hinc habetur non ligere Sacerdoti unam speciem sine alia consecrare. Nam Christus instituens hoc Sacramentum sub specie panis & vini instituit: unde & Sacerdos panem & unum debet consecrare: sic enim in hoc Sacramento in quo recolitur memoria passionis Christi, repræsentatur ea passio in qua seorsum fuit sanguis à corpore separatus.

## QUÆSTIO XLIX.

*An Communio sub utraque specie conferat maiorem gratiam?*

**F**Ran. Communio sub utraque specie pertinet ad Sacerdotem cum celebrat: Ipsi vero Sacerdoti dñ

more laicorum communicat & alijs non Sacerdotibus denegatur justis causis à Catholica Ecclesia Communio sub vtraque specie, & conceditur communicatio sub panis tantummodo specie ut habetur in Triden. sess. 21 In decr. de Comm. can. 2. In quo etiam decr. cap. 1. abunde docetur Communionem sub vna specie sufficere ad salutem.

Vnde consuetudo Romanæ Ecclesiæ est cum omnibus fere occidentalibus Ecclesijs ut laicis non confidentibus detur Communio sub specie tantum panis: licet Paul. III. concesserit Nationi Bohemorum communionem sub vtraque specie. Et Clem. VI. Regi Galliæ.

His ergo præiactis Resp. quæstioni negative. Ratio est, quia quamvis communicans sub vna specie, panis v. g. non sumat sanguinem ex vi sumptionis panis, sumit tamen per concomitantiam, sanguinem, non sumit corpus Christi viuum habens sanguinem. Ergo sumit plenam rem huius Sacramenti. Cum igitur sumens corpus Christi sub specie panis, & sanguinem eiusdem sub specie vini, nihil amplius sumat quam corpus, & sanguinem Christi, & ea quæ per concomitantiam, & aliter his sunt realiter vnita: & sumens corpus sub specie panis, sumat etiam hæc omnia per realem concomitantiam, & vnionem corporis ad ista, sic non sumere maiorem gratiam qui sub vtraque specie communicat, quam qui sub vna tantum specie suscipit communionem.

Concil. Triden. Fatendum esse, ait, etiam sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi: ac propterea quoad fructum attinet nulla gratia, necessaria ad salutem, eos defraudari, qui vnâ speciem solam accipiunt,

J. B. 21. in  
decr. de  
comm. c. 39

D Thom. Vnde sicut sumit Sacerdos sanguinem Christi Sacramentaliter de calice, sic populus sumit eum intellectualiter sub specie panis de ipso corpore Christi: & est eis tam utilis, & tam dulcis, ut Sacerdotibus qui sumunt eum sub specie vini de calice. Cantic. 1. Botrus Cypri dilectus meus. Duo sumo in Botro, vuam, scilicet corpus Domini in cibum: & ex vua fugo dulcem sanguinem in potum.

Fræn. Præterea: Hæc est differentia inter cibum, & potum Eucharisticum à pane, & vino materiali: quod cibus Eucharisticus continet per concomitantiam, potum, & è converso: secus panis materialis & vinum materiale, non enim se continent: vnde non perfecte reficit panis sine potu, nec potus sine cibo: Hic autem cum cibus, & potus ad invicem se contineat per concomitantiam, sequitur quod sumens cibum, sumat tantum, ac sumens cibum & potum: Vnde cæteris paribus tantam acquirit gratiam qui sumit communionem sub vna specie ac qui sub vtraque communicat.

Cum hoc tamen stat quod ex opere operantis, ex parte scilicet maioris devotionis possit habere maiorem gratiam qui communicat sub vtraque specie: nam addit novam reverentiam & devotionem ad sumendam alteram Sacramentalem speciem.

## QUAESTIO L.

*Num liceat omnino Sacerdoti à consecratione cessare? & Laico, atque Sacerdoti non conficienti, à Communionem?*

FRæn. Circa p. p. quæstionis dicendum, non licere. Et quidem de Sacerdotibus curam animarum hæ-

bentibus, & de alijs qui tenentur aliqua obligatione ad celebrandum, per se patet non licere. De Reliquis autem Sacerdotibus idem est dicendum quantum ad omnimodam cessationem: nam in Eucharistia sacrificium Deo offertur, ad quod Sacerdos obligatur Deo ex ordine jam suscepto: unde saltem in præcipuis festis tenetur celebrare: alias peccabit mortaliter, & si nullum resulet scandalum ex cessatione à celebratione.

Si vero sit impeditus impedimento Ecclesiæ ut cum privatur executione ordinum, tunc non tenetur, nec peccat dum subiaceat tali impedimento. Nec iterum quando reditur impotens per impedimentum naturale, puta per cæcitatem, defectum digitorum & huiusmodi.

D. Thom. Quandoque etiam non tenetur propter periculum sicut patet de eo qui patitur morbum caducum, vel etiam quancunque alienationem mentis. Quandoque propter abominationem: sicut patet de leproso, qui non debet publice celebrare. Potest tamen Missam dicere occulte, nisi lepra adeo invaluerit, quod per corrossionem membrorum, eum ad hoc reddiderit impotentem.

Fran. Circa secundam quæ sit partem dicendum non licere omnino à Communionem cessare. Est enim Eucharistia de necessitate salutis in re vel in voto: unde votum eius suscipiendi debet impleri quando opportunitas adest & instat præceptum, ut in Paschate, alias frustra esset, & votum, & desiderium suscipiendi hoc Sacramentum. Unde Sacerdos non conficiens, & Laicus tenentur sumere Eucharistiam quando instat præceptum divinum, vel Ecclesiasticum, & nullum est impedimentum ad communionem sumendam.

3. p. 7. 82.  
a. 10. ad 3.



## QUAESTIO. LI.

*Num liceat ab Excommunicatis, vel haereticis, seu peccatoribus Communionem recipere, & eorum Missam audire?*

**F**RAN. Resp. Non licere: unde legitur de S. Regē Hermenegildo, quod superveniente Paschalis festivitatis die, intempestæ noctis silentio Perfidus Pater Arianum Episcopum ad eum misit, ut ex eius manu sacrilegæ consecrationis communionem perciperet: sed vir Deo deditus Ariano Episcopo venienti exprobra- vit, ut debuit. Et Canon dicit 32. distin. Nullus Missam audiat Sacerdotis, quem indubitanter concubinam no- vit habere.

Et ratio est, quia Sacerdotes si sint hæretici, schis- matici, Excommunicati, vel peccatores, quamvis ha- beant potestatem consecrandi Eucharistiam, non tamē ea recte utuntur, sed peccant utentes. Qui autem com- municat alicui in peccato, efficitur particeps peccati. Unde dicit. Apost. Joan. Qui dixerit ei, Ave, scilicet hæ- retico, cōmunicat operibus illius malignis. Et ideo non licet à prædictis Communionem accipere, aut eorum Missam audire.

D. Thom. Differt tamen inter hæc, quod Hæretici, schismatici, & excommunicati, sunt per sententiam Ecclesiæ executione consecrandi privati: & ideo peccat audiens eorum missam, vel ab eis accipiens sacramenta, non tamen omnes peccatores sunt per sententiam Ec- clesiæ executione huius potestatis privati: & sic quam- vis sint suspensi quantum ad se ex sententia divina, non tamen quantum ad alijs ex sententia Ecclesiæ. Et ideo  
vsque

vsque ad sententiam Ecclesiæ, licet ab eis communionē accipere, & eorum missam audire.

Vnde super illud 1. Cor. 5. Cum huiusmodi nec cibum sumere, dicit glossa Augustini. Hoc dicendo, noluit hominē ab homine iudicari ex arbitrio suspitionis, vel etiam extraordinario vsurpato iudicio, sed potius lege Dei (in ordinem Ecclesiæ, siue ultro confessum, siue accusatum, & convictum.

Hostia tamen à malis Sacerdotibus consecrata, est adoranda, & si reservetur, licite potest sumi à Sacerdote legitimo.

Cajet. Adverte tamen disputationes, investigationes, & canones de participantibus in Sacramentorum perceptione, & cæteris divinis eum excommunicatis, suspensis &c. hodie vacare propter statutū in Concilio Constantiensi: quo concessum est omnibus Christi fidelibus parricipare cum excommunicatis &c. nisi in duobus casibus, scilicet si fuerint nominatim denunciati, vel notorie percusserunt Clericum.

*(sup. hunc)*  
*D. Thomæ*

## QVÆSTIO LII.

### *De effectibus huius Sacramenti.*

**F**RAN. Primus effectus huius Sacramenti est gratia dicitur enim Joan. 6. Panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita. Math. 26. Hic est sanguis meus qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum. Sed vita spiritualis est per gratiam, & pariter remissio peccatorum. Ergo hoc Sacramentum causat gratiam seu gratiæ augmentum, & perfectionem spiritualis vitæ, ad hoc quod homo in se ipso perfectus existat per coniunctionem ad Deum,

Et hinc sequitur secundus effectus, scilicet, Adeptio gloriæ dicitur enim Joan. 6. Si quis manducauerit ex hoc pane vivet in æternum. Sed vita æterna est vita gloriæ. Ergo effectus huius Sacramenti est adeptio gloriæ.

1rs. 26. in  
Joan. sub  
finem.

Augu. Cum cibo, & potu id appetant homines, vt non eluriant neque sitiant, hoc veraciter non præstat nisi iste cibus & potus (scilicet Eucharisticus) qui eos à quibus sumitur immortales, & incorruptibiles facit in societate Sanctorum, vbi pax erit, & vnitas plena, atque perfecta.

Fran. Tertius effectus est remmissio peccatorum: & quidem peccatorum venialium, non est dubium. Nam hoc Sacramentum sumitur sub specie cibi nutrientis: nutrimentum autem cibi est necessarium corpori ad restaurandum id quod quotidie deperditur per actionem caloris naturalis. Spiritualiter autem quotidie aliquid in nobis deperditur ex calore concupiscentiæ per peccata venialia quæ diminuunt fervorem charitatis: & ideo competit huic Sacramento vt remittat peccata venialia.

Vnde Ambrosius dicit in libro de Sacramentis, quod iste panis quotidianus sumitur in remedium quotidianæ infirmitatis.

D. Thom. Præterea. Res huius Sacramenti est charitas (etiam gratia vt supra diximus, quia tamen gratia non est sine charitate, nec hæc sine illa, ideo dicit nunc Ang. D. quod res huius Sacramenti est charitas, sine tamen exclusione gratiæ) non solum quantum ad habitum, sed etiam quantum ad actum qui excitatur in hoc Sacramento: per quod peccata venialia solvuntur. Vnde manifestum est quod virtutem huius Sacramenti peccata venialia remittuntur.



Fran. Circa remissionem autem peccati mortalis, dicendum in primis, quod ille qui est in peccato mortali per hoc quod accipit hoc Sacramentum, magis accumulatur sibi peccatum quam remissionem sui peccati consequatur: ut constat ex supra dictis: Attamen si quis existens in peccato mortali, non habet eius conscientiam, nec affectum, & sumit hoc Sacramentum: tunc remittitur ei hoc peccatum ex vi Sacramenti.

D. Thom. Forte enim primo non fuit sufficienter contritus: sed devote, & reverenter accedens, consequetur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, & remissionem peccati. 3. p. 1. 79.  
a. 3.

Fran. Vnde supra diximus constitutum in periculo mortis habentem conscientiam peccati mortalis quod non potest confiteri eo quod non adsit Sacerdos cui confiteatur, debere prævia contritione à Diacono sumere Eucharistiam: nam forte si non habet perfectam contritionem, sed attritionem quæ sit existimata contritio, illud peccatum remittetur per sumptionem Eucharistiæ quod alias non remitteretur per attritionem, quæ esset contritio existimata, non vero perfecta & vera.

4. Effectus est, remissio pænæ peccati. Quia tamen hoc sacramentum directe & ex vi sacramenti non est institutum ad satisfaciendum, sed ad spiritualiter nutriendum per unionem ad Christum, & ad membra eius: sicut & nutrimentum unitur nutrito: ideo ex vi Sacramenti non habet remittere pænâ peccati: sed per quandam concomitantiam: nam unio ad Christum fit per charitatem, ex cuius fervore aliquis consequitur remissionem non solum culpæ, sed etiam pænæ: unde ex consequenti per concomitantiam ad principalem effectum homo consequitur remissionem pænæ, non

quidem totius sed secundum modum suæ devotionis, & arque fervoris.

*ib. e. 3. ad 3*

D. Thom. Hoc autem quod tollitur pars pænæ, & non tota pæna per hoc Sacramentum, non contingit ex defectu virtutis Christi, sed ex defectu devotionis humanæ.

Franc. Tandem ( præter alios plures effectus quos Sancti Doctores considerant provenire ex hoc Sacramento ) est alius effectus notabilis nempe præservatio hominis à peccatis futuris : vnde Joan. 6. dicitur. Hic est panis de cælo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. Quod quidem manifestum est non intelligi de morte corporali. Ergo intelligitur quod hoc Sacramentum præservet à morte spirituali quæ est peccatum, vel per peccatum.

*l. 6. c. 14.*

Tolet. Hoc nanque Sacramentum in gratia suscepta conservat hominem, & à peccatis futuris præservat ; sæpe enim homo in peccata laboretur, à quibus virtute huius cibi liberatur.

*ubi sup. a. 6. ad 1.*

D. Thom. Quia tamen hoc Sacramentum recipitur ab homine sine hominis conditionem : homo autem in statu viæ est huius conditionis quod liberum arbitrium eius potest flecti in bonum, & malum. Ideo licet hoc Sacramentum quantum est de se habeat virtutem præservativam à peccato, non tamen aufert homini possibilitatem peccandi.

Franc. Rogabis quando causet Eucharistia gratiam, & reliquos effectus ? Resp. quod quando manducatur Sacramentum complete : hoc est, quando traiecitur in stomachum : nam manducatio & potatio perfecta ( cui promissa est a Christo gratia ) non solum includit sumpcionem cibi, & potus in ore sed etiam traiectionem & deglutionem eorum in stomachum, tunc enim est per-

fecta manducatio, & potatio, ut patet in refectione corporali.

## QVAESTIO LIII.

### *De Communionem infirmorum.*

**R**ituale Romanum. Viaticum Sacratissimi Corporis Domini nostri Jesu Christi summo studio, ac diligentia aegrotantibus opportuno tempore procurandū est, ne forte contingat illos tanto bono, Parochi iniuria, privatos decedere. Cavendum autem in primis est, ne ad indignos cum aliorum scandalo deferatur, quales sunt publici usurarij, concubinarij, notorie criminosi, nominatim excommunicati, aut denunciati, nisi sese prius sacra Confessione purgaverint, & publicæ offensionis, prout de jure satisfecerint.

*De Sac.  
Euchar. de  
Com. infir.*

Fran. Infirmi autem licet sacram communionem sumere possint quamvis graviter non aegrotentur ut in festis principalibus; non tamen pro Viatico eis est ministranda, nisi quando probabile est eam amplius sumere non posse. Si contingat autem sumpto Viatico eū supervivere per dies aliquot, vel evadere mortis periculum, poterit rursus communicare.

Circa infirmos autem est advertendum quod ijs à quibus ob phrenesim, siue ob assiduam tussim, aliumve similem morbum, aliqua indecentia cum iniuria tanti Sacramenti timeri potest, non debet dari Viaticum. Et huiusmodi infirmis non volentibus communicare, vel alijs quibuscunque tam sanis quam infirmis non debet deferri Eucharistia ad adorandum solum, vel ad ostendendum, seu devotionis, seu cuiusvis rei prætextu.

Remig. Nunquam tamen Sacerdos non ieiunus celebrabit ad dandam infirmis communionem, ut consecret

*In pr. mor.  
c. 14. §. 1.  
n. 8.*

formam, eo quod non adsit forma consecrata ut detur ei. Nam susceptio Eucharistiæ est necessaria ad salutem, in re, vel in voto. Vnde in hoc casu infirmus cum voto Eucharistiæ, & per Confessionem poterit in statu gratiæ constitui: & quamvis communio in articulo mortis sit de jure divino, celebrare autem missam de jure positivo humano, tamen in hoc casu excusatur infirmus ab impletione præcepti divini, cum hoc nequeat debita adimpleri decentia.

Ipse autem Sacerdos in articulo mortis, si non adsit alius Sacerdos, poterit nonieiunus celebrare ut se ipsum communicet: nam is non habet cui confiteatur: nec iterum poterit asscurare salutem cum voto Sacramenti, ac proinde poterit se ipsum communicare ad acquirendam primam gratiam mediante Eucharistia.

Circa pueros autem in articulo mortis est probabilior opinio posse Parochum ministrare eis Eucharistiam pro Viatico, quamvis antea nunquam communicaverint in Paschate: prius tamen tenetur, cum dubitaverit de eorum capacitate, instruere eos circa hoc mysterium, ad excitandam, & augendam devotionem.

Fran. Tandem est dubium num qui sumpsit Viaticum intra tempus Paschatis, v. g. feria 2. Hebdomadæ Sanctæ, seu maioris, si non moriatur intra tempus Paschatis, teneatur sumere Communionem pro adimplendo præcepto Ecclesiæ? Respondeo teneri: nam ex vna parte est præceptum Ecclesiæ de communicando tempore paschatis: & ex alia, sumptio Viatici non impedit hanc adimplentionem præcepti Ecclesiastici, ut per se patet in hoc casu. Ergo tenebitur ad communionem temporis paschatis, quamvis sumpserit Viaticum intra idem tempus.

## QVÆSTIO LIV.

## De Sacrificio Missæ.

**D**. Thom. Sacrificia proprie dicuntur quando circa 2. 2. q. 85.  
 res Deo oblatas aliquid fit, sicut quod animalia oc- 4. 3. de 3.  
 cidebantur, & comburebantur, quod panis frangitur,  
 comeditur, & benedicitur: & hoc, ipsum nomen so-  
 nat. Nam sacrificium dicitur ex hoc quod homo facit  
 aliquid sacrum. Oblatio autem directe dicitur, cum  
 Deo aliquid offertur, etiam si nihil circa ipsum fiat:  
 sicut dicuntur offerri denarij, vel panes in altari, circa  
 quos nihil fit. Vnde omne sacrificium est oblatio, sed  
 non è converso.

Noſter Sapientiffimus M. Fr. Joſephus Bertran Scrip in. M, S, C,  
 turæ Sacræ Cathedraticus Oſceniſis. Sacrificium igitur et. de ſacri.  
 eſt oblatio immutativa rei oblatae. In quo omnes con- Miſſ. q. 1.  
 veniunt: quamvis ſit difficultas in assignando quæ, & diſp. 1. n. 2.  
 qualis debeat eſſe hæc immutatio? Ad quod Reſpondeo  
 debere eſſe immutationem phyſicam. Vt conſtat ex no-  
 minibus ſacrificiotum. Nam Hæbrei appellabant ſacri-  
 ficium, maſtationem, Græci exhalationem, Latini  
 immolationem: quæ omnia nomina conſumptionem  
 victimæ oblatae denotant.

Fræn. Notandum tamen quod ad ſacrificium non re-  
 quiritur totalis immutatio rei oblatae, ſed ſufficit par-  
 tialis. Vnde in ſacrificio memorato levit. 16. offereban-  
 tur duo hirci, quorum vnus quidem mittebatur in de-  
 ſertum vivus, alter vero occidebatur.

Gabriel de Henao. Id quod ſufficit vt ſacrificiū ha- De ſacriſ.  
 bens pro re oblata duos hircos, peractū non fuerit ſine Miſ. diſp. 1.  
 deſtructione phyſica quoad vnam ſaltem partem: neque s. 1. n. 4.

neceſſe eſt, vt in ſacrificio ſive vnius, ſive geminæ rei  
 detur deſtructio phyſica totalis, ſed ſufficit quæ partia-  
 lis ſit.

Franc. Apparet igitur ad ſacrificium requiri phyſi-  
 cam immutationem rei oblatę, vel de vita in mortem,  
 vt in animalibus ſacrificatis, vel conſumptionem per  
 ignem vt in Thure incenſo in igne, vel conueſtionem,  
 & hauſtum vt in cibo, & potu: & ſufficere partialem  
 immutationem, vt oſtenſum eſt.

Vt ſuperius requiritur ad ſacrificium, miniſter Idoneus,  
 & legitimus, ſcilicet Sacerdos, regulariter tamen: nam  
 ſacrificia regulariter commiſſa erant Sacerdotibus: at  
 vero non ſtante vlla inſtitutione, vel prohibitione, po-  
 terat quis privata auctoritate ſacrificiũ offerre.

Rurſus. Requiritur ad ſacrificium, quod id exhibea-  
 tur Deo: nullus enim unquam ſacrificandũ cenſuit niſi  
 ei quem Deum aut ſcivit, aut putavit, aut ſinxit. Vt di-  
 cit Aug. de civit. Dei. 10. c. 4.

Et tandem ad ſacrificium requiruntur ceremoniæ, &  
 ſolenitates perſonæ, veſtium, loci: de quibus omnibus  
 ſm quod nunc in lege nova requiruntur ad ſacrificium  
 Miſſæ, infra agemus.

His præiactis ſacrificium in communi definitur ſic.  
 Actus offerens Deo in honorem eius ſupremæ diuinita-  
 tis aliquam rem cum huius immutatione. Definitio iſta  
 ſubſtantialiter complectitur ea omnia quæ ad eſſentiam  
 ſacrificij attinent. Conſultò tamen ommittimus dice-  
 re ſacrificium eſſe actum virtutis. Nam ſi ſic poneret-  
 ur, non comprehenderentur ſacrificia inanibus & fal-  
 ſis Dijs oblata ( ſi tamen eis tribuendum eſt nomen ſa-  
 crificij) cum ea non eſſent actus virtutum imo ſacrilegi,  
 & execrandi actus. Item non addimus in definitione  
 ( actus exterior ) ſed tantum ( Actus ) nam per reliqua  
 verba

verba definitionis satis constat hic definiri sacrificium externum quod est actus exterior, cum fiat offerendo, & immutando rem, quæ quidem oblatio, & immutatio præferunt exterioritatem.

Vnde huiusmodi sacrificium est signum, & protestatio interioris subiectionis hominis ad Deum, cui interne deuotam mentem offert, & de quo interno sacrificio quo deuote anima se ipsam offert Deo vero dicitur Psalm. 50. Sacrificium Deo spiritus contribulatus.

Hinc Magnum & diuinum Missæ sacrificium potest definiri sic. Immolatio incruenta Christi facta ab Evangelicæ legis Sacerdote in Ara Altaris, exhibita que summo soli vero Deo in ipsius cultum, & reuerentiam supremæ Maiestatis, & Excellentiæ.

Ante explicationem huius definitionis sciendū quod hoc nomen ( Missa ) significat illam celebrationem quæ agit Sacerdos in altari ab antiphona. Introibo ad altare Dei, vsque ad finem vltimi Evangelij. Et dicitur Missa, vel quia in hac celebratione Christus est nobis hostia Missa à Patre per consecrationem: & per oblationem, & sumptionem à nobis remittitur ad Patrem. Vel quia populus per Sacerdotem, & Sacerdos per Christum mittit præces ad Deum. Vel quia in fine Missæ dicitur. Ite missa est. Quasi dicatur fidelibus. Ite, jam enim missio hostiæ ad Patrem facta est, vel missa est hostia ad Patrem.

Nunc explicatur definitio. Dicitur ( Immolatio incruenta Christi ) nam in sacrificio Missæ idem Christus Dominus qui in ara Crucis semel cruenta se obtulit, hic continetur & immolatur incruente. Non enim hic moritur Christus sicut mortuus fuit in Cruce, vbi anima & sanguis eius realiter fuerunt separata à suo cor-

port. Hic autem ubi recolitur memoria passionis & mortis Christi in Cruce, mystice moritur Christus in quantum ex vi verborum consecrationis panis, separatur corpus sub speciebus panis à sanguine sub speciebus vini, & è converso.

Deinde dicitur, Facta ab Evangelicæ legis Sacerdote in ara altaris. Nam minister huius sacrificij non est quælibet persona, sed Sacerdos novæ legis. Unde D. Th. Sic sacrificium istud instituit (Christus) cuius officium committi voluit solis presbyteris. Dicitur ara altaris, idest lapis benedictus, & consecratus repræsentans & Crucem in qua Christus mortuus est, & sepulcrum lapideum in quo Corpus Christi descensum de Cruce fuit reconditum in monumento.

Reliqua verba denotant hanc immolationem, esse lætitiæ actum quo colitur Deus Optimus Maximus, exhibetur que ei salutaris hostia corporis & sanguinis Christi in odorem suavitatis, & in recognitionem suæ veræ supremæ que Maiestatis, & super excellentiæ.

## QUAESTIO LV.

*Num sacrificium Missæ sit verum & proprium sacrificium?*

**F**RAN Resp. affirmative. Et est de fide definitum in Conci. Tridente Sacrif. Missæ Can 1. Vbi dicitur. Siquis dixerit in missa non offerri Deo verum, & proprium sacrificium; aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari, anathema sit.

Dicunt tamen Hæretici. Quod imago & representatio sacrificij non est sacrificium; Missæ autem sacrifi-



clum est repræsentatio cruenti sacrificij peracti in Ciu-  
ce. Ergo non est verum sacrificium, sed metaphoricum,  
& repræsentativum.

Mag. Bertran. Respondeo tamen quod non semper ubi sup. q. 2  
dis. 1. n. 20  
imago alterius, nomine tenus tantum est talis. Filius  
enim est imago Patris in humanis, & alias est proprie,  
& in rigore homo. Deinde Hæretici celebrant suas  
cænas in communionē cænæ factæ à Christo fer. 1. An-  
te diem festū Paschæ; & tamen non sunt cænæ imagina-  
riæ, sed reales, cum realiter sumant cibum, & refectio-  
nē. Similiter in lege veteri sacrificia repræsentabant sa-  
crificium cruentū Christi, & non solū metaphorice, sed  
proprie erant sacrificia (nam reperiebatur immutatio  
rei oblatae) Quare dicendum est sacrificiū Missæ dici re-  
præsentativum passionis Christi quatenus in Missa idem  
Christus incruente immolatur, & dicitur sacrificiū, qua-  
tenus est oblatio Christi ipsum physice immutans.

Fran. Hęc autem physica immutatio, quam supra dixi-  
mus requiri ad sacrificium, videtur intelligibilis. Nam  
in primis Sacerdotes ex vi consecrationis & oblationis  
physice non immutant Christum, sed mystice. Præter-  
quam quod physice immutare Christum non est sacrifi-  
care, sed occidere Christum, quod est magnum pec-  
catum, quale commiserunt occissores Christi. Deinde,  
Christus resurgens ex mortuis iam non moritur ut dici-  
tur Rom. 6. Unde physice non potest immutari nec in  
consecratione, nec in oblatione, nec in sumptione.  
Ergo in sacrificio Missæ non datur immutatio physica.  
Re'p. dari physicam intelligibilem immutationem ex  
parte actionis consecratiuæ; fit enim physica transub-  
stantiatio panis, & vini, in corpus, & sanguinem Christi.  
Et consecratio panis ex vi verborum significat separa-  
tionem corporis à sanguine, licet in re per concomitan-

tiam corpus sit sanguini coniunctum. Et é converso contingit in consecratione vini. Unde in consecratione datur physica immutatio in significando.

Et istæ duæ actiones consecratiuæ correspondent voluntati Christi qui voluntarie se obtulit physiciæ passioni cruciatæ ad mortem pæferendam per realem separationem animæ & sanguinis à corpore.

Et hinc patet ad 1. Nam Sacerdos voluntate Christi perficiens hoc Missæ iacruentum sacrificium, licet faciat actiones & consecrationes ex se separativas corporis à sanguine Christi, & sanguinis à corpore: tamen non assimilatur occisoribus Christi qui non dicuntur hostiam Deo obtulisse, sed graviter deliquisse; sed ipsi Christo, qui voluntarie tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suavitatis. Et hoc pacto immolare Christum in altari cum actionibus ex se physice immutativis non est peccatū, sed est exequi Christi voluntatem quam ostendit in vltima cæna dicens Apostolis, Hoc facite in meam commemorationē.

Luc. 22.

Ad 2. Dicendum. Quod in consecratione datur actio physica quantum est de se physice immutativa: & iterum licet in oblatione præscissa à consecratione non detur aliqua immutatio, tamen etiam in sumptione datur immutatio, cum per eam desinant esse sm Sacramentale esse, corpus, & sanguis Christi sub speciebus Sacramentalibus quæ per sumptionem corrumpuntur.

## QVÆSTIO LVI.

*De Materia, & forma sacrificij Missæ.*

**F**Ran. Duplicem materiam habet Eucharisticum sacrificium, aliam. Quæ, nempe corpus, & sangui-

nem Christi Hæc enim offeruntur Deo. Aliam, Ex qua Panem, scilicet, & vinum quæ per consecrationem transubstantiantur in corpus, & sanguinẽ Christi.

Salazar. Forma autem sacrificij est eadem ipsa, ac forma Sacramenti Eucharistiæ, sub diversa tamen ratione. Nam verba consecrationis sm quod significant gratiam Eucharisticam quam causat sacramentum Eucharistiæ sunt forma huius Sacramenti. In quantum vero significant sub speciebus Sacramentalibus panis, & vini contineri corpus, & sanguinem Christi, in quantum per illa verba intendit Sacerdos facere mysticam separationem Corporis, & sanguinis Christi sunt forma huius sacrificij Missæ.

*In promptu.  
tra. 5. §. 2.*

Fran. Et hinc habetur Sacramentum Eucharistiæ significare & causare gratiam; sacrificium vero Missæ nec causare, nec significare gratiam, sed dicere cultum & honorem Dei Domini vitæ, & mortis: licet Deus per oblationem huius sacrificij sibi acceptissimi maxima nobis conferat bona.

## QVÆSTIO LVII.

*Num sacrificium Missæ solum in consecratione consistat?*

**L**ean. de SS. Sacr. Probabilius resp. in sola consecratione reperiri totam essentiam, & substantiam huius sacrificij. Ratio est quia hoc sacrificium essentialiter habet quod sit memoriale passionis Christi, juxta verba eiusdem: Hoc facite in meam commemorationẽ. Sed in consecratione consistit hoc memoriale, quatenus videlicet ex vi verborum seorsum consecratur corpus, & seorsum sanguis. Ergo in sola consecratione essentialiter consistit sacrificium Missæ.

*to. 2. tra. 8.  
dis. 9. 4.*

Frān. Licet autem non essentialiter, integraliter tamen constituunt hoc sacrificium oblatio, & sumptio. Nam sacrificium fit ut offeratur: & sumptio ut sacrificium offerens fiat particeps sacrificij: & ideo sacrificiū Missæ essentialiter consistens in consecratione, perficitur in oblatione, & sumptione.

Consecratio autem utriusque speciei requiritur essentialiter: nam Christus Dominus sub utraque specie instituit hoc sacrificium ad representandam suam passionē, & mortem. Se ipsum enim sub utraque specie dedit discipulis nocte ultimæ cænæ, quando instituit hoc sacrificium: unde essentialiter requiritur utraque consecratio panis, scilicet, & vini.

Oblatio autem est duplex. Alia præparatoria, illa scilicet in qua panis, & vinum præparantur ante Præfationem, & Canonem Missæ, & offeruntur Deo, ut postea consecrentur. Et quidquid in hac oblatione non est præparatum, non debet consecrari. Vnde formæ, seu hostiæ parvæ quæ consecrari solent ad populi communionem in hac oblatione debent offerri prius, ut dicitur in Missali in ritu celebrandi Missam §. 7. n. 3. Quamvis in aliquo casu vinum possit consecrari, quin fuerit prius in hac oblatione oblatum ut habetur in Rubr. Missalis de defectib. circa Miss. occurrentibus. §. 4. n. 4.

Igitur redeundo ad propositum, Hęc oblatio est quid necessarium prævie ad consecrationem: & per se patet eam non esse partem nec adhuc integram huius sacrificij, licet sit pars integralis actionis, vel celebrationis Missæ, quemadmodum etiam plura alia sunt integran-  
tia, missam, ut Epistola, Evangelium &c. quin tamen sint partes sacrificij.

Alia oblatio est post consecrationem quæ incipit ab illis verbis Unde & memores &c. & perficitur per duas

sequentes orationes, nempe. Supra quæ propitio &c. Et, triplices te rogamus. Vbi hostia consecrata, panis sanctus scilicet vitæ æternæ, & calix salutis perpetuæ offertur Deo. Et hæc oblatio est pars perficiens sacrificium.

Et tandem. Est sumptio, in qua Sacerdos se communicans sumit corpus, & sanguinẽ Christi. Et tunc totaliter perficitur hoc sacrificium.

Et hinc habetur, quod non agitur sacrificium Missæ, quando non fit consecratio: vt in die Parasceves, in qua, hostia pridie consecrata & reposita in monumento sumitur à Sacerdote. Nec pariter fit sacrificium, quando hostia populo adoranda proponitur vt in quadraginta horis, & per infra octavam corporis Christi, & alijs diebus in quibus hostia consecrata prius, collocatur in patenti loco.

Bonaci. Fit autem sacrificium quando Sacerdos hostiam quam in Missa consecrauit, reponit in sacrario, & ipse sumit hostiam ab alio consecratam: adest enim consecratio, oblatio, & sumptio.

Disp 4. de  
Euch. q. 21.  
de sac. Mis  
p. 2. n. 5.  
tom. 1.

## QUAESTIO LVIII.

*Num sacrificium Missæ sit unicum Christianorum  
Sacrificium?*

**S.** Leo Magnus loquens Christo Domino. Nunc etiam carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum, vna corporis, & sanguinis tui implet oblatio: quoniam tu es verus agnus Dei qui tollis peccata mundi: & ita in te vniversa perficis mysteria, vt sicut vnum est pro omni victima sacrificium, ita vnum de omni gente sit Regnum.

ser. 8. de pas  
Dominipost  
med.

2. disp. 1. Mag. Bertrán. Et hoc est de fide. Et probatur ex Conci.  
 ubi. su. 9. Trident. in proem, sess. 22. vbi habetur, sacrificium  
 n. 3. Missæ esse singulare sacrificium. Probatur etiam ex  
 communi sensu Totius Ecclesiæ, dicentis. Deus qui leg  
 galium differentias.

## QVÆSTIO LIX.

### *De Valore sacrificij Missæ.*

**F**RAN. Valor ex opere operato sacrificij Missæ sump  
 tus ex parte Christi principalis offerentis, & ex par  
 te hostiæ oblatæ, quæ etiam est ipse Christus (Christus  
 enim est Sacerdos, & hostia) est infinitus intensive &  
 quo ad sufficientiam. Finitus vero quoad efficaciam, &  
 in actu secundo. Ratio est quia sacrificium illud est in  
 finitum in quo res oblata, & principalis offerens est in  
 finitus: sed in hoc sacrificio tam res oblata quam prin  
 cipalis offerens est Christus qui est infinitæ dignitatis.  
 Ergo valor sacrificij Missæ infinitus est ex parte princi  
 palis offerentis, & rei oblatæ. Attamen quia de facto  
 in singulis effectû finitû operatur dicitur finitus quoad  
 efficaciam, & in actu secundo.

Et hinc infero hoc sacrificium tantum prodesse sin  
 gulis, quam si pro vno solo offerretur. cum enim sit  
 infiniti valoris, non minuitur per applicationem ad plu  
 res: & ideo dicendum, hoc sacrificium etiam habere  
 valorem infinitum extensivum. Vnde Sacerdos potest  
 offerre hoc sacrificium integre tam pro eo pro quo te  
 netur celebrare ratione stipendii, vel alio titulo, quam  
 pro omnibus, & singulis qui sunt capaces huius sacri  
 ficij. qui autem sint hi, & pro quibus Sacerdos licite  
 potest offerre, infra videbitur.

Noster Venerabilis Joannes Falconi. Si forte autem *Inopus. de*  
 opposita opinio (nempe ea quæ asserit sacrificiū Missæ *Memo. Miss.*  
 non prodesse æqualiter multis ac si pro vno offerretur,  
 & hunc defraudari si æqualiter & integre pro cæteris ac  
 pro eo offerretur) sic quæ est vera Sacerdos poterit ap-  
 plicare sic Missã. Nempe: celebros hanc Missam pro om-  
 nibus personis Mundi: intendo tamen in nullo defraudari  
 personam pro qua specialiter celebros, nec ullam aliam.

Et hac intentione abs dubio poterit Sacerdos offerre  
 Missam integram & specialiter pro omnibus personis  
 mundi: sic enim nullum defraudat: cū huiusmodi inten-  
 tio expellat omnem defraudationem, vt per se patet.

## QUAESTIO LX.

### *De effectibus sacrificij Missæ.*

**C**oncil. Trid. Quoniam in hoc diuino sacrificio *sess. 22. de*  
 quod in missa peragitur idem ille Christus conti- *sacri. miss.*  
 netur, & incruente immolatur qui in ara Crucis semel *6. 2.*  
 se ipsum cruce obtulit docet Sancta Synodus, sacri-  
 ficium istud vere propitiatorium esse per ipsum que  
 fieri: vt si cum vero corde, & recta fide, cum metu, &  
 reverentia, contriti ac penitentes ad Deum accedamus,  
 misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in  
 auxilio opportuno.

Huius quippe oblatione placatus Dominus gratiam,  
 & donum pænitiæ concedens, crimina, & peccata  
 etiam ingentia dimittit. Vna enim eadem que est hostia,  
 idem que nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui se  
 ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione di-  
 versa. Cuius quidem oblationis, cruentæ, inquam,  
 fructus per hanc incruentam vberrime percipiuntur:

tantum abest vt illi per hanc quouis modo derogetur.

Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo, non dum ad plenum purgatis, ite juxta Apostolorum traditionem offertur.

Fran. In primis igitur hoc sacrificium habet effectum propitiatorium: Nam Christus est propitiatio pro peccatis nostris vt dr. 1. Joan. 2. & Deus proposuit Christum propitiatorem per fidem in sanguine ipsius vt dicitur Rom. 3. Vnde offertur pro peccatoribus existentibus in peccatis mortalibus ad propitiandum & placandum Deum vt conferat eis gratiam & propitietur eis, faciens eos exire à vijs suis pessimis, & dans eis auxilia, & donum pœnitentiæ vt reconcilientur Deo, & fiant per ipsius gratiam filij Dei, qui erant per peccatum filij iræ.

Habet etiam effectum impetratorium ad impetrandum à Deo bona quæ ab ea petimus.

Bonaci. Ratio patet tum ex usu Ecclesiæ quæ consuevit in hoc sacrificio pro necessitatibus tam spiritualibus quàm temporalibus orare, quamvis temporalia non obtineantur, aut non statim obtineantur: nam pœnitentur sub implicita conditione, si conducant ad salutem. Tum quia fideles semper crediderunt magnam vim tribui orationi ad impetrandum effectum per coniunctionem orationis cum sacrificio, quamvis effectus à nobis intentus re ipsa non obtineatur infallibiliter, nihilominus sacrificium tribuit magnam vim orationi eam que magis dignam efficit vt exaudiatur, habetque suum effectum ex opere operato.

Tertius effectus sacrificij est satisfacere pro peccatis, & ob id dicitur satisfactorium. Prodest enim ad remittendam peccatorum pœnam,

to. 7. disp.  
4. q. 1. vlt. p.  
3. n. 6.

n. 7.



Salazar. Ad obtinendum autem effectum impetratorium, oportet esse in statu gratiæ illum pro quo hoc sacrificium offertur: non enim obtinebit mercedem à Rege, qui est extra eius gratiam, & amicitiam. Pari- ter ad obtinendum effectum satisfactorium, seu remis- sionem pænæ temporalis debite pro peccato actuali, oportet eum pro quo offertur esse in statu gratiæ, in quo sunt animæ Purgatorij pro quibus etiam offertur hoc sacrificium in satisfactionem pro earum peccatis, seu pænis debitis pro peccatis.

In promp.  
114.5.5.2.

## QUAESTIO LXI.

*De Ministro Sacrificij Missæ.*

**F**RAN Minister huius sacrificij est Sacerdos novæ le- gis, ut supra dictum est, qui easdem dispositiones de- bet habere ad celebrandum hoc sacrificium, quas debet habere ad conficiendum Sacramentum Eucharistiæ: nempe quod sit in statu gratiæ, quod accedat ieiunus, &c.

## QUAESTIO LXII.

*Num Missa mali Sacerdotis minus valeat quam Missa Sacerdotis boni?*

**D.** Thom. In Missa duo est considerare, scilicet ip- sū Sacramentum quod est principale: & oratio- nes quæ in missa fiunt pro vivis, & mortuis. Quantum ergo ad Sacramentum non minus valet Missa Sacerdo- tis mali quam boni: quia utrobique idem conficitur Sa- cramentum. Oratio autem quæ fit in Missa, etiam po- test considerari dupliciter. 1. in quantum habet effica-

3. p. 982.  
4. 6.

ciam ex devotione Sacerdotis orantis. Et sic non est dubium quod Missa melioris Sacerdotis magis est fructuosa. 2. In quantum oratio profertur in Missa à Sacerdote in persona totius Ecclesiæ, cuius Sacerdos est minister.

Vnde etiam quantum ad hoc est fructuosa non solum oratio Sacerdotis peccatoris in Missa: sed etiam omnes eius orationes quas facit in Ecclesiasticis officijs in quibus gerit personam Ecclesiæ: licet orationes eius privatæ non sint fructuosæ: sicut illud Provr 28. Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.

## QUAESTIO LXIII.

*De his pro quibus potest offerri Missa.*

**F**RAN. Præmittendum est communiter tres assignari divisiones valoris sacrificij Missæ. 1. Generalis: est que ille quem Ecclesia in orationibus Missæ intendit applicari à Sacerdote pro omnibus fidelibus vivis, atque defunctis, pro summo Pontifice, pro Episcopo, Rege, pro que circumstantibus audientibus Missam. Vt constat ex Missali in Ordine Missæ. 2, est Particularis: & is est duplex, alius ipsius Sacerdotis celebrantis, & alius personæ pro qua intendit celebrare Sacerdos.

Hoc igitur præmissis Sacerdos licite applicat valorem generalem Missæ in intentionem Ecclesiæ pro omnibus illis pro quibus Ecclesia vult applicare: & hæc applicatio continetur in orationibus quæ habentur in Ordine Missæ: ut in Iy. Suscipe sancte Pater Omnipotens. &c. Et in Te igitur &c. ante memento vivorum: & post, Memento.

Deinde valor particularis pertinet ipsi Sacerdoti est

conueniens ipsi tanquam ministro, & sane quanto feruentior, deuotior que celebraverit, tanto plus ipsi pertinebit de valore sacrificij. Et sane quidquid alij dicant, censeo nullo modo posse Sacerdotem hunc valorē sibi correspondentem tanquam ministro applicare alteri. Nā is valor est impræscindibilis à Ministro cui ut talis correspondet; & sicut ministerium personale proprium & individuale nequit facere quod sit alterius: ita neque quod valor correspondens huic ministerio possit applicari alteri quam ministro qui est ipse Sacerdos celebrans.

Nec obstat Leand. de SS. Sacr. oppositum asserens, to. 2. tr. 8.  
disp. 4. q. 6 & sic arguens. Omne opus bonum, non quatenus est meritorium, sed quatenus est satisfactorium est applicabile alteri ab ipso operante; ut patet in ipsamet communiōe sacra quam tam laici quam religiosi solent pro alijs offerre. Ergo multo melius poterit celebrans fructum specialem sibi proprium alijs applicare.

Non inquam obstat. Nam hoc argumentum vim habet circa bona opera facta à privatis personis, quibus liberum est ea alijs applicare prout sunt satisfactoria: hic autem sic est connexus valor ministro correspondens, ut nequeat nisi ministro prodesse: non enim opus ministerij est personæ privatæ, sed publicæ & in dignitate constitutæ cui sub hac ratione correspondet valor, & fructus sacrificij qui non correspondet alteri, cū non sit is minister,

Rogabis quantus sit iste valor ministro correspondens: Resp: quod est tantus quantus est valor particularis personæ pro qua Sacerdos tolet celebrare: & uterque valor finitus est, & taxatus à Deo cui nota est utriusque valoris quantitas. Et sm maiorem, vel minorem deuotionem offerentis sacrificium, & eius pro quo offertur, erit maior, vel minor fructus sacrificij.

Et nota quod communiter valor sacrificij competens ministro vocatur valor specialis, vel specialissimus: valor autem competens subiecto pro quo offertur valor medius.

Igitur Sacerdos potest offerre sacrificium directe pro quocunque fidei tam vivo quam defuncto. Pro infidelibus autem indirecte & generaliter: quod fit cum Sacerdos offert pro exaltatione fidei Catholicæ: unde indirecte sequitur conversio infidelium.

Leand. de SS. Sacr. Circa excommunicatos autem dicendum posse Sacerdotem, suo nomine, vel quatenus est privata persona secretas, & privatas preces in Memento Missæ pro quolibet excommunicato effundere: licet non possit nomine Ecclesiæ, aut nomen excommunicati in eo ita exprimere, vt audiri possit. Ratio est, quia non prohibetur ab Ecclesia privata oratio pro excommunicatis, sed solum publica, & quæ fit nomine Ecclesiæ.

Fran. Idem est dicendum circa hæreticos baptizatos: cum enim hi sint excommunicati: nomine Ecclesiæ non potest Sacerdos pro eis offerre sacrificium, vel orare Deum: bene vero privatam orationem facere pro illis.

Quare pro nullo non baptizato potest offerri directe hoc sacrificium: nam is est extra baptismum, & extra Ecclesiæ januas: unde Ecclesiæ sacrificium directe nequit illis applicari: & pariter non potest offerri pro hæreticis, & Excommunicatis, nisi sm considerationem nuper factam. Nec pro damnatis qui sunt in inferno: cum non sint membra Christi, nec actu, nec potentia. Nec pro Beatis existentibus in Cælo, cum sint liberi à culpa, & pena.

no. 2. tra. 8.  
disp. 2. q. 11

## QVAESTIO LXIV.

*Quibus diebus liceat celebrare Missam?*

**F**RAN. Omnibus fere diebus anni licet celebrare Missam Sacerdotibus alias non impeditis præter diem feriæ sextæ Parasceves, qua die non fit consecratio: unde nequit celebrari Missa. Nec tunc si occurrat festum de præcepto colendum tenentur fideles audire Missam, cum non celebretur: tenentur vero cessare ab operibus servilibus ratione festi colendi de præcepto.

Circa vero feriam quintam in Cæna Domini, & Sabbathum Sanctum maioris hebdomadæ dicendum quod prædicta feria quinta liceat celebrare Missam, dummodo id fiat ante quam finiatur Missa solemnis, & recondatur Corpus Christi in Monumento, & absit scandalum, si forte alicubi propter ignorantiam detur. In sabbato autem sancto non licet celebrare privatas missas, cum missa tunc assignata in Missali sit connexa cum officio publico quod in Choro cantatur. Si vero tunc occurreret festum de præcepto colendum poterunt missæ privatae celebrari, incipiendo ab eo principio a quo incipit celebrans missam maiorem seu solemnem, & proseguendo eam missam ibi assignatam prout ibi ponitur.

## QUAESTIO LXV.

*Num liceat eadem die plures Missas celebrare?*

**F**RAN. Non est quæstio de die Nativitatis Domini N. Jesu Christi in qua tres missæ celebrantur propter triplicem Christi nativitatem. Quamvna est æterna,

quæ quantum ad nos est occulta. Et ideo vna missa cantatur in nocte, in cuius Introitu dicitur Dominus dixit ad me filius meus es tu, ego hodie genui te. Alia autem est temporalis, sed spiritualis: qua scilicet Christus oritur tanquam lucifer in cordibus nostris. Et propter hoc cantatur Missa in aurora, in cuius introitu dicitur. Lux fulgebit hodie super nos. Tertia est Christi nativitas temporalis, & corporalis sicut quam visibilis nobis processit ex utero virginali carne indutus. Et ob hoc cantatur tertia missa in clara luce, in cuius introitu dicitur. Puer natus est nobis.

D. Thom. Licet è conuerso possit dici quod natiuitas æterna sicut se est in plena luce. Et ob hoc in Evangelio tertiæ missæ fit mentio de natiuitate æterna. Secundum natiuitatem autem corporalem ad litteram natus est de nocte in signum quod veniebat ad tenebras infirmitatis nostræ: vnde in missa noctis dicitur Evangelium de corporali Christi natiuitate.

Leand. de SS. Sacr. Sciendum tamen quod adhuc Parochi non tenentur secluso scandalo, aut contemptu dicere tres missas in die natalis Domini. Quia parochiani non tenentur eo die tres missas audire. Ergo nec Parochi eas illis dicere.

Fran. Qui autem Sacerdos vnâ tantum missam vellet celebrare eo die, tenebitur dicere illam correspondentem tempori quo celebrat: primam nempe si celebrat in nocte: secundam si celebrat summo mane: & tertiam si celebrat hora tertia, vel circiter. Alias prævertet ordinem consuetum Ecclesiæ. Qui autem celebrat tres, potest eas celebrare à summo mane, & deinceps: non tamen in nocte poterit celebrare nisi primam missam, ut gravissimi tenent Doctores; licet non desint alij oppositum asserentes.

3. p. q. 83.  
4. 2. ad. 2.

His sup. dis.  
5. q. 30.

Nec etiam est quaestio num Sacerdos possit celebrare duas missas, vel tres, si habeat privilegium, & facultatem celebrandi, uti habent Regulares in Aragonia celebrandi tres missas in die Commemorationis Omnium fidelium defunctorum; & Plures Parochi celebrandi duas missas in diebus festis, eo quod habeant duas parochias, quos etiam posse celebrare duas missas in diebus non festis asserit Suarez, dummodo in his diebus sit sufficiens numerus fidelium audientium missam. Et tandem nonnulli Capellani etiam habent facultatem celebrandi duas missas in diebus festis.

sup. 3. p. 4.  
82. a. 2.  
sect. 3.

Alijs autem diebus regulariter non potest celebrari nisi una missa, sic enim statutum est Ecclesiastico iure. Est autem difficultas in casibus necessitatis. V. g. cum debet dari aegrotis Viaticum & non adest forma consecrata. Vel cum accedunt ad locum die festo plures itinerantes, & non est missa quam audiant. Vel cum defuncti corpus sepeliendum est cum missa: vel tandem in aliquibus casibus necessitatis.

Resp. ad 1. Quod si sacerdos sit jejunus poterit iterum celebrare addere que formam ut communicet pro Viatico aegrotum. Qui casus potest accidere cum Sacerdos celebrans sumpta hostia consecrata, vel etiam vino consecrato admonetur antequam quidpiam aliud sumat, de necessitate aegroti. Si vero admonetur ante summptionem hostiae poterit de ea particulam servare ad tribuendum Aegrotis Viaticum.

Probabile etiam iudico in 2. casu si plures adveniant, posse Sacerdotem missam inchoatam etiam si finierit Evangelium, posse denuo inchoare, secus, si processit ad offertorium, vel iam finierit Missam. In tertio autem casu, nullo modo licet bis celebrare: sed poterit usque in sequentem diem asservari defuncti corpus.

*tra. 5. §. 2.* Salazar. In casu autem magno concursus ad audien-  
dam missam ita ut omnes non possint simul audire mis-  
sam, poterit Sacerdos bis celebrare semel parti concur-  
sus, & semel alteri parti.

Fran. Pariter in India v. g. ubi vnus Sacerdos nequit  
vna celebratione omnibus fidelibus satisfacere poterit  
duas missas celebrare: nam adest vrgens necessitas.

Notandum tamen quod Sacerdos bis celebrans in  
prima missa non possit sumere nisi hostiam & vinum con-  
secratum, ne frangat ieiunium si sumat purificationem,  
vel ablutionem: curabit igitur diligenter sumere om-  
nem sanguinem, ne ibi quidpiam remaneat. Et ad vi-  
tanda scrupula, num forte sanguis sit totaliter sumptus,  
& consumptus, poterit calicem cum stupis siccare, &  
postea comburere stupas, eas que reuerlas in pulveres  
proicere in Piscinam Ecclesie, seu sacrarium.

Tandem notandum, Sacerdotem habentem duas pa-  
rochias non posse in feria 5. in Cæna Domini in vtra-  
que consecrare Eucharistiam sumendam in Parasceve  
cum vino non consecrato. Sed consecrabit in Ecclesia  
principaliori, vel in vna, vno anno, & in alia, alio, si sint  
æquales, ubi celebrabit officia illorum dierum.

## QUAESTIO LXVI.

*De diebus in quibus tenentur Sacerdotes celebrare Missam.*

**F**RAN. De Sacerdotibus curam anima: ū habentibus:  
de Cappellanis: de que alij qui ob stipendium ac-  
ceptum, vel alio titulo tenentur celebrare est quaestio.  
Nam de Sacerdotibus solutis ab his titulis & obligatio-  
nibus iam supra actum est.

Dico igitur primò Parochos teneri singulis diebus



festis celebrare missam. Item quoties celebratio populo est necessaria : vt cum danda est benedictio nuptialis, quæ datur cum missa : quoties sepeliendum est defuncti corpus cum missa. Quoties celebrandæ sunt missæ anniversariæ, & funeraria pro defunctis cum missa. Alias peccabit mortaliter, cum hæc omnia attineant ad munus Parochi.

Celebrare autem pro populo non semper tenetur, nisi alias sic sit statutum: tenetur tamen vel omnibus diebus festis, vel saltem in solemnioribus. Nam præceptum divinum est, vt dicitur in Trident. vt omnes quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscant, pro his que sacrificium offerant, verbi que divini prædicatione sacramentorum administratione, ab honorum operum exemplo pascant.

sess. 23. de re-  
de reforma-  
c. 10.

Et in his diebus si per se non possunt celebrare pro populo, tenentur per alium Sacerdotem id facere: alias erit grave peccatum, vt pote contra curam quam debent habere circa oves, & in detrimentum, & gravem marorem ovium.

Circa Capellanorum obligationem ad celebrandum missam, dicendum quod tenentur celebrare quoties fundatio Capellanæ exigit. Si autem Capellanus ægrotet parvo tempore, puta per mensem, non tenetur per alium Sacerdotem missas celebrare, aut ommissas postea supplere, nisi in duobus casibus 1. Cum fundator declaraverit quod tempore infirmitatis Capellani, is faciat celebrare missas Capellanæ per alium Sacerdotem: tunc enim mens fundatoris ad verbum est adimplenda. 2. Quando ad celebrationem missarum Capellanæ est electus locus. v. g. hæc Ecclesia, vel hæc cappella, tunc enim tenetur Sacerdos ægrotans, vel alias impedimento involuntario impeditus, celebrare per aliū, vel postea, missas supplere.

Ubi sup, 41.  
q. 19.

Leand. de SS. Saer. Nam præter hos casus; prudentissime præsumitur ex rationabili, & pia voluntate clementis fundatoris, non teneri Capellanum ad celebrandum tempore ægritudinis, aut alterius impedimenti involuntarij, dummodo hoc tempus sit parvum.

Ubi mis n, 28

Arnil. Si quis instituitur in aliquo beneficio (idem est si instituat in Capellania) ut quotidie celebret, non tenetur ad quotidianam celebrationem, sed ad frequentiore, salva sua honestate, & devotione debita Sacramentali. Similiter dic, si institueretur ad dicendum peculiarem Missam, ut de mortuis, vel aliter, & hoc quotidie: hoc non obstante potest, & debet celebrare de feria quando occurrit per cap. quidam de celeb. Missa. Secus quando instituitur ut quotidie celebret in tali capella quia tenetur vel ipse celebrare, vel supplere per alium, si potest, aliter obligationi & promissioni non, ut debet, satisfacit.

Franc. Capellanus igitur potens in casibus aliquibus non celebrare quotidie, esto Capellania sit quotidiana, poterit ter, aut quater in anno celebrare pro se, vel pro sibi coniunctissimo: non enim id denegaret ei fundator Capellaniæ. In casu autem quo omittit celebrare, cum habeat capellaniam quotidianam, causa honestatis, aut augendi devotionem, puta bis in mense, vel ad summum, semel in hebdomada, non poterit celebrare pro alio, accepto stipendo: id enim redolet avaritiam, & non devotionem.

10. r. disp.  
4. q. 71. p.  
7. 5. 1. 2. 3.

Bonaci. Capellanus autem qui tenetur per se ipsum ter, aut quater in hebdomada celebrare, si causa negotiorum non potest hoc facere in aliqua hebdomada, potest differre in aliud tempus quo per se ipsum faciat, si fundator spectavit pietatem, & diligentiam ipsius Capellani: non enim facit contra rationabilem voluntatem

testatoris. Si vero fundator exigebat ut electi ne sacrificia per solverentur, melius est curare ut sacrificium celebretur per alium in eadem hebdomada: sic enim adimpletur voluntas testatoris, quæ tanquam lex habenda est, & modis omnibus adimplenda, quantum fieri potest.

Franc. Rogabis autem. Num Capellanus celebrans Missas anticipate, satisfaciatur obligationi Capellanix? Resp. quod si in Capellanix fundatione ponatur clausula huiusmodi v.g. In nulla hebdomada, Missæ sacrificia prætermittantur: non posse anticipare: meos enim testatoris tanquam lex adimplenda est. Si vero non ponatur huiusmodi clausula exprimens fundatoris mentem poterit Capellanus anticipare missas. Sic enim non defraudatur fundator, imo fit ei beneficium maius ratione anticipationis.

Rogabis iterum. Num in quibusdam Ecclesijs, ut sæpe contingit, tam magnus est missarum celebrandarum numerus impositus ex varijs defunctorum relictis, ut illis, pro singulis diebus, à testatoribus, præscriptis, nequeat satisfieri. Vel elemosynam huiusmodi ad eas celebrandas adeo tenuem esse, ut non facile inveniatur qui velit huic se muneris subijcere: unde depereunt piæ testantium voluntates: & eorum conscientias ad quos prædicta spectant onerandi occasio datur. Quid in his casibus debeat fieri?

Concil. Trident. Sancta Synodus cupiens hæc ad pios usus relictæ, quo plenius, & utilius potest impleri, facultatem dat Episcopis, ut in Synodo diœcesana, item que Abbatibus, & Generalibus Ordinum ut in suis capitulis generalibus, re diligenter perspecta, possint pro sua conscientia in prædictis Ecclesijs, quas hæc provisione indigere cognoverint, statere circa hæc quidquid

l. ff. 23. decr.  
de ref. c. 4.

magis ad Dei honorem, & cultum, atque Ecclesiarum utilitatem viderint expedire: ita tamen ut eorum semper defunctorum commemoratio fiat qui pro suarum animarum salute legata ea, ac pios usus reliquerunt.

Marti. Nav. Hoc autem videtur ius novum quoad Abbates, & Generales, sed non quoad Episcopos qui possunt hoc facere argum. cap. cum accessissent. Et cap. ex parte, de constir. Et eis ad not. etiam sine Synodo, jure antiquo, quod non videtur per hoc sublatum, cum fuisset additum ad hoc augendum, arg. cap. fin. de verb. signif.

Fran. Rogabis 3. Num Capellanus possit celebrare Missas Capellanæ extra Ecclesiam, locum, vel altare in fundatione Capellanæ præscriptum? Resp. Non posse absque justa, & rationabili causa. Non autem erit justa consensus hæredum testatoris.

Scraptinus de Freitas. Nam si voluntates defunctorum adimpleri possunt, commutari non possunt in aliud opus, etiam melius nisi circa pia adsit autoritas Sedis Apostolicæ. Ratio est quia ultima voluntas pro lege observanda est i. verbis legis ff. de verb. signif. auth. de nuptijs. §. Disponat testator, & erit lex. cap. ultima voluntas 13. quæst. 2. Atque ideo quemadmodum solus Princeps legem mutare potest, sic & ultimam voluntatem.

Fran. Si autem adsit justa & rationabilis causa, puta cum Capellanus infirmatur, & in eodem loco non sit qui possit celebrare illius missas, tunc poterit & debet alibi eas celebrare: Hæc enim censetur interpretativa voluntas testatoris qui maiorem utilitatem percipit ex missa alicubi quam nullibi celebrata. Id autem debet fieri autoritate Episcopi, ad quem attinet hæc mutatio ut colligitur ex cap. Testam. ibi: sive in loco in quo constitutum fuerat &c.

In Enchyry.  
c. 25. n. 138

In Bul. ord  
nri. bo ad  
Bullar. 5.  
Nico. 7.

Si autem sine justa & rationabili causa celebrat extra altare, vel Ecclesiam à fundatore assignatam, peccat mortaliter contra obligationem & fidelitatem in re gravi, non tamen tenetur ad restitutionem: nam non est id contra iustitiam. Nisi forte missa esset celebranda in altari privilegiato: tunc nam que celebrans in altari non privilegiato violat fidelitatem, & iustitiam cum detrimento testatoris, & tunc tenetur ad restitutionem, & celebrationem missæ in altari privilegiato.

Circa Sacerdotes qui tenentur celebrare ratione stipendi, dicendum eos debere celebrare in tempus & locum exactum à contribuente stipendium. Et peccabunt mortaliter si fuerint notabiliter in mora celebrandi. Et præcipue si sint in mora, quando celebrare debent pro animabus Purgatorij: nam gravissimas patiuntur pœnas, quam diu differtur missa pro eis celebranda. Et aliquando Sacerdos ratione stipendij celebraturus, si differt celebrationem, tenetur ad restitutionem: puta, cum quis dat stipendium Sacerdoti ut celebret pro salute infirmi, & is moritur antequam Sacerdos celebret.

Quantum autem possit differre Sacerdos celebrationem missarum sibi commissarum? non est facile assignare, sed quilibet Sacerdos prudenter perpensis circumstantijs, & necessitatibus proximorum, suis que obligationibus id resolvet. Et generalis regula potest delumi ex intentione contribuentum stipendium: sic enim sciet quando debeat celebrare, & quando immineat periculum moræ, & dilationis in celebrando.

Tandem Sacerdotes qui non ob stipendium, sed ratione Confraternitatis, vel jussu superioris celebrant, tenentur ad celebrationem in suas leges, & constitutiones: si vero transgrediuntur eas possunt aliquando peccare mortaliter puta, cum subditus celebrat contra

intentionem Prælati: licet autem tunc peccet subditus, tamen eius intentio, & applicatio valet, & non Prælati.

## QUAESTIO LXVII.

### De stipendio Missæ.

d. vi. de sa.  
miss. n. 1.

**M**Ag. Bertran. A Sacerdote licite potest accipi stipendium pro celebratione missæ, ut pote pro ministerio exhibito in bonum fidelium. Dicitur enim Math. 10. Dignus est enim operarius cibo suo. Neque in hoc est aliqua si nonia, cum non detur stipendium in pretium operis, vel laboris operi adiuncti, sed ut subsidium ad sustentationem ministri operantis. Hoc autem stipendium non est definitum, sed à Papa debet deputari, vel ab Episcopo in sua diœcesi, vel standum consuetudini locorum.

vbi sup. p.  
8. n. 6.

**Bo.** Parochus quoque in diebus quibus non tenetur suis ouibus missam applicare, potest ab aliquo stipendium accipere, & pro ipso missæ sacrificium offerre. Tum quia cum intersiat altari, par est ut vivat de altari; tum quia non est deterioris conditionis cæteris Sacerdotibus: cæteri autem Sacerdotes non habentes onus missæ applicandæ, possunt elemosynam accipere. Ergo & Parochi in casu prædicto.

**Fran.** Hic circa stipendium missæ duo sunt notanda. 1. Quod Capellanus habens v. g. Capellaniam centum missarum cum stipendio centum ducatorum, quando celebrat missas, non tenetur dari Sacerdoti celebranti nisi stipendium regulare illius loci, & potest sibi retinere quod superest. 2. Sacerdotem simplicem accipientem stipendium pro celebratione missæ non posse per alium celebrare dando ei minus de stipendio accepto, quamvis

quavis adhuc sic dato minori stipendio, hoc sit sufficiens & regulare stipendium. Ratio est; nam huiusmodi minoratio stipendij est contra voluntatem eius qui primo Sacerdoti stipendium dedit. Vid. propositio 9. *dam* nata ab Alexa. VII.

## QUAESTIO LXVIII.

### *De hora celebrandi Missam.*

**M**issa privata dici potest *in Rubr. Missal. tit. 15.* quacunque hora ab aurora usque ad meridiem.

Notter Illustriss. Episc. Salmeron Sacerdos autem qui voluerit perfectiorem servare ordinem in celebrando, poterit conformari cum Choro ubi matutino cum laudibus perfoluto, & dicta prima, Tertia, vel alia hora celebratur missa solemnis hora competenti *in* quod praescribitur in rubricis Missalis.

*tra. 4. sup. rubr. Miss. c. 1. de praepar. sa. cel.*

Bonaci. In necessitate tamen licitum est media hora ante auroram vel post meridiem celebrare pro communicando infirmo, non tamen licitum videtur media nocte pro communicando infirmo celebrare. Clericus quoque suscepturus iter ob honestam causam potest summo mane paulo ante lucem celebrare. Immo Paludanus, & Victoria apud Rodriguez c. 250. putant licitum esse generaliter loquendo celebrare dimidia hora ante auroram, ita ut finiatur missa prima luceſcente aurora.

*ubi sup. p. 9. n. 3.*

*n. 4.*

Fran. Licet etiam in funeribus Regum & Principum Missam in meridie inchoari, & protrahi usque ad vesperam. Vt vidi Salmanticae anno 1656. quarto Kalend. Februarij, ubi Alma Academia gravissimorum virorum caetu celebrante funera Philippi Quarti Catholici His-

paniarum Regis, missa solemnis incæpta in meridie fuit protracta vsque ad horam fere sextam post meridiem.

*ubi sup. dis. 6. 1. 11.* Leon. de SS. Sacr. Et absolute absque vilo privilegio potest incipi missa vna hora integra post meridiem. Quia hic vltus est & praxis Clericorum communis.

## QUAESTIO LXIX.

*De loco ubi est celebranda Missa.*

*ubi sup. n. 2.* **B**ONACI. Missa celebranda est in Ecclesia consecrata ab Episcopo, aut saltem benedicta, & in altari lapideo consecrato integro, & non enormiter fracto. Verum si altare non sit consecratum, saltem altare portatile, quod communi vocabulo, petra consecrata nuncupatur, debet esse consecratum, integrum, & lapideum, quamuis includi possit in aliqua tabella lignea, vel in alia materia, vt docet praxis, & experientia.

Fran. In Erimotorijs quoque atque Oratorijs rite designatis licitum est celebrare. Etiam in mari, & flumine quando nullum est periculum efusionis sanguinis. Item in Castris militum. Item quando Ecclesia est diruta potest celebrari extra Ecclesiam, & in alijs necessitatibus quæ à prudentibus tales iudicantur.

## QUAESTIO LXX.

*De requisitis ad celebrandam Missam.*

**F**RAN. Minister vt celebret missam debet indui amictu alba, cingulo, manipulo, stola & casula, quæ debent esse munda, integra benedicta ab Episcopo, vel



ab alio facultatem habente. Et durat in eis benedictio, quandiu manent integra & apta ad suum vsum, cum vero incepta redduntur, desinunt esse benedicta.

In aliquo tamen casu, v. g. ad vitandum mortis periculum licet celebrare cum aliquo ex his paramentis non benedictio. Deficiente quoque cingulo potest Sacerdos cingere se stola cum iusta causa celebrandi adest.

Requiritur præterea Missale, etiamsi Sacerdos sciat memoriter missam dicendam: & erit peccatum mortale celebrare sine eo. Vltcrius requiruntur corporalia lineata benedicta, calix (qui debet esse vel aureus vel argenteus, aut saltem habere cuppam argenteam intus inauratam, & simul cum patena itidem in aurata ab Episcopo consecratus) si autem calix & patena sint argentea non indigent deauratione; secus si essent stannea.

Requiruntur etiam in altari mappæ, luminaria, & **CruX**. Mappæ debent esse tres & benedictæ ab Episcopo, vel ab alio facultatem habente. Licet Bonacina asserat requiri duas, vel saltem vnam duplicatam: quod intelligendum est, ad minus duas vel vnam duplicatam requiri. Luminaria ex consuetudine sunt cerea: in necessitate autem sufficit candela sebacea, vel etiam lucerna ex oleo. CruX etiam requiritur quamvis non erit peccatum mortale celebrare sine Cruce per inadvertentiam.

Requiritur etiam minister inserviens, & respondens Sacerdoti, qui bebet esse masculus, & nullo modo fæmina in quocunque casu quamvis magno necessitatis. Et pariter in nullo casu licet Sacerdoti sine ministro celebrare.

Requiritur etiam Altare, vt supra dictum est, & pro nunc sciendum duplex esse Altare, vnum fixum, aliud

mobile, seu portabile, quod Ara nuncupatur, Primum consecratur ut ibi permaneat, & ideo non nisi super mensam & completam structuram consecratur Altare, id est totus lapis superior Altaris qui capit totum Altare: vnde in qualibet parte illius potest sacrificari. Altare autem mobile solum continet parvam aram lapideam affixam tabulæ, vel capsulæ lignæ, & poterit ab vno in alium locum moueri.

*10. 2. l. 4.  
p. 1. tra. 11  
§. 3o* Apoliar. Ad celebrandam missam sufficit aram esse lapideam, & consecratam in qua, vel supra quam capiant hostia, & calix.

Fran. Id intelligendum est non cum exclusione altaris fixi, sed quamvis hoc non sit lapideum, nihil præiudicare, dummodo detur ara lapidea, quæ tamen semper collocanda est in Altari fixo. Et quotiescunque hæc ara fuerit fracta sic quod in vna eius parte non capiant hostia, & calix, tum erit notabiliter fracta, & desinit esse consecrata, & consequenter in ea non poterit celebrari missa.

Tandem plura alia quæ ad celebrandum hoc diuinæ missæ sacrificium requiruntur, notantur in Rubricis Missalis, & apud Gavantum & alios qui super rubricas præfatas commentaria ediderunt. Vbi videbit Sacerdos quæ hic desiderantur.

## QVAESTIO LXXI.

*De significationibus eorum quæ requiruntur ad Missam,  
& actionum quæ ibi fiunt.*

**F**Ran. Sacerdos celebraturus facit præparationem ad missam pro opportunitate temporis dicens antiphonam. Ne reminiscaris. Et quinque psalmos, posi-

tos in Missali cum precibus & orationibus ibi positus. Quod fit ex ordinatione S. Lini Papæ. Qui quinque palmidicuntur pro transgressionibus quinque sensuum: preces autem & orationes diriguntur ad Deum, ut donet gratiam, & munditiam ad digne celebrandam missam.

Noster Illustriss. Episc. Salmeron. Amictus significat fasciam qua in domo summi Sacerdotis velata fuit facies Christi & colaphis cæta, Mart. 14. Alba, vellem illam albam qua indutum Christum postquam eum sprevit Herodes cum exercitu suo remisit ad Pilatum. Luc. 23. Cingulum, funes quibus Cohors, & tribunus, & ministri Judæorum comprehendentes Jesum ligaverunt & adduxerunt ad Annam. Joan. 18. Manipulus, ligaturam qua ligatum misit Annas Christum ad Caiphan, & postea ad Pilatum. Ibid. Stola, ligaturam qua Christus fuit ligatus ad columnam. Licet nanque de hac ligatura non fiat mentio in Evangelio, tamen certum est fuisse Christum ligatum ad columnam ut flagellis cederetur) & tandem Casula significat purpuram qua milites induerunt Christum Marc.

tra 6 sup.  
Rubr mis.  
c. 3.

Altare significat Civitatem Jerusalem, & montem Calvarie ubi Christus passus & mortuus est. Ara, Crucem. Ponitur autem Crux in Altari ut Christi vexillum. Calix, sepulchrum. Patena lapidem positum super sepulchrum. Corporalia, & palla tyndonem, & sudarium. Reliqua Altaris sicut ponuntur ad ornatum, & munditiam. Luminaria significant lucem virtutum quibus resplendere debemus ut digne Christum sumamus.

c. 3.

Sacerdos igitur accedens ad Altare producens signum Crucis incipit missam: in qua signatione deboratur in illo actu agendum esse de morte Christi in Cruce, dicit

c. 4. n. 4.

antiphonam & psalmum, & Adiutorium nostrum. Vbi iterum producit signum Crucis significans nostrum favorem & adiutorium esse in laboribus & Cruce Christi. Deinde facit Confessionem, significans poluisse nostras iniquitates Deum in suo filio, qui confitetur esse debitorem pro nobis membris suis, per os Sacerdotis. Deinde dicit, Indulgentiam, absolutionem &c. producens signum Crucis significans omnem nostram indulgentiam, delicias que provenisse ex Cruce Christi. Deinde osculatur Altare, significans pacem unionem que cum Christo.

3. p. 9. 83.  
n. 4. & etiā  
n. 5. per tot.

D. Thom. Deinde dicit Sacerdos introitum in laudem Dei. Et sumitur ut plureis de psalmis, vel saltem cum psalmo cantatur quia psalmi comprehendunt per modum laudis quidquid in Sacra Scriptura continetur. Deinde fit commemoratio presentis miseriam, dum misericordia petitur, dicendo Kyrieleyson, ter quidem pro Persona Patris, ter pro Persona Filij, cum dicitur Christeeleyson: & ter pro Persona Spiritus Sancti, cum subditur Kirieleyson, contra triplicem miseriam ignorantiam, culpam, & penam. Vel ad significandum quod omnes personam sunt in se invicem.

Deinde commemoratur caelestis gloria, ad quam tendimus post presentem vitam, & miseriam, dicendo, Gloria in excelsis Deo, quae cantatur in festis in quibus commemoratur caelestis gloria: intermittitur autem in officijs luctuosis, quae ad commemorationem miseriam pertinent. Deinde dicit Sacerdos orationem pro populo, ut digni habeantur tantis mysteriis.

Deinde est instructio fidelis populi: quia hoc Sacramentum est mysterium fidei: Quae quidem instructio dispositive fit per doctrinam Prophetarum, & Apostolorum, quae in Ecclesia legitur per Lectores, & Sub;

diaconos. Postquam lectionem cantatur à Choro Graduale quod significat perfectum vitæ: & Allulua, quod significat spirituales exultationem. Vel tractus in officis luctuosis, qui significat spirituales geritum, hæc enim consequi debent in populo ex prædicta doctrina.

Perfekte autem populus instruitur per doctrinam Christi in Evangelio contentam, quæ à summis ministris legitur scilicet à diaconibus. Et quia Christo credimus, tanquam divinæ veritati, lecto Evangelio symbolum cantatur: in quo populus ostendit se per fidem Christi doctrinæ assentire. Cantatur autem hoc symbolum in festis Christi, B. Virginis, & Apostolorum ( quia hanc fidem fundaverunt ) & alijs huiusmodi.

Sic igitur populo præparato, & instructo, acceditur ad celebrationem mysterij quod quidem & offertur ut sacrificium & consecratur, & sumitur ut sacramentum: unde primo oblatio peragitur, secundo consecratio materiæ oblatae, tertio, eiusdem perceptio. Circa oblationem vero duo aguntur, laus populi in cantu offertorij ( per quod significatur lætitia offerentium ) & oratio Sacerdotis qui petit ut oblatio populi sit Deo accepta.

Deinde circa consecrationem quæ supernaturali virtute agitur. 1. excitatur populus ad devotionem in Præfatione: unde & monetur sursum corda habere ad Dominum: & ideo finita præfatione populus devote laudat divinitatem Christi cum Angelis, dicens Sanctus &c. & humanitatem cum pueris, dicens ( Benedictus qui venit.

Deinde Sacerdos secreto commemorat primo quidam pro quibus hoc sacrificium offertur scilicet pro universali Ecclesia, & pro his qui in sublimitate sunt constituti & specialiter quosdam qui offerunt, vel pro quibus

offertur. 2. Commemorat Sanctos quorum patrocinia implorat pro prædictis, cum dicit, communicantes, & memoriam venerantes. 3. petitionem concludit, cum dicit Hanc igitur oblationem.

Deinde accedit ad ipsam consecrationem, in qua 1. petit consecrationis effectum, cum dicit (quam oblationem tu Deus) 2. consecrationem peragit per verba salvatoris, cum dicit (Qui pridie &c.) 3. excusat præsumptionem per obedientiam ad mandatum Christi, cū dicit. Vnde & memores 4. petit hoc sacrificium peractum esse Deo acceptum, cum dicit: supra quæ propitio. 5. petit huius sacrificij, & sacramenti effectum.


Primo quidem quantum ad ipsos sumentes, cum dicit, suplices te rogamus. 2. Quantum ad mortuos qui jam sumere non possunt, cum dicit Memento etiam Domine. 3. specialiter quantum ad ipsos Sacerdotes offerentes, cum dicit. Nobis quoque peccatoribus.

Deinde agitur de perceptione Sacramenti, & præparatur populus per orationem Dominicam in qua petitur panem nostrum quotidianum, & etiam per illam orationem quam dicit Sacerdos. Libera nos quæsumus Domine. Et per pacem quæ datur post Agnus Dei. Est enim hoc Sacramentum unitatis, & pacis. In missis tamen defunctorum in quibus sacrificium offertur non pro pace præsentis, sed pro requie mortuorum pax prætermittitur.

Deinde sequitur perceptio Sacramenti, primo percipiente Sacerdote, & post modum alijs dante. Ultimo autem tota missæ celebratio in gratiarum actione terminatur pro sumptione mysterij, quod significat cantus post Communionem: & Sacerdote per orationem gratias offerente, sicut & Christus celebrata cæna cum discipulis dixit hymnum Math. 26.

Frañ. Quinquies etiam Sacerdos severit ad populum, significans quinquies Christum die resurrectionis se manifestasse. Et tandem in fine Missæ benedicit populum faciens crucem super eum, in signum quod omnes qui salvandi sunt, salvabuntur in virtute passionis, & Crucis Christi. In Missis tamen defunctorum committitur hæc benedictio: quia præmittitur, Requiescant in pace, & hæc est ultima benedictio frui Dei visione, quiescere in Deo. Videantur plura alia in D. Thom. & Nostro Salmeron loc. citatis.

ex D. Tho.  
2<sup>a</sup> 2<sup>a</sup>, q. 5.  
ad 6.



## DE SACRAMENTO PENITENTIÆ.

### QUÆSTIO LXXII.

*Num Penitentia sit Sacramentum?*

**C**oncil. Trident. Siquis dixerit, in Catholica Ecclesia Penitentiam non esse vere, & proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipso Deo reconciliandis, & a Christo Domino nostro institutum: anathema sit. sess. 14.  
can. 1.

Frañ. De Fide igitur est dari in Ecclesia Pœnitentiæ Sacramentum institutum à Christo. Quod sic definitur physice. Pœnitentia est Sacramentum constans ex absolute Confessoris, & actibus contritæ tantquam ex materia, & forma. Metaphysice vero sic. Pœnitentia est Sacramentum institutum à Christo causativum gratiæ remissivæ peccatorum commissorum post baptismum, vel in baptismi receptione. Eviditas utriusque definitionis ex ipsis terminis apparet. In prima enim definitione ceteri di

tur absolutionem Confessoris esse formam, & actus pœnitentis materiam. Et quia peccator pœnitens peccata quæ facit, & dicit, ostendit cor suum à peccato recessisse: & Sacerdos absolvens per ea quæ agit & dicit circa pœnitentem, ostendit opus Dei remittentis peccata, sit in pœnitentia quæ in Ecclesia Dei agitur, significari gratiam, & sanctitatem, & consequenter pœnitentiam quæ in Ecclesia Dei agitur, esse Sacramentum.

In secunda definitione ostenditur hoc Sacramentum esse ad delenda peccata post baptismum commissa: nam peccata antecedentia baptismum tolluntur per susceptionem baptismi, habita pœnitentia ( quæ non est Sacramentum ) de illis, ut agendo de baptismo diximus. Et iterum per pœnitentiæ Sacramentum tolluntur peccata, si quæ committantur in susceptione baptismi. Vnde communiter hoc Sacramentum appellatur secunda tabula post naufragium.

D. Thom. Nam primum remedium mare transeuntibus est, ut conserventur in navi integra: secundum autem remedium est post navem fractam, ut quis tabulæ adhæreat. Ita etiam primum remedium in mari huius vitæ est, quod homo servet integritatem ( acceptam in baptismo ) secundum autem remedium est, si per peccatum integritatem perdiderit, quod per pœnitentiam redeat.

¶ Fran. Denique in hoc Sacramento, Sacramentum tantum est Materia & forma sensibilis. Res, & Sacramentum, contritio perfecta, vel imperfecta quæ dicitur Attritio, & intentio pœnitentis. Et Res tantum, Reconciliatio cum Deo per gratiam collatam in hoc Sacramento.



## QUAESTIO LXXIII.

*Num hoc Sacramentum sit de necessitate salutis?*

**D.** Thom. Necessarium ad salutem dicitur duplici. *ibid. 4, 53*  
 ter. 1. Absolute: ita vt sine eo nullus salutem consequi possit: sicut gratia Christi, & Sacramentum baptismi per quod aliquis in Christo renascitur. 2. Ex suppositione: & sic est necessarium pœnitentiæ Sacramentum non tamen omnibus, sed peccato subiacentibus (post baptismum) nam peccatum generat mortem: vnde ad salutem est necessaria remotio peccati: quæ remotio fit per hoc Sacramentum in quo operatur virtus passionis Christi per absolutionem Sacerdotis simul cum opere pœnitentis qui cooperatur gratiæ ad destructionem peccati.

Fran. Nam & in vita corporali non indiget homo medicatione, nisi infirmetur: & sicut medicatio corporalis est necessaria postquam homo incidit in morbum: ita & in vitâ spirituali, Sacramentum pœnitentiæ, postquam homo incidit in peccatum. Hæc autem necessitas intelligenda est in re, vel in voto. Nam contritio charitate perfecta reconciliat hominem Deo, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur: cæterum ipsa reconciliatio ipsi Contritioni sine Sacramenti voto quod in illa includitur, non est adscribenda.



## QUAESTIO LXXIV.

*De institutione huius Sacramenti.*

**C**oncil. Triden. Dominus Sacramentum pœnitentiæ tunc præcipue instituit cum à mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos dicens: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis: quorum retinueritis, retenta sunt. Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis potestatem remittendi & retinendi peccata ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos, Apostolis, & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, univrsorum Patrum consensus semper intellexit.

## QUAESTIO LXXV.

*De Materia huius Sacramenti.*

**F**ranc. Materia huius Sacramenti est duplex. 1. Proxima, Actus, scilicet pœnitentis; nempe contritio, confessio, & satisfactio: quorum actuam materia sunt peccata de quibus pœnitens dolet, & quæ confiteretur, & pro quibus satisfacit. Vnde peccata dicuntur materia remota huius Sacramenti: non quidem materia acceptanda, sed detestanda, & destruenda.

## QUAESTIO LXXVI.

*De contritione quæ est prima pars sacramenti pœnitentiæ?*

**F**ranc. Contritio est Animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi

de cætero. Et est duplex, alia perfecta: nempe ea quæ à charitate provenit. Alia imperfecta, quæ dicitur Attritio, quæ ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur.

Contritio igitur perfecta, quam deinceps Contritionem appellabimus: convenit cum attritione in tota definitione prætata: differt autem in eo quod Contritio ut pote à charitate proveniens, cuius obiectum est summum bonum nempe Deus qui per charitatem super omnia diligitur semper est connexa cum gratia sanctificante, & expellente peccata. Attritio autem sine sacramento pœnitentiæ, per se ad iustificationem, peccatorem perducere non potest: quia non est connexa cum charitate, & gratia: quamvis verum sit Attritionem esse donum Dei, & spiritus sancti impullum non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum mouentis quo pœnitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat, & ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponitur.

Vnde Contritio potest sic definiti. Contritio est animi dolor à charitate pro veniens assumptus pro peccatis in quantum sunt offensa Dei, cum spe veniæ, & proposito non peccandi de cætero, & confitendi, atque satisfaciendi. Attritio vero sic. Dolor pro peccatis, quatenus sunt offensa Dei assumptus ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu conceptus, cum spe veniæ, & proposito non peccandi de cætero, & confitendi, atque satisfaciendi.

Ex quibus apparet utrumque dolorem debere esse pro peccatis quatenus sunt offensa Dei. Nam dolor de peccatis si non sit propter offensam Dei, non erit dolor attritionis (contritionis enim non esse, per se patet)

vt constat in Antiocho de quo dicitur. 2. Machab. 9.  
Orabat scelestus Deum à quo non erat misericordiam  
consecuturus.

3. p. 9. 86.  
4. 1. 441.  
D. Thom. Vnde non vere pœnituit: dolebat enim de  
culpa præterita, non propter offensam Dei, sed propter  
infirmiorem corporalem quam patiebatur.

Constat etiam Contritionem, & attritionem debere  
esse voluntariam: & ideo dr in definitione, assumptus,  
id est electus, & voluntarius. Nam dolor coactus non est  
dolor attinens ad veram pœnitentiam, vt constat in  
Damnatis qui in inferno pœnitentiam coactam agunt &  
præangustia spiritus gemunt pro pœnis quas patiuntur.  
Nec iterum est sufficiens dolor, dolor indeliberatus,  
& imperfectus, cum non sit actus humanus perfectus,  
& præconsiliatus, siue electus.

Dicitur etiam, cum spe veniæ, præsupposito actu fi-  
dei: nam pœnitens credens Deum misericordem & po-  
tentem remittere peccata, habet spem cuius motu  
assumit propositum emendandi, & non peccandi de cæ-  
tero. Deinde dicitur cum proposito confitendi &c. per  
quod tangitur ordo horum dolorum ad alias partes sa-  
cramenti pœnitentiæ & tandem in definitione contri-  
tionis dicitur, A Charitate proueniens id est à dilectio-  
ne supernaturali Dei: nam ille habet contritionem qui  
motus charitate diligente Deum super omnia detestatur  
peccatum quia est peccatum & offensa Dei, & filiali  
timore propter Dei reuerentiam emendam Deo volun-  
tarius offert. In Definitione autem Attritionis dicitur,  
ex turpitudine peccati &c. Nam qui ellicit attritionem  
de peccatis non mouetur motu charitatis supernaturalis  
sed timore, & dolore seruii territus. Quo timore utili-  
ter coacti Niniuitæ ad Jonæ prædicationem plenam  
terroribus, pœnitentiam egerunt, & misericordiam à  
Deo impetrarunt.

Nam Deus Ninivitas quamvis attritionis dolore capere se dolere, & moveri ad pœnitentiam, tamen ultra hanc dispositionem attritionis profecutus est favore donans eis perfectum dolorem pœnitentiæ & gratiam remissivam peccati.

Et etiam nunc accedentibus ad Sacramentum pœnitentiæ cum dispositione attritionis confert Deus gratiam remissivam peccati, & pœnitens ex attrito, ut communiter dicitur, fit contritus: non sic quod attritio fiat contritio: nam vnus actus non transit in alium: sed quod habenti dolorem attritionis infundantur in Sacramento gratia, charitas, & habitus pœnitentiæ virtutis, principia scilicet ad contritionis actum elliciendum.

Tandem sciendum circa Attritionem: quod Attritio licet sit dolor imperfectus, tamen est dolor supernaturalis ut pote disponens ad gratiam justificantem quæ supernaturalis est: dispositio enim & forma ad quam disponit sunt eiusdem ordinis. Deinde, quia tendit ad destructionem peccati quatenus est offensa Dei, ut Deus remittat illud, Deus autem remittit peccatum ut est Author supernaturalis gratiæ quam attritis infundit in Sacramento pœnitentiæ ad remissionem peccatorum quæ confitentur.

His præiactis, dicendum contritionem, vel attritionem esse essentiali partem Sacramenti pœnitentiæ: Pœnitere nanque est dolere: vbi igitur datur Sacramentum pœnitentiæ, necessario debet dari dolor.

Vtcrius requiritur essentialiter hunc dolorem esse exterius exercitum, seu sensibiliter perceptibilem, ut sit pars Sacramenti: nam Sacramentum est quid sensibile, ut dictum est: vnde si dolor sensibiliter non est perceptibilis, nequit pars esse Sacramenti.

Hinc inferitur 1. dolorem naturalem de peccatis com,

missis puta quia peccatum dicit deformitatem, vel causat infirmitatem, vel etiam propterea quia incutit timorem pœnarum, seu temporalium, seu æternarum, non esse partem Sacramenti pœnitentiæ.

com. 1. l. 3.

p. 1. sra. 3.

9. 4.

**Apolinar.** Nisi enim dolor sit detestativus peccati in quantum est offensa Dei, non est supernaturalis, ac proinde non disponit ad gratiam adhuc cum Sacramento (cum tamen non detur sacramentum deficiente dolore supernaturali) sed cum est supernaturalis, nimirum quando est detestativus peccati in quantum est offensa Dei, tunc disponit ad gratiam cum Sacramento.

In prompt.

c. 15. s. 2.

n. 3.

**Remig.** Qui autem accedit sine vera attritione, sed solum cum existimata ad Sacramentum pœnitentiæ, excusatur quidem à sacrilegio, non tamen manet absolutus, cum accedat sine vera materia.

**Franc.** Infertur 2. Dolorem hunc debere esse formalem, & non virtualem, qualis est ille qui virtualiter continetur in actu charitatis diligente Deum super omnia in quo includitur virtualis detestatio, & dolor peccati. Unde qui cum actu isto charitatis accederet ad Sacramentum pœnitentiæ sine dolore formali, non perveniret cum sufficiente materia ut conficeretur Sacramentum.

**Remigius.** Sufficit tamen, quod is dolor formalis habeatur in principio Confessionis, vel in examine conscientiæ, dummodo non retractetur: sic enim manet ordinatus ad sacramentum virtualiter que permanet usque ad absolutionem.

**Fr.** Infertur 3. Propositum non peccandi de cætero, confitendi & satisfaciendi etiã debere esse formale. Quod nomen propositi manifeste ostendit: nam propositum est actus voluntatis deliberatæ: Ergo est quid formale. Verum est tamen aliquando propositum hoc scilicet non peccandi

peccandi de cætero. Quin detur actu virtualiter tamen inclusum in actu doloris sufficere ad hoc sacramentum ut cum quis non meminuit huius propositi, & dolorose versatur in detestatione peccati commissi, & huius confessione, Propositum autem confitendi, & satisfaciendi per se patet esse formale, cum pœnitens dolore peccatorum accedat ad sacramentū constans confessione, & satisfactione.

## QUÆSTIO LXXVII.

*Num dolor de peccatis semper debeat esse sensibilis, ut detur Absolutio?*

**F**RANC. Resp. Affirmatiue ob rationem iam dictam, nempe sacramenta esse sensibilia, & constare essentialiter ex materia & forma sensibilibus: vnde dolor qui est pars Sacramenti pœnitentiæ, essentialiter debet esse sensibus perceptibilis, alias non erit pars Sacramenti. Vnde pœnitentes, verbis, rursione pectoris, lachrymis, alijs ve signis exterioribus innotescere solent suum dolorem confessarijs.

Sed videtur non semper esse necessarium quod dolor sit sensu perceptibilis. Ut cum quis incidit in subitam sensuum destitutionem, & nequit manifestare Confessario suum dolorem. Resp. Hunc casum multipliciter posse contingere. 1. Cum ægrotus sensum amisit, petijt tamen confessionem ante amissionem, & testificantur qui eum audierunt petentem confessionem. Et tunc Confessarius dicet ei, ut det signa doloris, quæ si dederit, absolvet eum, sub conditione tamen ne forte signa habeant aliquam inhabilitatem, & ob hoc sint insufficientia. Si vero nullo dederit signa, conante Sacer

dote aliquibus vocibus si eas mente forte percipiat ægro-  
tus cum inducere ut nutibus signisque ostendat dolorẽ.  
Adhuc sub conditione poterit eum absolvere. Nam pro-  
dest ei testimonium dicentium eum confessionem peti-  
visse: in qua petitione datur sufficiens signum doloris  
sæltim ad absolutionem sub conditione.

2. Potest contingere is casus, cum quis in subitum  
articulum mortis incidit, & non potest vlla dare signa  
doloris, nec alias petijt confessionem.

In prompt.

e. 15. s. 4.

q. 4.

Remigius. Potest adhuc Confessorius eum absolvere  
sub conditione, si possum, & capax es. Quamvis in eo  
statu nulla videatur adesse materia proxima, nec remo-  
ta. Supponitur tamen moribundum habere peccata  
(sæltim venialia) nam sæpties in die cadit iustus: & quod  
raro moritur Christianus quin erigat cor ad Deum pe-  
tens ab eo misericordiam, quod sufficiens est ut ei de-  
tur absolutio sub conditione, propter authoritatem &  
rationem extrinsecam gravium virorum.

q. 7.

Et iterum, potest etiam sub conditione absolvi ille  
qui actualiter peccans incidit in ægritudinem alienan-  
tem eum à sensu, & ratione. Forte enim adveniente eo  
malo postulavit misericordiam à Deo. Et hoc est in  
praxi in duellis, quando alter manet iacens in agonia  
in campo.

Franc. Oppositum tamen iudico, & teneo: nam in  
his casibus non dantur signa doloris: quamvis revera  
contingat, moribundum in casibus dictis erigere cor ad  
Deum, dolere de peccatis, & velle salvari, & confite-  
ti cum enim nihil horum sensibiliter appareat, non da-  
tur sufficiens materia ad absolutionem adhuc sub con-  
ditione dandam. Ratio est, quia in conficiendis Sacra-  
mentis tunc utimur forma sub conditione, quando oc-  
currit aliquod dubium in necessitate. Hic autem indubi-



tabiliter apparet non dari vllum signum doloris. Ergo nec sub conditione præstanda est absolutio. Nunquam enim quamvis vrgens adsit necessitas minister vitur forma sub conditione in conficiendo Sacramento, quando nulla adest materia.

Præterea, Certissimum est quod dolor internus de peccatis, si exterius non manifestetur, non est materia Sacramenti pœnitentię. Ergo superflue daretur absolutio adhuc sub conditione ob præsumptionem doloris interioris: cum tunc nec cum absoluteione collata abs conditione, fieret Sacramentum. Vnde ad conficiendũ Sacramentum in his casibus perinde est quod moribundus habeat, vel non habeat dolorem. Quamvis ad salutem multum intersit tunc habere dolorem contritionis cum voto Sacramenti. Nihilominus Pius Confessarius, in praxi adhærebit sententię Remigij.

## QUAESTIO LXXVIII.

*Num dolor debeat esse maior de vno peccato quam de alio?*

**F**RANC. Resp affirmative. Vnde quis in examine conscientię vel in confessione actuali, cum sigillatim dolet de peccatis: maiorem debet habere dolorem de peccatis gravioribus. Cum vero generali dolore detestatur quis peccata: tunc etiam in illo dolore, virtualiter est maior detestatio grauioris peccati.



## QVAESTIO LXXIX.

*De confessione Sacramentali.*

**A**Vgust. Confessio est per quam morbus latens spe veniæ aperitur.

Franc. Id est Actus per quem morbus in anima latens, scilicet peccatum manifestatur spe veniæ, scilicet spe obtinendi medicinam remissivam peccati.

Martin. Nav. Confessio Sacramentalis est peccatoris accusatio secreta de suis peccatis coram proprio Sacerdote, ut ab illis sacramentaliter absolvatur. Accusatio, ponitur pro genere & convenientia cum alijs accusationibus, secreta, pro differentia ab illa generali confessione publica, quæ fit in principio missæ & alias læpissime. Et etiam ponitur secreta, ad insinuandum non esse necessarium fieri confessionem publice, vel aliquo tertio audiente: quamvis etiam alijs audientibus facta valere possit.

Concil. Triden. Quo ad modum confitendi secreto apud solum Sacerdotem, & si Christus non vetuerit quod aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, cum in aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offentiæ ædificatione, delicta sua publice confiteri possit: non est tamen hoc divino præcepto mandatum, nec satis consulte humana aliqua lege præcipetur, ut delicta præsertim secreta, publica essent confessione aperienda.

Navar. Ponitur, de suis peccatis: hæc enim declaranda sunt in confessione Sacramentali. Coram proprio Sacerdote. Nam quæ non fit Sacerdoti, non est Sacramentalis confessio: nec iterum ea quæ non fit Sa-

*In Enchyr.  
c. 2, n. 1.*

*ib. 14, c. 15*

*ibid.*

cerdoti proprio, habenti scilicet jurisdictionem in foro conscientiae supra illum qui se ipsum accusat. Ut ab illis absolvatur. Quoniam quæ fit propter alium finem non est sacramentalis: cum essentia sacramenti penitentiae in absolute consistat.

## QVAESTIO LXXX.

### De conditionibus Confessionis.

**F**RANC. sexdecim conditiones communiter assignantur à Magistris ad confessionem sacramentalē quæ in his versibus continentur.

Sit simplex, humilis Confessio, pura, fidelis,  
 Atque frequens, nuda, discreta, libens verecunda,  
 Integra, lecteta, lachrymabilis, accelerata,  
 Fortis: & accusans, & sit parere parata.

Ex quibus conditionibus quædam sunt de necessitate confessionis, quædam de bene esse ipsius.

D. Thom. Ea autem quæ sunt de necessitate Confessionis, vel competunt ei in quod est actus virtutis, vel in quod est pars Sacramenti, Si primo modo, aut ratione virtutis in genere, aut ratione specialis virtutis cuius est actus, aut ex ipsa, ratione actus.

In sup. ad 9  
 P. 1. Q. 6, 4

Virtutis autem in genere sunt quatuor conditiones. 1. ut aliquis sit sciens: & quantum ad hoc confessio dicitur esse discreta, secundum quod in omni actu virtutis prudentia requiritur: est autem hæc discretio ut maiora cum maiori pondere confiteantur. 2. ut sit eligens, quia actus virtutum debent esse voluntarij, & quantum ad hoc dicitur Libens. 3. ut propter debitum finem operetur, & quantum ad hoc dicitur pura, ut scilicet recta sit intentio. 4. ut immobiliter operetur, & propter hoc

dicitur Fortis: ut scilicet propter verecundiam non dimittat.

Est autem Confessio actus virtutis penitentiae, quae quidem est initium summi in horrore turpitudinis peccati: & quantum ad hoc Confessio debet esse verecunda ut scilicet non se jactet de peccatis propter aliquam saeculi vanitatem admixtam. 2. progreditur ad dolorem de peccato commisso, & quantum ad hoc dicitur lachrymabilis. 3. In abiectione sui terminatur: & quantum ad hoc debet esse Humilis, ut se miserum confiteatur, & infirmum.

Sed ex propria ratione huiusmodi actus qui est Confessio habet quod sit manifestativa, quae quidem manifestatio per quatuor impediti potest, 1. Per falsitatem, & quantum ad hoc dicitur Fidelis id est vera. 2. Per obscuritatem verborum, & contra hoc dicitur Nuda, id est clara. 3. Per verborum multiplicationem, & propter hoc dicitur simplex, ut non reciter in confessione nisi quod ad quantitatem peccati pertinet. 4. Ut non subtrahatur aliquid de his quae manifestanda sunt, & contra hoc dicitur integra.

Secundum autem quod confessio est pars Sacramenti concernit iudicium Sacerdotis qui est minister Sacramenti: unde oportet quod sit Accussans ex parte confitentis: Parere parata, per communicationem ad Sacerdotem. Secreta autem quantum ad conditionem fori in quo de occultis conscientiae agitur. Sed de bene esse Confessionis est quod sit frequens, & quod sit accelerata ut scilicet statim confiteatur.

Et Circa has condiciones notandum 1. quod illa conditio Fidelis, exigit ut penitens confiteatur peccata vere prout sunt, nempe certa, ut certa, & dubia ut dubia: & quod nullo modo mentiatur; alias confessio non erit fi-

delis, id est vera. Vnde qui mentitur in confessione in materia gravi peccat mortaliter v.g. qui mendaciter confitetur se occidisse iniuste hominem, vel furatum fuisse rem magni ponderis.

Qui vero mentitur in materia levi, regulariter venialiter peccat v. g. qui fecit quatuor peccata venialia, & confitetur se commisisse sex. Si vero nullam aliam materiam apponat, nisi hanc fictam & fallam: tunc peccat mortaliter, & non conficitur Sacramentum ob defectum materiae.

Notandum 2. Circa illam conditionem, integra, quod ad integritatem confessionis necessario confitenda sunt omnia peccata mortalia & singula, quorum memoria cum debita, & diligenti praemeditatione habeatur: & etiam species peccati, seu circumstantiae quae speciem peccati mutant. Quare peccat mortaliter & sacrilege, qui non confitetur aliquod peccatum mortale cuius memoriam habet.

Aliqui tamen sunt casus, quibus confessio non integra est valida i. ob defectum recordationis, facta tamen praevio, & diligenti examine, secus, si prius quis non conetur revocare in memoriam peccata, ut confiteatur.

Tolet. Quod si peccata oblita, memoriae postea occurrant, debet ea confiteri vel eidem, vel alteri Sacerdoti, ut libuerit: habenti tamen facultatem audiendi confessiones. Nec tenetur si post Pascha in mentem occurrant, statim confiteri, sed potest in alium annum referre: sicut peccata post communionem commissa, ut tenet Silvester v. Confessio I. §. 3.

Fran. Si tamen potest eundem Confessarium habere, melius est quod ei confiteatur peccata oblita, ut totius culpa quantitas vni Sacerdoti innotescat. Si vero non

potest eundem Confessarium habere, non tenetur iterum confessionem prius factam: sed confiteri explicite peccata oblita, & alia in generali, dicendo quod cum alia multa confiteretur, horum oblitus fuit.

Si vero quis in eadem specie peccati pluries inciderit & non recordetur numeri certi: si confiteatur sic. Peccavi decies, plus minusve periurando v. g. Si postea recordetur se peccasse duodecies. Non tenetur iterum confiteri se duodecies peccasse. Nam eo ipso quod in prima confessione dixit, se decies plus, vel minus peccasse peccato periurij, satis indicavit, se duodecies peccasse.

no. 1. disp. 5  
q. 5. sc. 2.  
pu. 2. §. 3.  
diff. 2. n. 6

Bonaci. Secus dicendum est si postea recordetur numeri notabiliter maioris, ut si confessus sit se decies plus minusve peccato odij peccasse, & postea recordetur se vigesies peccasse: tunc enim tenetur in alia confessione explicare numerum cuius oblitus erat in prima confessione, quia numerus is est notabiliter maior numero in confessione prima explicato: & consequenter non censetur sufficienter explicatus in prima confessione.

vbi supr.  
no. 2.

Tolet. Secundus casus est, cum mors imminet: si enim infirmus non habet tempus confitendi omnia peccata, sed aliqua tantum poterit absolui. Idem intelligendum est de eo, qui omnia peccata proferre non potest, ut mutus qui nutu solum potest aliqua exprimere non omnia: talis absolvendus est.

Franc. Ad hunc casum attinet etiam, quando Pœnitens, & Confessarius sunt diversi Idiomatis, & non se percipiunt integre: tunc enim esto Confessarius non percipiat omnia peccata, & nullus alius reperitur cui Pœnitens ea confiteatur commodius, potest Confessarius cum absolvere.

Tertius casus est cum Pœnitens tempore Paschatis tenetur

netur confiteri ad præceptum Ecclesiæ adimplendum, quin possit se excusare abs gravi nota, & scandalo: & habet casus reservatos cum excommunicatione maiori de qua Confessarius eum absolvere non potest. Vel habet casus reservatos abs excommunicatione. In primo casu poterit celebrare, vel communicare, magna contritione præhabita non enim potest confiteri quin prius sit absolutus ab excommunicatione, de qua nullus in hoc casu potest eum absolvere. si vero adsit qui eum possit absolvere, prius debet ad eum recurrere, & procurare absolutionem censuræ, & confiteri, & sic accedere ad Communionem. In 2. tenetur confiteri peccata reservata cū reliquis non reservatis: & tunc Confessarius absolvet eum directe quidem de non reservatis, & indirecte de reservatis: tenebitur tamen sic absolutus reservata confiteri legitimo Confessario.

Tolet. 4. Casus est, quando ex peccato aliquo, vel circumstantia manifestata in confessione sequeretur vel penitenti, vel Confessario vel tertiæ personæ damnum grave vel in vita, vel in fama, vel in pecunia, vel aliquod malum spirituale. Tunc enim aliquis alius est querendus Confessarius, vel petenda facultas à Superiore confitendi alteri: vel confiteri potest occulte, non manifestando quis sit. Quando vero nihil ex his fieri potest, confiteri debet alia peccata, tali peccato, vel tali circumstantia dissimulata, donec commode possit confiteri.

Franc. Is casus intelligitur quando penitens est in tali angustia temporis, vel aliarum circumstantiarum, ut non possit ommittere Confessionem: si enim possit ommittere, debet expectare occasionem confitendi Confessario: ex quo nullum ex his damnis sequi potest.

*Ibid.*

Tolet. Exemplis declaramus. Siquis occidit fratrem Confessarij : & timet si illi confiteatur tale homicidium quod statim conijciat illud esse fratris sui : & probabiliter cognoscit illum sumpturum vindictam ; non tenetur tale confiteri, sed dissimulare cum non potest alteri confiteri, & instat necessitas confessionis.

Rursus, Commisit quis peccatum carnale, probabiliter cognoscit, quod ex illius confessione, Confessarius peccabit mortaliter maxime si est fœmina quæ confitetur ( quia nimirum Confessarius illam sollicitabit ) debet dissimulare tale peccatum. Et idem dicendum si cognoscit Confessarium revelaturum aliquod peccatum.

Quando vero ex hoc non sequitur nisi sola infamia occulta tertix personæ, non autem mors, aut publica infamia, vel grave aliud malum ) ut si quis fornicaretur cum matre, si diceret talem circumstantiam, tunc mater diffamata esset apud Confessarium ) crederem esse necessario confitendam cum Soto, & Bonav. 4. d. 21. & Gabri. d. 17. q. 1. con. 5. & Silvest. v. Conf. 2. §. 18. Quamvis Navarrus c. 7. oppositum tenet.

*In Encybr.*

à n. 1. 2.

3.

Franc. Et sane æque probabilem censeo Navarri opinionem Nam infamare aliquem iniuste, & revelare aliena peccata ea ignoranti, est peccatum lege divina naturali prohibitum. Integritas autem confessionis est de lege divina positiva à Christo instituta. In casu autem concurrentiæ duarum legum quarum altera ommittenda est, observanda est lex maior.

*Ibid. n. 2.*

Navar. Ex quibus inferitur pœnitentem non debere nominare personam cum qua peccavit, quoniam supra dicta lex naturalis divina hoc prohibet. Imo Confessarius prævidens pœnitentem velle nominare personas delicti consortes, vel quas ipse induxit, vel à quibus



fuit inductus ad peccatum, debet statim occurrere, ipsum que admonere ne illas nominet, ne ipse Confessarius pariter peccet infamiae peccato consentiendo. Ut ait S. Bonav. in 4. dist. 21. a. 1. q. 3.

Vnde circumstantia peccati necessario confitenda, <sup>no 3.</sup> racenda est si ex eius revelatione proximus diffamatur. Exemplum in pœnitente qui commisit incestum cum propria matre, vel filia, vel extitit mediator, ut ab alio committeretur: sed quia pœnitens vel mater, vel filia sunt Confessario noti, non potest cognationis gradum exprimere absque mulieris infamia: in hoc enim casu tenetur circumstantiam tacere, & eam non infamare. Nam lex de non infamando proximo divina naturalis est: lex autem quæ jubet confessionis integritatem, est divina positiva, & ita hæc debet illi cedere.

Tolet. Nobis tamen id non videtur. Nam non est vera <sup>Idid.</sup> ratio infamiae in confessione sola; alias idem se diffamaret. Cum tamen non pertinet tertia persona ad peccati pœnitentis manifestationem, nullo modo est in confessione, exprimenda nominatim.

Franc. 5. casus est. Quando Confessarius nequit peccatum suum manifestare, quin manifestet peccatum pœnitentis: tunc enim debet dissimulare intendens id potest confiteri: ne frangat confessionis sigillum.

Andreas Victorellus. 6. Casus est in mortis articulo, <sup>in additione ad Tolet. l. 3. c. 18.</sup> si Sacerdos probabiliter timeat ægrotum moriturum, antequam confessio perficiatur, potest illum absolvere: si mors non accedat, reliqua omnia, si tempus ferat, is confiteatur: absoluta confessione iterum absolvat Confessarius: novum Sacramentum id erit.

Remig. In hoc casu, Confessarius absolvet eum sub conditione, si possum. Si vero certe cognoscit infirmitatem non esse periculosam, quamvis infirmus notabi-

<sup>Idem pro...</sup>  
c. 15. §. 4.  
p. 7.

liter gravetur in confessione, nequit eum auditis nonnullis peccatis absolvere, sicut in casu antecedenti, sed dare locum infirmo ut quiescat, & postea prolequatur confessionem inceptam.

Ibid. §. 3.  
n. 9.

7. Casus est in angustijs temporum puta belli, vel tempestatis in mari. Tunc enim poterit confessarius nonnullis auditis peccatis, statim pœnitentes absolvere. Si tamen tantum fuerit periculum, quod nullus in particulari possit confiteri aliqua peccata, poterit omnes absolvere, confessis nonnullis peccatis cum dolore eorum, dicens. Ego vos absolvo &c. Et adhuc si neque id fieri posset, movebit omnes confiteri volentes, ut flexis genibus dolentes de peccatis postulent à Deo misericordiam, & absolvet eos: ad modum quo absolvere potest eum qui petit confessionem, & tamen nullum valet exprimere peccatum.

fo. v. 104 5,  
di. p. 5. 9 35

Lean. de SS. Sacram 8. Casus est. Quando Confessarius timet probabiliter non posse absque infectionis periculo audire integram confessionem ægroti. Nam licet excusatur pœnitens ab integritate confessionis, quādo ex illa timet damnum corporis, vel rei familiaris, vel honoris; ita etiam excusatur Confessor ab audienda integra confessione, ex qua sibi mortem, aut mortis contagium timet.

Ibid. §. 54

9. Casus est, ignorantia peccati si sit invincibilis: quia tunc omissio propalandi tale peccatum, vere est involuntaria; non vero si vincibilis est, affectata, crassa, aut supina, quia hæc non excusat ab integritate confessionis.

Franc. decimus casus est impotentia. Ut cum quis nimis frequenter falso jurat, blasphematur, vel est in statu peccandi, tunc enim sufficit dicere se per annum fuisse in consuetudine frequentium blasphemiarum, vel per

duos annos, secundum tempus talis consuetudinis. Unde & meretrix satisfacit confessioni, se accusans quod per tantum tempus fuit exposita cuicumque accedenti.

Ex his casibus si aliqui alij supersint, cognoscetur quid in eis faciendum sit. Advertendum tamen Confessionem in his casibus dici formaliter integram. Nam pœnitens habet intentionem absolute faciendi integram confessionem, nisi impedimentum occurreret.

Notandum. 3. Circa illam conditionem, *Secreta*, quod confiteri peccata publice non est mandatum vlla divina aut humana lege: unde nullus tenetur confiteri publice. Et ideo communiter confessio fit secreta inter pœnitentem & Confessarium solos: & propterea inter conditiones confessionis ponitur quod sit secreta.

Armilla. Et propter hoc excluduntur interpretes, nuntius, Scriptura quibus nemo tenetur confiteri de necessitate. Quando tamen alius modus confitendi non est, potest homo si vult, hoc modo confiteri. Neque publice debet confessio fieri, sed secreta ne ab alij audiat, & pœnitentia secreta iniungenda est. Et graviter peccaret stans ad audiendam confessionem alterius, & si casu audivit tenetur tenere secretum.

v. Confes  
n. 23.

Fran. Quamvis autem quis non teneatur confiteri per interpretem; tenetur tamen confiteri per scripturam, qui nequit aliter confiteri. Nam quamvis Scriptura, publicum instrumentum sit; tamen potest caute iervare ne perdat, nec publicetur.

Item. Quando peccatum est publicum potest quis id publice confiteri, vt supra diximus ex Concil. Trident. & etiam publica confessio peccatorum fieri potest in casibus belli, & naufragij supra dictis. In alijs autem casibus extra hos & his similes, non licet publica pec-

catorum confessio, nam præiudicat sibi, se infamando, & proximo, qui potest scandalizari: & peccabit mortaliter sic confitens publice absque iusta, & rationabili causa.

Et hinc habetur non debere Confessarium simul in confessione audire multos pueros doli capaces: imo nec doli incapaces publice debent interrogari de rebus quæ ad eorum ignominiam possunt ab alijs retineri, & adultis postea exprobrari. Unde confessarij debent abstinere ab huiusmodi confessionibus audiendis.

l. 3. p. 4. n. 3 Tandem notandum circa illam conditionem, parere parata, quod pœnitens debet habere animum præparatum ad faciendum ea quæ confessarius censuerit facienda, puta restitutionem, fugere occasiones proximas peccati &c. Et etiam acceptare pœnitentiam iniunctam.

28. 14. c. Tolet. Et in hoc non est audiendus Caiet. v. absol. qui tenet quod potest pœnitens non acceptare pœnitentiam à Confessario & dicere, se velle eam in Purgatorio à Deo accipere. Nam Confessarius est Iudex sm Trident. Iudex autem pœnitentem & reum potest obligare ad impositam satisfactionem.

Franc. Reliquæ conditiones ad confessionem, sufficienter manent explicatæ, & ex ipsis terminis latis constant.

## QVAESTIO LXXXI.

*Num Confessio sit proprio ore facienda à Penitente, cum potest?*

ubi supr. **L**Eand. de SS. Sac. Resp. nec ad valorem Sacramenti requiri Oris Confessionem, nec præceptū aliquod esse de hoc scriptum sed sufficere, & requiri

manifestationem peccati. Et quamvis in Concil. Florentino assignetur Oris Confessio pro materia Sacramenti penitentiae, illa vox, Oris, fuit posita propter hoc quod frequentius fiat ore Confessio, non tamen quia necessario ore facienda sit. Vnde Tridentinum con- *sess. 14. cap.*  
sulto omisit ly Oris, & solum dixit Confessionem esse materiam.

Remig. Vnde Puella quae verecundatur in confitendo ore sua peccata potest ea scripta in papyro dare legenda Confessario, & dicere. Me accuso de his quae in papyro continentur. Sufficienter enim sic manifestat, & confitetur sua peccata. *vbi su. n. 3.*

Franc. Consuetudo tamen Ecclesiae est, ut ore fiat confessio cum fieri potest: vnde erit peccatum mortale praeterire hanc probatissimam consuetudinem, nisi adsit aliqua rationabilis causa, ut in casu praefato puellae verecundae.

## QUAESTIO LXXXII.

*Num Confessio possit esse informis?*

**D.** Thom. Confessio est actus virtutis, & pars Sa- *in add. ad q*  
cramenti. Secundum autem quod est actus virtu- *p. 1. q. 9. l. 1.*  
tis, est actus meritorius proprie, & sic confessio non valet sine charitate quae est principium merendi, sed secundum quod est pars Sacramenti, sic ordinat confitentem ad Sacerdotem qui habet claves Ecclesiae, qui per confessionem confitentis conscientiam cognoscit, & secundum hoc confessio potest etiam esse in eo qui non est contritus: quia potest peccata sua confiteri Sacerdoti, & clauibus Ecclesiae se subijcere: & quamvis tunc non percipiat absolutionis fructum, tamen recedente fictio-

ne percipere incipiet. Et sic etiam in alijs Sacramentis. Vnde non tenetur iterare confessionem qui si stus accedit, sed tenetur post modum fictionem tuam confiteri.

## QUAESTIO LXXXIII.

*In quibus casibus Confessio sit invalida?*

**F**RANC. Præmittendum est in primis Confessionem factam in absentia esse invalidam: ut cum quis per epistolam mittit sua peccata Confessario absenti exigens eorum absolutionem. Et sic est definitum in Concilijs. Quando autem absentia est modica, & talis quod moraliter reputatur præsentia, licita & valida est Confessio, ut cum occiditur homo in cubiculo clauso petens confessionem: tunc talis vere est præsens moraliter Confessario saltim auditu, percipienti eum: vnde poterit eum absolvere.

Est igitur primus casus Confessionis invalidæ. Si pœnitens sit excommunicatus maiori vel minori excommunicatione: tunc enim si ad confessionem accedat & absolutionem recipiat non ablata prius excommunicatione, confessio nulla est, non enim subiectum tale capax est Sacramenti pœnitentiæ.

*l. 3. c. 10. n. 2.* **T**olet. Advertendum tamen quod habens invincibilem ignorantiam iuris vel facti, qui nescit se excommunicatum, vel ignorat excommunicatum non posse confiteri. Tunc valida est confessio, & verum Sacramentum. Ecclesia enim non intendit privare Sacramento, excommunicatum in huiusmodi ignorantia positum. Quando vero non est ignorantia, aut est crassa, tunc confessio est invalida.

**F**RANC. 2. Casus est, quando Confessor est Excom-

municatus vitandus, vt excommunicatus nominatim, vel publicus clerici percussor. In casu tamen extremæ necessitatis potest quis confiteri huiusmodi confessarijs.

3. Est cum quis carens potestate Ordinis audit Confessiones, puta laicus habitu Sacerdotali dissimulatus. Si vero quis Sacerdos intrusus audiat confessiones sunt validæ. Puta si simplex Sacerdos vel Regularis Apostata communiter habeatur vt legitimus Parochus: tunc enim stante errore communi populi, jus dat huiusmodi Clericis intrusis jurisdictionem necessariam ad hoc vt sint validæ confessiones ab eis auditæ.

4. Est cum audiens confessiones nullam habet iurisdictionem nec ordinariam quam habent Prælati, & Parochi, nec delegatam, quam habent expresse approbati ab Episcopis, nec vllam aliam præter potestatem Ordinisque est sufficiens, vt valida sit cōfessio cū pænitens est in mortis articulo, & tunc est amplissima ad absolvendum ab omnibus censuris & peccatis etiam Papæ reservatis. Nihil enim est reservatū in articulo mortis.

5. Casus est. Cum Confessarius approbatus ab vno Episcopo audit confessiones fidelium alterius Episcopi in huius diocesi sine huius licentia, vel alia sufficienti iurisdictione. Nullus enim habet facultatem ad oves alienas.

6. Est cum Confessarius non habuit intentionem absolvendi. Septimus. Cum confessarius est valde ignarus nesciens inter peccatum mortale, & veniale discernere, nec conscientiam pænitentis iudicare.

Et tandem quotiescunque deficit aliquod essentialiter requisitum ad sacramentum pænitentiae scienter. Dixi, scienter, ratione confessionis informis, in quo quid debeat fieri, sicut dictum est. Igitur in his casibus iteranda est confessio, & denuo facienda.

## QVÆSTIO LXXXIV.

*Num per confessionem deleantur peccata oblita?*

**F**RAN. Resp. affirmative: dummodo dolor super naturalis se extendat ad ea. Vt cum quis accedit ad Confessionem, & obliviscitur alicuius peccati de quo non habet dolorem supernaturalē specialem, eo quod non recorderetur de eo: & tunc per dolorem generalem quo dolet de omnibus offensis commissis in Deum simul cum confessione sacramentali etiam se extendente, ultra confessionem eorum de quibus est memoria ad omnia reliqua peccata, & data absolutione à Sacerdote, remittitur peccatum oblitum.

## QVÆSTIO LXXXV.

*Num peccata per ignorantiam non confessa sint iterum confitenda?*

**F**RAN. Præmitto. Triplicem esse ignorantiam. 1. Affectatam, seu supinam quam quis voluntarie vult habere. 2. Crassam, cum quis non ponit totalem sollicitudinem ad sciendum quod scire tenetur. 3. Ignorantiam invincibilem: seu nescientiam rei quam quis vincere non potest factis diligentijs omnibus possibilibus moraliter.

Dico igitur quod quando habet quis ignorantiam affectatam, nolens scire quæ scire tenetur, sed placet & affectat nescire vt liberius peccet: tunc si commisit aliquod peccatum ignoranter, tenetur non solum id confiteri quando scit esse peccatum, sed etiam iterare



confessionem in qua de eo non se accusavit. Ratio est quia huiusmodi affectator ignorantiae non fuit confessus bene: in eo enim quod sibi placebat ignorantia, non habebat dolorem de hac affectatione, & consequenter nec de alijs peccatis: non enim datur dolor sufficiens ad Sacramentum, si sit de vno & non de alijs peccatis.

Si vero ignorantia sit crassa: & propter eam quis non confessus est peccatum mortale, putans non esse tale, tunc cum sciverit illud esse tale, non tenetur iterare confessionem, sed confiteri hoc peccatum.

Emmanuel Sa. Vnde qui cum puer esset, ignorabat *v, Confess.* aliquid peccatum mortale esse, cum postea advertit, *n. 33.* sufficit illud solum confiteri.

Diana. Hinc etiam infertur quod rustici homines *2. p. tra. 4.* qui aggregati & inculto modo confitentur sine numero, *de poenit.* & diligentia, cogendi non sunt repetere confessiones *resol. 89.* factas cum indoctis Parochis: cum enim bona fide confiteantur, & uniformem vitae modum, & vivendi rationem habeant: statim ex confessione vnius anni conijciat prudens Confessarius quantum in reliquis annis peccaverint, & quot numerum peccatorum commiserint.

Fr. Quando autem adest invincibilis ignorantia tunc nullum est peccatum: vnde nec confitendum.

## QUAESTIO LXXXVI.

### De sigillo Confessionis.

**F**Ran. Sigillum est obligatio celandi ea quae in confessione manifestantur. Seu debitum celandi confessionem. Dicitur autem sigillum metaphorice per si-

militudinem ad materiale sigillum quod occultat scripturam & claudit. Quæ autem cadunt præcipue sub sigillo sunt peccata mortalia, & venialia: & illa tam in communi quam in particulari: hæc autem in particulari, non in communi. Vnde ea revelare in communi non est contra sigillum. Nam qui confitetur, manifeste ostendit se habere peccata venialia, alias non esset confessio.

l. 3. c. 16.  
q. 2.

Tolet. Item defectus qui ad famam pœnitentis pertinent, sub sigillo sunt, vt si quis diceret se audisse in confessione illegitimum vel ignobilibus parentibus natum, & similia omnia hæc sub sigillo cadunt. Reliqua tamen quæ ad peccatum non faciunt, vel ad infamiam pœnitentis, non cadunt sub sigillo.

sup ad 3, p.  
p. 1, 11. 4, 2.

D. Thom. Quamvis autem sigillum Confessionis directe non se extendat nisi ad illa de quibus est Sacramentalis confessio: attamen indirecte, id quod non cadit sub Sacramentali confessione, etiam ad sigillum confessionis pertinet, sicut illa per quæ posset peccator, aut peccatum deprehendi. Nihilominus tamen alia summo studio sunt cælanda, tum propter scandalum, tum propter pronitatem quæ ex consuetudine accidere posset.

Ibid.

Tolet. Non est autem contra sigillum peccata manifestare absolute, sed vt pœnitens manifestetur: vnde qui de peccatis in confessione auditis consulunt doctos, non agunt contra sigillum nisi ita peccata manifestent, vt possit alius facile in cognitionem pœnitentis venire.

Ibid. q. 3.

Obligatio autem sigilli tanta est, vt nulla prorsus causa neque etiam propter salvandam vitam propriam, neque propter salutem totius reipublicæ possit confessarius peccatum pœnitentis revelare.

vbi su. a. 1,  
ad 2,

D. Thom. Nam præceptum de confessione servanda

consequitur ipsum Sacramentum: & ideo sicut præceptum de confessione sacramentali facienda est de jure divino, & non potest aliqua dispensatione vel jussione homo absolvi ab ea: ita nullus ad revelationem confessionis potest ab homine cogi vel licentiari. Unde si præcipiatur sub pæna excommunicationis jam latæ quod dicat si aliquid scit de tali peccato, non debet dicere, quia debet existimare quod intentio præcipientis est, si sciat ut homo: hoc autem non scit ut homo. Et si etiam exprimeret de confessione interrogatus, non deberet dicere, nec excommunicationem incurreret, non enim subiectus est superiori suo nisi ut homo: hoc autem non scit ut homo, sed ut Deus.

Fran. Homo enim non adducitur in testimonium nisi ut homo: illud tamen quod sub confessione scit, debet habere tanquam nescitum, cum illud nesciat ut homo, sed ut Deus. Et hinc habetur posse Confessarium sine læsione conscientie jurare se nescire quod scit tantum ut Deus. Imo & Prælati sine læsione conscientie potest dimittere peccatum subditi impunitum quod scit tantum ut Deus, vel sine aliquo remedio quia non tenentur adhibere remedium nisi eo modo quo ad ipsum defertur: & ea quæ scit in foro conscientie, procuret in eodem foro corrigere.

Andr. Victorell. Clemens VIII. edicto cavet an. 1593. ne regularium Superiores ad externam gubernationem notitia confessionis utantur.

Fran. Persona quæ tenetur ad sigillum est Sacerdos qui est minister Sacramenti. Deinde interpretes si per interpretem facta est confessio. Deinde alii si forte curiose audivit confessionem, vel etiam nolenter. Item illi qui a malo Confessario fractore sigilli audierunt confessionem, tenentur ad sigillum. Et etiam alij si hi re-

velaverunt eis id quod à Sacerdote fractore acceperunt. Omnes isti mortaliter peccant si frangant sigillum : & sacrilegi & violatores Sacramenti sunt qui immediate audierunt confessionem si illam revelent.

Rogabis. Num quis cū male confitetur puta delusorie quem Sacerdos repellit nolens eum absolvere : an in hoc casu teneatur Sacerdos ad sigillum ? Resp. negative : Hic enim nulla est confessio sacramentalis ex qua sigillum Sacramenti oritur. Secus vero si quis sine delusione accederet, & Sacerdos non absolveret eum ob aliquem defectum, puta doloris, ignorantiae, examinis, vel quia Sacerdos non haberet potestatem absolvendi eum à peccatis vel censuris quas habet pœnitens : hic enim datur aliqualis saltim inchoata confessio.

Rogabis iterum. Num in Confessione facta laico vel humilitatis causa, vel quia laicus se finxit Sacerdotem, detur obligatio sigilli ? Resp. affirmative : nam in utroque casu est veræ confessionis similitudo : & quidem in secundo, confessio quantum est de se, est integra.

Tenetur etiam ad sigillum qui invenit chartam scriptam cum peccatis alicuius : nam illa peccata vel sunt ad confitendum, & scribuntur in subsidium memoriæ ? vel sunt iam confessa : si primum. Jam sunt ordinata ad confessionem Sacramentalem : si secundum, iam sunt affecta confessionis sigillo. Vnde ea legens statim ut advertit, debet cessare à lectura & celare : alias peccabit mortaliter.

Est igitur vnicus casus in quo potest revelari confessio, nempe cum pœnitens dat licentiam Confessario. Nam duo sunt propter quæ tenentur Sacerdotes occultare peccatum. 1. Quia occultatio est de essentia Sacramenti in quantum scit illud Confessarius ut Deus, cuius vicem gerit ad confessionem. 2. Propter scandalum vi-

tandum. Potest autem confitens facere quod Sacerdos illud quod sciebat ut Deus, sciat etiam ut homo, quod facit dum licentiat eum ad dicendum, & ideo si dicat, non frangit sigillum, tamen debet vitare scandalum.

D. Thom. Qui autem scit aliquid per confessionem, & etiam alio modo, non tenetur celare quantum ad id quod scit ut homo: potest enim dicere, scio illud quod vidi: tenetur tamen celare illud in quantum scit ut Deus: non enim potest dicere, hoc audiui in confessione. Tamen propter scandalum vitandum debet abstinere, ne de hoc loquatur nisi imminet necessitas.

*in sup. ad 3  
p. 9. 11. a. 5*

Et quia non debet ita vitari peccatum ex vna parte, quod ex alia, iustitia relinquatur (Veritas enim non est propter scandalum dimittenda) Ideo quando imminet periculum iustitiæ non debet dimitti revelatio eius quod quis in confessione audiuit, si aliter scit, propter scandalum, dum tamen scandalum, quantum in se est vitare nitatur.

*ad 4.*

Franc. Tandem sciendum in aliquibus casibus licere uti notitia habita in confessione, dummodo id fiat prudenter absque ulloque prorsus periculo frangendi sigillum. Et ratio est quia Confessor solum obligatur ex præcepto sigilli confessionis ad celanda ea quæ in confessione audiuit. Ergo his celatis bene potest Confessor uti notitia confessionis ad bonum commune aut proprium ipsius Confessarij, aut etiam pænitentis.

Lean. de SS. Sacr. Vnde licet Confessario, ex notitia per confessionem habita dicere Prætoribus urbis, aut Inquisitoribus, aut Prælati Monasterij ut diligentius invigilent: dummodo id faciat absque periculo revelationis pænitentis: vnde caueat Sacerdos, ne dicat talia peccata committi aut pericula magna imminere, se scire in confessione. Quia hac cautela nec directe,

*10. 1. tra. 5  
disp. 10. q.  
66.*

nec indirecte revelantur peccata in confessione audita.

Pariter si Sacerdos ex confessione novit sibi parari insidias, potest eas fugere quæsito aliunde colore. Et licite poterit non celebrare si per confessionem sciat vinum præparatum ad missam esse veneno infectum: poterit domo non exire si sciat periculum mortis sibi imminere: poterit quoque amplius non confiteri ei quæ ex confessione huius novit non esse Sacerdotem &c.

## QVAESTIO LXXXVII.

### *De satisfactione Sacramentali.*

**F**RAN. Satisfactio quæ est tertia pars Sacramenti penitentiae est offensæ præteritæ quoad pœnam sacramentalis recompensatio. Ad cuius definitionis evidentiam sciendum, quod peccatum mortale quoad culpam tollitur per gratiam quæ in Sacramento datur; quoad pœnam autem etiam aliquando potest tolli totaliter cum fit confessio cum charitate intensissima perficiente valde contritionem: cæterum regulariter non tollitur tota pœna temporalis in hoc mundo aut in purgatorio solvenda, quamvis tollatur reatus ad pœnam æternam gehennalem. Vnde ad hanc partem pœnæ temporalis recompensandam imponitur penitenti satisfactio à Confessario: & hæc satisfactio est pars Sacramenti penitentiae.

Hæc autem satisfactio vel in re, vel in voto est pars Sacramenti: nam cum voto tantum satisfactionis aliquando est Sacramentum penitentiae, ut in articulo mortis quando non potest moribundo penitentia seu satisfactio imponi.

D. Thom. Opera autem satisfactoria debent esse pœnalia : nam peccatorum medicinæ sunt pœnæ vt dicitur 2. Ethic. Et sunt tria nempe eleemosyna, jeiunium, & Oratio. & quid quid in proximi vtilitate expenditur, totum eleemosynæ rationem habet : & quid quid ad afflictionem corporis pertinet, totum ad jeiunium refertur. & similiter quæcunque latria exhibeatur Deo, orationis accipit rationem.

in sup. ad 3.  
p. 9. 15. d.  
1. 3. c. in  
hoc ad 5.

Franc. Vnde Corporis castigationes, mortificationes, peregrinationes, & huiusmodi attinent ad jeiunium. Missarum celebrationes prædicationes, sacramentorum ad ministraciones, & huiusmodi ad orationem. Opera autē corporalia misericordiæ vt visitare infirmos incarceratos, consolari pupillos, & huiusmodi attinent ad eleemosinam & ista satisfactio cum sacramentalis est, imposita scilicet à Confessario est magis efficax quam cum voluntaria est, nempe cum quis voluntarie pro peccatis jeiunat, orat &c. quin hæc sint ei imposita à Confessario.

Tolet. Id autem intelligendum est cæteris paribus. Quia tanto seruiore, & deuotione posses illud facere voluntariū, & tam tepide impositum, vt plus esset quod deuotioni maiorī datur, quam quod ratione Sacramenti vbi virtus Christi applicatur magis absolute.

2. 3. c. 11.  
n. 3.

Franc. Hæc satisfactio sacramentalis debet adimpleri in statu gratiæ, & tunc dicitur satisfactio formata, & causat augmentum, & integritatem gratiæ sacramentalis, & satisfacit pro pœna debita pro peccatis. Si vero sit informis, seu adimpleatur extra statum gratiæ & charitatis, tunc quidem pœnitens satisfacit quantum ad hoc quod facit id quod est sibi impositum à Confessario, ita vt non peccet denuo non adimplendo pœnitentiam; cæterum nullum fructum percipit nec quantum

ad augmentum gr̄atiæ nec quantum ad remissionem p̄næ pro peccatis. At vero valde probabile est satisfactio-  
nem informē postea habere suum effectum, quantum  
ad satisfaciendum pro p̄na, quando p̄nitens conse-  
quitur gratiam. Oppositum tamen cenleo probabilius.

Rursus quantum ad impletionem satisfactionis si de-  
beat fieri per opera personalia, puta jeiunium, non po-  
test per alium adimpleri: bene vero si debeat per opera  
realia. Vnde qui tenetur satisfacere erogando eleemoly-  
nam potest satisfacere per alium.

Circa quantitatem satisfactionis considerata est  
quantitas & gravitas peccatorum, vt ita satisfactio cor-  
respondeat peccatorum quantitati & gravitati. Haben-  
da tamen est ratio status, conditionis, sexus, & ætatis,  
& item dispositionis p̄nitentium vt salutarem, & con-  
venientem satisfactionem iniungat Confessarius quan-  
tum spiritus, & prudentia suggererit. Videat que ne  
peccatis gravibus levissimas p̄nitentias imponat: ne si  
forte peccatis conniveat, alienorum peccatorum parti-  
ceps efficiatur.

*in titu. de  
sac. p̄nit.*

Rituale Romanum. Id vero ante oculos habeat, vt  
satisfactio non sit tantum ad novæ vitæ remedium, &  
infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum  
peccatorum castigationem. Quare curet quantum fieri  
potest vt contrarias peccatis p̄nitentias iniungat: ve-  
luti avaris eleemosynas, libidinosi jeiunia, vel alias  
carnis afflictiones, superbis humilitatis officia, desidio-  
sis, devotionis studia. Rarius autem vel serius confiten-  
tibus, vel in peccata facile recidentibus, vtilissimū fue-  
rit consulere, vt sæpe, puta, vt semel in mense vel cer-  
tis diebus solemnibus confiteantur, & si expediat, com-  
municent.

P̄nitentias pecuniarias sibi ipsi Confessarij non ap-



pliceñt, neque à pœnitentibus quidpiam ministerij sui præmium petant, vel accipiant. Pro peccatis occultis quantumvis gravibus, manifestam pœnitentiam non imponant.

Ægris autem non est iniungenda gravis, aut laboriosa pœnitentia, sed indicenda tantum illa quam si convaluerint opportuno tempore peragent. Interim iuxta gravitatem morbi, aliqua oratione, aut levi satisfactiõne imposita, & acceptata, & absolvantur, prout opus fuerit.

Fran. Imponitur etiam non æqualis sed minor pro peccatis pœnitentia, quando pœnitens accedit valde magna contritione. Item tempore Indulgentiarum, vel Jubilæi. Item cum pœnitens est senex, vel alias aliquantulum impeditus. Quando autem nulla causa minorandi pœnitentiam adest, ea debet esse quantum fieri potest justa & æqualis mensuræ peccatorum.

Et ne Confessarius scrupulis gravetur, si dederit justam pœnitentiam, vel non. Poterit dare eam quam prudenter iudicaverit justam: & addere, quidquid boni fecerit, & mali sustinuerit pœnitens. Et ita fugabit scrupulã de sufficientia satisfactiõnis injunctæ.

Fran. Apolar. Est etiam multorum opinio posse injungi in pœnitentiam opus alias de præcepto faciendũ puta auditio missæ in die festo: nam ex præcepto Confessarij huiusmodi opus elevatur, & convertitur in satisfactiõnem sacramentalem.

D. Thom. Flagella quoque & castigationes præsentis vitæ quæ pro peccatis à Deo infliguntur, si patiens acceptat ea ad purgationem peccatorum eis patienter utens, & faciens de necessitate virtutem etiam sunt opera satisfactoria.

Fran. Tandem est satisfactio medicinalis satisfaciens

pro peccatis præteritis, & præcavens de futuris tollendo scilicet occasiones & pericula peccandi: & hæc satisfactio esto non inungeretur à Confessario quantum ad præcautionem est adimplenda à Pænitente: nam inseparabilis est à dolore requisito ad confessionem, & pænitentiam, ut per se patet.

Rogabis quale peccatum sit non adimplere pænitentiam? Respondeo quod si fuit iniuncta pro peccatis mortalibus erit mortale nisi Confessarius velit non obligare, ad mortale: si autem est iniuncta pro venialibus, erit veniale. Ommittere autem aliquam parvam partem, nunquam est mortale: nam excusat materiæ parvitas.

Rogabis iterum. Num possit fieri commutatio in pænitentia iniuncta? Resp. affirmative. Et in primis ab ipso pænitente quando commutatio fit in melius tam in ratione satisfactionis quam in ratione medicinæ. Deinde ab ipso Confessario, vel à superiore, vel etiam ab æquali, cum adest iusta causa, puta difficultas adimplendi pænitentiam: vel aliqua alia rationabilis causa. Hæc autem commutatio debet fieri intra Sacramentum: Unde pænitens tenetur cum ab alio exigit commutationem cum quo confessus non fuit, dicere ei peccata ob quæ talis pænitentia fuit ei imposita, ut is faciat iudicium prudens ad commutationem auditis etiam causis pænitentis ad commutationem petendam. Et tunc non est absolvendus de peccatis, cum iam fuerit absolutus, nisi denuo ea novo dolore confiteatur.



## QVÆSTIO LXXXVIII.

*De Materia remota Sacramenti Pœnitentiæ.*

**F**RANC. Diximus materiam remotam Sacramenti pœnitentiæ esse peccata, quæ quidem alia sunt mortalia, & alia venialia. Illa sunt materia necessaria, hæc vero voluntaria. Vnde peccata mortalia singula & omnia commissa ab homine debet is confiteri. Ad horum enim deletionem principaliter est institutum Sacramentum pœnitentiæ.

Peccata etiam quæ homo commisit, dubitat verum fuerint mortalia vel venialia. Vel etiam peccata mortalia de quibus dubitat homo, num fuerit confessus ea; reductive attinent ad materiam necessariam huius Sacramenti. Et quidem de primo genere peccatorum, nullum est dubium nam constat ea, peccata esse: deinde in dubio, tutior via est sequenda. Peccata autem secundi generis, se solis non sunt sufficiens materia ad confessionem, nisi addatur novus de eis dolor, vel apponatur novâ materia remota. Vnde huiusmodi peccata dubia debent vt dubia confiteri cum nova materia in casibus in quibus nova & certa materia apponenda videbitur Confessario.

Peccata venialia sunt materia voluntaria, & de eis potest quis quæ voluerit confiteri, & quæ noluerit, inconfessa relinquere: non enim principaliter contra huiusmodi peccata est institutum hoc Sacramentum: & multis alijs modis remittuntur peccata venialia, vt per transfusionem pectoris, aspersionem aquæ benedictæ &c. Reducuntur etiam, ad materiam voluntariam, peccata mortalia rite confessa: & de his cum quis denuo se ac-

cussat novo dolore, & nova confessione, potest etiam  
quæ voluerit omittere in confessione: non enim ce-  
netur ea iterum confiteri.

## QUAESTIO LXXXIX.

### Quid sit Peccatum?

**A**ugustinus. Peccatum est dictum, vel factum, vel  
concupitum contra legem æternam.

Franc. Id est actus humanus malus procedens à vo-  
luntate, vel ellicitive, ut ipsum velle, vel imperative,  
ut exteriores actus à voluntate imperati, puta locutio-  
nes, vel operationes.

1. 2. q. 71.  
a. 6.

D. Thom. Habet autem actus humanus quod sit ma-  
lus ex eo quod caret debita commensuratione: omnis  
autem commensuratio cuiuscunque rei attenditur per  
comparationem ad aliquam regulam, à qua si diver-  
tat, incommensurata erit. Regula autem voluntatis hu-  
manæ est duplex. 1. Proxima, & homogenea, scilicet  
ipsa humana ratio. 2. lex æterna, prima scilicet regula,  
quæ est quasi ratio Dei. Et ideo Augustinus in defini-  
tione peccati posuit duo: vnum quod pertinet ad subst-  
tantiam, actus humani: quod est quasi materiale in pec-  
cato, cum dixit: dictum vel factum, vel concupitum:  
aliud autem quod pertinet ad rationem mali, quod est  
quasi formale in peccato: cum dixit: contra legem æter-  
nam.

Fran. Et quia affirmatio, & negatio reducuntur ad  
idem genus etiam erit peccatum, nondictum, nonfa-  
ctum, vel nonconcupitum quod sit contra legem æter-  
nam. Vnde peccat qui facit v. g. quod est contra le-  
gem æternam: & etiam qui non facit quando facere

tenetur *sm* legem: tunc enim non facere est contra legem.

Argues 1. Peccatum præcipue consistit in voluntate deordinata, & averfa à debito fine: ergo mala est definitio hæc non tangens deordinationem voluntatis. 2. Multa sunt mala & peccata quamvis nulla lege sint prohibita: ergo insufficientis est prædicta definitio solum assignans peccatum, id quod est contra legem æternam.

Resp. ad 1. legem æternam primo, & principaliter ordinare hominem ad finem, consequenter autem facit bene se habere circa ea quæ sunt ad finem. Et ideo in hoc quod dicitur in definitione, contra legem æternam, tangitur averfio voluntatis à fine, & tanguntur etiam omnes aliæ inordinationes.

Ad 2. Quod quamvis aliqua peccata sint non prohibita per ius positivum, tamen si referantur ad ius naturale, quod continetur primo in lege æterna; secundo vero in naturali iudicatorio rationis humanæ, tunc omne peccatum est, quia prohibitum: ex hoc enim quod est inordinatum juri naturali repugnat. Et ideo definitio Augustini sufficiens, & optima est, comprehendit que omne genus peccati.

## QUAESTIO XC.

### *De distinctione peccatorum.*

**F**RAN. Distinctio peccatorum specifica desumitur ex obiectis. Nā ad rationem peccati concurrunt duo, actus scilicet voluntarius, & inordinatio eius quæ est per recessum à lege Dei. Horum autem duorum per se comparatur unum ad peccantem qui intendit talem actum voluntarium

exercere in tali materia. Aliud autē scilicet inordinatio actus, per accidens se habet ad intentionem peccantis: nullum enim intendens ad malū operatur ut dicit Dionys. c. 4. de diu. nomin. Species autem cuiuscunque rei sumitur ex eo quod est per se. Vnde peccata distinguuntur in specie ex parte obiectōrū circa quæ exercentur actus voluntarij deordinati, non autem ex parte deordinationis.

Hoc autem quod est peccata distingui penes obiecta, perinde est ac ea distingui secundum fines diuersos, vel etiam secundum virtutes quibus opponuntur: nam virtutes etiam distinguuntur specie secundum obiecta.

*I. 2. q. 72. a. 1. dub. 1 §. Verum. Ut conclus.* Noster Reverendissimus Mag. Zumel. Advertendum tamen quod obiecta quæ peccata distinguunt non sunt accipienda materialiter, sed formaliter in esse moris, hoc est, quatenus induunt rationem operabilis difformiter ad regulam diuinam, & rationem. Nam comedere carnes quando non oportet, & similiter comedere pisces, licet materialiter differant, non tamen pertinent ad diuersa peccata specie, deformitas enim ad rationem eadem est utrobique. Et est contra etiam comedere carnes ex concupiscentia gulæ, vel ex intentione scandalizandi proximum, licet in esse rei sint eiusdem rationis, tamen in esse moris sunt obiecta formaliter distincta, & sic constituunt peccata specie distincta.

## QUAESTIO XCI.

*De distinctione peccatorum in carnalia, & spiritualia.*

*I. 2. q. 72. a. 2.* **D.** Thom. Peccata recipiunt speciem ex obiectis. Omne autem peccatum consistit in appetitu aliquis commutabilis boni quod inordinate appetitur: & per

per consequens in eo iam habito inordinate delectatur. Duplex autem est delectatio, 1. Animalis quæ consumatur in sola apprehensione alicuius rei ad votum habitæ, & hæc etiam potest dici delectatio spiritualis, sicut cum aliquis delectatur in laude humana, vel in aliquo huiusmodi. 2. Corporalis, seu naturalis, quæ in ipso tactu corporali perficitur, quæ potest etiam dici delectatio carnalis. Sic igitur illa peccata quæ perficiuntur in delectatione spirituali, vocantur peccata spiritualia: illa vero quæ perficiuntur in delectatione carnali, vocantur peccata carnalia, sicut gula quæ perficitur in delectatione ciborum, & luxuria quæ perficitur in delectatione venereorum.

## QUÆSTIO XCII.

*Num peccata differant specie secundum causas?*

**F**RANC. Resp. negative quantum ad causas activas, affirmative vero quantum ad reliquas causas. Et quidem nullum est dubium de causis materiali, & formali: istæ enim proprie respiciunt substantiam rei: & ideo substantiæ secundum formam, & materiam specie distinguntur. De causa finali etiam patet: nam finis est obiectum voluntatis: peccata autem distinguntur specie penes obiecta: unde diversitas specifica finium, arguit specificam peccatorum diversitatem.

Quod autem causæ activæ non faciant differentiã specificam in peccatis, patet: nam principia activa in actibus voluntarijs non se habent ex necessitate ad unum, sed ad plura: unde ex vno principio activo possunt diversæ species peccatorum procedere si obiecta sint diversa: & ex pluribus principijs activis specie distinctis, pec-

catum idem in specie, si obiectum sit idem. Exemplum primi in timore v.g. male humiliante ex quo potest procedere quod homo furetur, & quod occidat, & quod deserat gregem sibi commissum, quæ sunt peccata diversa ob diversitatem obiectorum. Exemplum secundi in adulterio procedente ex timore, vel amore, quod non est diversæ speciei, quamvis causa seu motivum activum sit timor, vel amor, quæ sunt diversa principia: nam obiectum est idem.

## QV AESTIO XCIIII.

*De divisione peccati in peccatum in Deum, in se ipsum  
& in proximum.*

**F**RANC. Hæc divisio communiter assignatur sumpto motivo ex triplici ordine ad quem comparatur homo. 1. Ad ordinem rationis, prout scilicet omnes actiones, & passionis nostræ debent secundum regulam rationis commensurari. 2. Ad ordinem legis divinæ per quam homo in omnibus dirigi debet. 3. Ad ordinem socialem quo homo politice & regulate cum alijs hominibus vivere debet.

Quando igitur committitur peccatum contra regulam rationis qua debemus dirigere nos quoad nos tantum, dicitur hominem peccare in se ipsum, sicut patet de guloso, luxurioso, & prodigo. Quando vero peccatur in his quæ sunt sub ordine Dei excedentia rationem humanam, dicitur peccatum in Deum, sicut hæreticus, sacrilegus, & blasphemus. Et tandem cum homo peccat in his quibus ad proximum ordinatur, dicitur peccare in proximum, sicut patet de fure, & homicida.



D. Thom. Sunt autem diversa quibus homo ordinatur ad Deum, ad proximum, & ad se ipsum: unde hæc distinctio peccatorum est secundum obiecta secundum quæ diversificantur specie peccata: unde hæc distinctio peccatorum proprie est secundum diversas peccatorum species: nam & virtutes quibus peccata opponuntur secundum hanc differentiam, specie distinguntur. Homo enim virtutibus theologicis ordinatur ad Deum, temperantia, & fortitudine ad se ipsum, & iustitia ad proximum.

M. Zumel. Omnia tamen peccata generali quadam ratione sunt contra Deum quatenus sunt contra legem Dei, quæ jubet ut ordinate nos habeamus erga ipsum, & nos ipsos: & etiam peccata omnia sunt contra ipsum peccantem, quia sunt contra eius bonum. Tamen speciali & propria ratione dicuntur peccata contra Deum, illa quæ directe militant contra virtutes theologicas, & contra religionem, & cultum Dei ut cognoscitur per fidem.

Pariter peccata propria & specialia in proximum sunt quando in eum committuntur propter aliquam peculiarem rationem in eo repertam puta cum odio habetur quia est hostis, vel inimicus. Si autem odio haberetur propter Deum, ut si Christianus occidatur à Tyrannis quia Christianus est, hoc peccatum non diceretur proprie in proximum nam esset idem in specie cum peccato odij in Deum, sicut est idem in specie actus quo Deus diligitur & proximus propter Deum.

Sicut autem est diversus actus diligendi Deum, & diligendi proximum non propter Deum, sed propter aliam rationem: sic etiam est diversus actus odij quo proximus non propter Deum, sed propter aliam rationem odio habetur, ut quia est hostis &c.

Et tandem peccata quæ propria, & speciali ratione

sunt contra ipsum peccantem, dicuntur talia in quantum directe destruunt modum quem ipse debet tenere in suis affectionibus, vel passionibus, & talia sunt vitia contra temperantiam, & fortitudinem.

## QVAESTIO XCIV.

*Num distinctio peccati mortalis, & venialis sit specifica?*

**F**RANC. Resp. esse plus quam specificam, genericam nempe. Ratio est nam peccatum veniale ex genere suo habet non avertere ab ultimo fine: bene vero peccatum mortale. Vnde genericè differunt.

1, 2. 88, a  
1, disp, 3, 9  
Dico tertio

Mag. Zumel. Præcipuum enim, & primum discrimen inter veniale, & mortale in hoc consistit, quod mortale tam ex parte obiecti seu materiae quàm ex parte peccantis habet totum id quod requiritur ut sit gravis offensa Dei & repugnans charitati, & amicitiae erga ipsum Deum: veniale vero propter defectum aliquem in aliquo istorum, levis offensa est, & non rescindit amicitiam cum Deo, sed potius conservata ordinatione circa ultimum finem, ex eo quod non avertit ab ultimo fine, facit quasi aversionem ab his quæ sunt utilia ad consecutionem finis.

1, 2. q. 88,  
c. 2.

**D.** Thom. cum enim voluntas fertur in aliquid quod in se, repugnat charitati per quam homo ordinatur in ultimum finem illud peccatum ex suo obiecto habet quod sit mortale: vnde est mortale ex genere suo sive sit contra dilectionem Dei, sicut blasphemia periurium & huiusmodi; sive contra dilectionem proximi sicut homicidium, adulterium, & similia: vnde huiusmodi sunt peccata mortalia ex genere suo. Quandoque vero voluntas

peccantis fertur in id quod in se continet quandam inordinationem, non tamen contrariatur dilectioni Dei, & proximi: sicut verbum otiosum, risus superfluus, & alia huiusmodi, & talia sunt peccata venialia ex suo genere.

Franc. Vnde quod repugnat divinæ charitati ex genere suo est peccatum mortale: nam hoc ipso quod aliquis eligit id quod divinæ charitati repugnat, convincitur præferre illud charitati divinæ, & per consequens plus amare illud quam Deum: amare autem aliquid supra Deum, est gravis iniuria Dei & consequenter peccatum mortale. Quando autem aliquid non recedit à charitate divina, sed præter eam est habens inordinationem circa ea quæ sunt ad ultimum finem, conservato autem ordine ad ultimum finem: Tunc est veniale peccatum.

Ostenditur hoc exemplo. Tunc aliquis recedit ab aliqua via qua eundem est ad terminum, quando sumit contrariam viam, retrorsum nempe ambulando: quando vero eundem est ad terminum viæ per viam, aliquis vero recedens à via, non tamen sumendo contrariam, sed per diversam viam tendit in terminum, tunc dicitur non ire contra viam, sed præter viam: & iste non perdit ordinem ad finem viæ: licet deordinate ambulet divertens à via competenti.

Sic igitur, qui tendit in consecutionem ultimi finis, scilicet Dei tendit per gratiam & charitatem: qui autem peccat contra charitatem peccat mortaliter, & sumit viam contrariam, & sic per hanc contrariam viam nequit consequi Deum. Qui autem declinat à charitate non sumendo viam contrariam, sed conservato ordine ad ultimum finem, is peccat venialiter, & agit non contra, sed præter charitatem: habet enim deordinationem circa viam, conservat tamen ordinem ad finem viæ.

## QUAESTIO XCV.

*Num peccatum veniale possit fieri mortale, & è contra?*

**F**RANC. Respondeo primæ parti quæstionis, quod idē numero actus qui primo sit peccatum veniale, non potest postea esse peccatum mortale: quia peccatum principaliter consistit in actu voluntatis, sicut & quilibet actus moralis. Vnde non dicitur vnus actus moraliter, si voluntas mutetur: quamvis etiam actio sm naturam sit continua. Si autem voluntas non mutetur, non potest esse quod de veniali fiat mortale.

At vero id quod est veniale ex genere potest esse mortale 1. Si in eo constituatur ultimus finis. Vt cum quis ita actum venialem exequitur, quod paratus est etiam si mortalis esset, exequi.

2. Cum quis peccatum veniale ordinat ad mortale ex genere suo, puta cum aliquis ordinat verbum otiosum ad adulterium committendum.

3. Ratione contemptus. Ad cuius intelligentiam est notandum, contemptum esse negatiuum, & positiuum. Primus est cum quis non curat de aliquo non tamen facit iniuriam, aut irreuerentiam. Secundus, cum quis alium viliter, & iniuriose tractat.

**Silv.** Contemptus negatiuus est peccatum mortale si lex Dei quam violat est præceptiua: aut veniale, vel nullum si est consultiua tantum. Contemptus autem positiuus si sit contra legem Dei, & contra cuiuscunque potentis de jure præcipere semper est peccatū mortale: & omnis transgressio ex tali contemptu est semper mortalis de se, quantuncunque alias esset venialis: quia talis contemptus est formaliter superbia.

Tol. 4. Si est conscientia erronea. Qui enim putat se peccare mortaliter in verbo otioso, si id proferat, mortale est. Jam enim iste habet animum peccandi mortaliter, licet ille actus non erat vere pec. mortale. Et adhuc in actu bono potest hoc contingere: putans enim se peccare mortaliter audiendo sacrum in die festo, mortaliter peccat, si audiat, & etiam, si non audiat: nam tenetur deponere conscientiam erroneam, & scire non esse peccatum, sed præceptum.

Franc. 5. ratione scandali: sic peccat Clericus sustentans domi faminam populo suspectam: quamvis supponamus, nec periculum, nec peccatum esse.

Circa 2. partem quæstionis dicendum etiam id quod ex genere suo est mortale, posse esse veniale ex imperfectione actus, quia non adest plena advertentia & deliberatio quæ requiritur ad actum moralem.

## QUAESTIO XCVI.

### *De peccato commissionis, & omissionis.*

FRANC. Peccatum commissionis est contra præceptum negativum. v. g. dicit præceptum. Non occides: & tunc, qui occidit peccat Commissionis peccato. Peccatum vero omissionis est contra præceptum affirmativum. v. g. dicit præceptum. Honora Patrem: & tunc, qui non honorat, peccat omissionis peccato. Utrumque autem peccatum differt specie tantum materiali, non formali: nam ad idem ordinantur, & ex eodem motivo proveniunt. ut patet in guloso v. g. qui ad ad satisfaciendum gulæ peccat commissionis peccato, superflua comedens, & omissionis peccato, jeiunia debita prætermittens.

l. 2. q. 72.  
sup. 4. 6.

**C**alet. Et ratio est: quia præcepta affirmativa dantur de actibus virtutum: negativa vero de actibus vitiorum. Comittens vero actum vitij, simul agit contra vtrumque præceptum, commitendo actum prohibitum, & omittendo actum mandatum: & in vna tantum specie (formali morali) errat.

## QUÆSTIO XC VII.

*De peccato Cordis, Oris, & Operis.*

ib. sup. 4. 7

**C**Alet. Divisio peccati in peccatum Cordis, Oris, & Operis potest intelligi 1. per modum divisionis generis in species. 2. per modum quasi Totius integralis in suas partes consequenter se habentes.

**F**ran. Et primo modo diversum est in specie peccatum. v. g. peccatum Oris, vt detractio, peccatum Cordis vt hæresis, & peccatum operis, vt furtum: secundo vero modo non specificè sed gradualiter differunt, cum ab eodem motivo proveniunt. Peccatum enim inchoatur in corde, transit ad os, & ad opus. v. g. Iracundus propter vindictam, perturbatur in corde: profert ore contumelias, & opere occidit hominem.

## QUÆSTIO XCVIII.

*Num. Magis, & Minus faciant diversitatem specificam in peccatis?*

l. 2. q. 72.  
sup. 4. 8.

**Z**umel. Peccata quæ sumuntur secundum superabundantiam, & defectum, sunt contraria: contraria vero specie differunt. Ergo superabundantia, & defectus, seu Magis, & Minus faciunt diversitatem specificam in peccatis.

Rursus

Rursus. Peccata diversa s<sup>m</sup> Magis, & Minus, tendunt in sua obiecta sub diversis motivis, ac proinde habent diversa obiecta formalia. Nam certe avaritia intendit plus habere quam recta ratio dicit: prodigalitas vero minus habere quam dicit ratio recta. Unde peccatum avaritiæ, & peccatum prodigalitati habent divitias pro obiecto ad quas vt congregandas contra ordinem rationis tendit avarus, & ad eas dissipandas contra rectam rationem tendit prodigus. Et sic sunt diversa in specie, peccata.

Franc. Quando autem vulgariter dicitur, Magis, & minus non variant speciem: intelligitur, quando proveniunt ab eodem principio, vel sunt intra eandem formam, & eius latitudinem: vt videre est in maiori, vel minori albedine, in furto decem, vel duodecim denariorum: vbi magis, & minus non variant speciem: secus in peccatis per Magis, & Minus oppositis Medio in quo consistit virtus.

## QVÆSTIO XCIX.

### *De circumstantiis peccatorum.*

Franc. Nomine circumstantiarum intelliguntur accidentia actui alicui advenientia, seu inhærentia. v. g. In peccato furti, furtum est actus, & substantia peccati, circumstantia vero erit si furtum sit magnarum divitiarum, vel sit rerum sacrarum, &c. Istæ autem circumstantiæ sunt septem. Nempe, Quis, Quid, Vbi, Quibus auxilijs, Cur, Quomodo, Quando.

Mag. Gonet. Quis, significat personam, non substantiam personæ quæ agit, sed qualitatem, conditionem,

que illi adiunctam, ut si sit sæcularis, vel Clericus, coniugatus, vel solutus, voto adstrictus, vel non, persona particularis, vel communis.

Fran. Quid, quantitatem, & qualitatem peccati, nec non omnia alia quæ se tenent ex parte rei volitæ. Vbi, locum in quo fit peccatum. Quibus auxilijs, socijs peccati. Cur, finem.

ibi.

Gonet. Non finem intrinsecum, & qui se tenet ex parte operis ( iste enim finis pertinet ad essentiam ) sed finem extrinsecum ab ipso operante intentum qui dicitur finis operantis. Ut si quis furetur propter adulteriũ.

Fran. Quomodo significat modum quo peccatum fit. Et quando, tempus in quo fit.

## QUAESTIO C.

*Num circumstantia peccatorum sint aperienda in Confessione?*

e. 14. c. 1

**C**onci. Trid. Colligitur eas circumstantias in confessione explicandas esse quæ speciem peccati mutant, quod sine illis peccata ipsa nec à pœnitentibus integre exponantur, nec iudicibus innotescant: & fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte censere possint, & pœnam quam oportet pro illis, pœnitentibus imponere.

Fran. Necessario ergo confitenda sunt peccata ( mortalia, de his enim est tractatio ) cum circumstantijs, illis adiunctis, mutantibus peccati speciem, ob rationem Concilij. Circumstantiæ vero quæ non mutant speciem, sed aggravant peccatum, non sunt necessario explicandæ, sed voluntarie. Quamvis si notabiliter aggravent, de Consilio explicandæ sint, & sic est praxis.



Illam autem circumstantiam mutat peccati speciem quæ ultra malitiam peccati, addit novam malitiam diversam deformem rationi, vel quia hæc diversa malitia est opposita virtuti distinctæ in specie à virtute cui peccatum opponitur: vel quia est à novo motivo ad peccandum. Unde in circumstantia, *Quis*, tenetur peccans declarare suam conditionem quando hæc facit novam malitiã dissonam rectæ rationi. v. g. Petrus est Sacerdos, vel Religiosus, vel conjugatus. Si fornicetur, non bene confiteretur, dicens habui rem cum fæminâ, sed debet dicere, sum conjugatus, vel sacris initiatus &c. Nam præter deformitatem quæ est in accessu ad fæminã non suam, additur alia in accessu viri conjugati, Religiosi &c. Et ita debet manifestare suum statum, & conditionem. Imo & eius, scilicet fæminæ cum qua peccavit si sit cognata, Religiosa, conjugata &c. Nam in fæminâ sic circumstantiata adest nova deformitas, ultra accessũ simplicem soluti ad solutam.]

In circumstantia *Quid*, datur nova specifica malitia, v. g. cum quis furatur rem sacram. puta calicem consecratum, percutit clericum scienter, secus si adsit ignorantia invincibilis, seu inculpabilis.

Zumel. Nam si Paulus occidat clericum invincibiliter ignorans esse talem, non erit sacrilegus, sed homicida. Nam sicut malitia moralis nequit intelligi sine voluntario: ita neque nova malitia sine nova voluntarij ratione: quam tamen ignorantia invincibilis omnino tollit, cum nihil sit volitum quin præcognitum.

Fran. In circumstantia, *Vbi*, denotatur locus si sit sacer, si publicus. In publico, peccatum est scandalum. In Sacro sacrilegium, quando Sanctitati, vel immunitati loci sacri opponitur, ut humani sanguinis, vel seminis effusio in Ecclesia, abstractio violenta confugientium

ad Ecclesiam. Vnde circumstantia loci publici, & facti est manifestanda in confessione.

In circumstantia, quibus auxilijs, tenetur pœnitens explicare si induxit alios ad peccatum. In circumstantia, cur, si addidit finem nouum deformem, ut si furatus est gladium ad occidendum, debet manifestare in confessione.

Circumstantiæ, quommodo, & quando, raro mutant speciem: cum vero mutant, vel non mutant facile cognoscetur ex dictis.

Tandem: si peccatum ex genere suo veniale, fiat mortale, aliquo modo ex supra dictis in hoc lib. q. 95. necessario est confitendum, vt per se patet nam omnia peccata mortalia mortalia sunt confitenda. Imo & cum quis confitetur peccatum ex genere suo mortale, si sit veniale ex imperfectione actus, debet id aperire in confessione, ne in re adeo gravi faciat errare Confessarium. Etiam, quando quis confitetur peccatû quod erronee putat esse mortale: & tamen nec veniale est. Vt quando incarceratus putat se mortaliter peccare non audiens missam in die festo, cum tamen non est in sua potestate, audire eam. Nam talis conscientia erronea de impossibili auditione missæ, non causat peccatum mortale, licet erronee existimet, mortale esse.

## QUAESTIO CI.

### *De distinctione numerica peccatorum.*

**F**ranc. Numerica peccatorum distinctio sumitur ex vicibus, quibus peccatum fit. v. g. quis semel odio habet vnum, deinde iterum, & sic. Et tunc quoties de nouo odio habet, tot numero peccata committit. Idem

pater in peccatis oris, & operis: quoties namque hæc peccata multiplicantur, denuo fit aliquid dissonum rationi, & consequenter moraliter malum.

Navarrus. Qui eodem impetu dicit alteri quater vel quinque iniuriosa verba significantia diuersas iniurias, puta quod sit fur, falsarius, hæreticus, censendus est peccare diuersa peccata, sunt enim diuersæ speciei, & non sunt partes veluti integrantes vnum peccatum

*In Frehys*  
c. 6. n. 18.

Et licet vno impetu feriens clericum tribus ictibus non sit nisi semel excommunicatus; tamen vno impetu, imo & ictu, tres feriens clericos, ter est excommunicatus. Et eadem ratione qui ferit, & blasphemiat, & hæresim asserit, tria peccata committit cum numero necessario confitenda. Qui vero dicit totidem verba iniuriosa significantia vnam iniuriam, vt qui appellat aliquem quater, vel quinque, furem, hæreticum, vel latronem, committit vnum tantum peccatum quo ad necessitatem confitendi numerum, instar bis vel ter vnico contextu appellantis.

Peccatum etiam, mortale, interius quo quis peccat volendo aliquid dicere, aut facere: & dictum, & factum exterius licet sint plura entia physice (nam vnū est interius, aliud exterius) in genere moris sunt vnum peccatum: Quoad confessionem tamen, non sufficit confiteri, interius solum peccatum, sed vtrumque tam interius, quam exterius: nam vtrumque est peccatum mortale, licet exteriori peccato confesso, etiam interius intelligatur, nam sine interiori, non est exterius, secus è contra.

*ib. prel. 7.*  
n. 19.

n. 20.

Fran. Quando etiam in peccato operis, concurrunt plura, tanquam partes illius, non est nisi vnum moraliter peccatum. v. g. cum quis committit homicidium, vel fornicationem: & ad homicidium faciendum, præ-

parat arma, querit occasionem, & locum, ibi que sit, sit ad committendum homicidium: & in fornicatione, habet tactus, occulta, verba que impudica. Et tunc sufficit dicere in confessione, commissi homicidium, vel fornicationem; dolor vero debet se extendere ad peccatum, & ad omnes eius partes. Delectatio autem, vel gaudium quando sequitur post fornicationem habitam, & homicidium n. perpetratum, si sit discontinuatum ab opere malo, verius iudico esse novum peccatum, ob supra dicta, adest enim nova dissonantia ad rationem; secus dicendum de gaudio simultaneo, & comparte peccati quod habetur in huius perpetracione.

## QUAESTIO CII.

*De comparatione peccatorum ad invicem.*

**Z**umel. Sentiendum est de fide, non omnia peccata esse paria: & aequalia. Dicitur enim Joan. 19. Qui me tradidit tibi maius peccatum habet. Quoniam ut docet Cyrill. l. 12. sup, Joan. c. 22. Multo maius fuit peccatum Judæ, & Judæorum qui tradiderunt Christum Pilato quam ipsius Pilati, qui ex timore, & formidine illum damnavit ad mortem.

Fran. Peccata igitur alia sunt alijs graviora. Et 1. desumitur gravitas ex obiectis: vnde peccatum nobiliori obiecto oppositum est gravius, v. g. homicidium gravius est furto: hoc enim est circa res exteriores, illud contra hominis vitam quæ est potior temporalibus rebus.

2. Ex virtutibus: peius enim est peccatum virtuti digniori oppositum, quo circa odium Dei est gravissimum peccatorum, oppositum charitati, quæ est maxima virtutum.

3. Ex causis peccati. Vnde quando voluntas maiori conatu peccat, maius peccatum facit quam, cum minori peccat. Aliquando etiam nonnullæ causæ diminuunt peccatum. Vt quando est peccatum ex minori cognitione eius, vel ex infirmitate, violentia, aut metu: hæc enim diminuunt voluntarium, & consequenter peccatum. Et si diminuunt taliter, quod actus sit omnino involuntarius, nullum erit peccatum.

Tolet. Vnde regula generalis sit. Quidquid in nobis fit, nec in voluntate est, nec à nostra voluntate est, peccatum non est. Vnde quantuncunque occurrant imaginationes turpes, & contra fidem cogitationes, motus etiam carnis vsque ad efusionem seminis procedentes, nisi voluntas acceptet, aut consentiat, peccatum non est. l. 3. c. 1. n. 3

Fra. Tandem gravificantur peccata ex pluribus alijs, vt ex parte maioris nocuenti: quo circa blasphemia licet gravius peccatum sit homicidio absolute, tamen, quia homicidium perdit hominem irreparabiliter, est ex hac parte homicidium gravius blasphemia. Ex parte quoque personarum in quas peccatur, vt in Superiores, quibus maior reverentia debetur.

## QVÆSTIO CIII.

### De forma Sacramenti Penitentia.

Concil. Trid. Docet Sancta Synodus Sacramenti Penitentia<sup>seff. 14. c. 3</sup> formam in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse. Ego te absolvo. &c. Quibus quidem de Ecclesiæ Sanctæ morè preces quædam laudabiliter adiunguntur: ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, nec ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessaria.

l. 3. c. 12.

Tol. Est autem forma. Ego te absolvo à peccatis tuis. Nec omnia verba necessaria sunt huius formæ ad necessitatem Sacramenti. Quamvis si solum Confessarius dicat, Te absolvo, sufficeret, tamen grave peccatum esset, aliquot ex illis verbis scienter prætermittere.

Fran. Communiter autem sic profertur forma. Ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen Præces autem quæ præmittuntur, sunt. Misereatur tui Omnip. &c. Indulgentiam, absolutionem, &c. Dominus noster **JESUS CHRISTUS** te absolvat: & ego autoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, in quantum possum, & tu indiges. Deinde Ego te absolvo à peccatis tuis nomine Patris &c. Si Pœnitens sit laicus, omittitur verbum, Suspensionis.

Deinde subdit Confessarius. Passio Domini nostri Jesu Christi, merita B. Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum, quidquid boni feceris, & mali sustinueris, fiat tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.

In Confessionibus vero brevioribus satis erit incipere à **I**esu Dominus noster Jesu Christus. Urgente vero aliqua necessitate in periculo mortis breviter dici potest. Ego te absolvo ab omnibus censuris, & peccatis tuis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.



Quæst.

## QVAESTIO CIV.

## De Censuris Ecclesiasticis.

**F**RANC. Quoniam Absolutio à Censuris præcedit ab-  
solutionem à peccatis: ideo in præfenti agemus de  
Censuris, & eorum absoluteione.

M. Montes. Censura est quæddam pæna Ecclesiasti- v. cens. n. 1  
ca his, vel illis bonis hominem privans. Et dividitur in  
tres species, in excommunicationem, nempe, suspen-  
sionem, & interdictum. Irregularitas non est Censura:  
Quamvis communiter à Thomistis teneatur irregulari-  
tatem ortam ex delicto, & quæ est pæna peccati esse  
censuram. Et probatur. Nam in pluribus Bullis, concessa  
facultate absolvendi ab Excommunicatione, suspensio-  
ne, & interdicto, additur. Et ab omnibus censuris, &  
pœnis Ecclesiasticis: quæ verba sane irregularitatem,  
significant: nam aliæ tres censuræ communes, mane-  
bant dictæ. Vid Pij. V. Bull. an 1, 61. Igitur secundum  
hanc opinionem, potest Confessarius virtute Bullæ ab-  
solvere ab his irregularitatibus.

Fran. Explicatur definitio Censuræ. Dicitur Pœna  
Ecclesiastica: quia Ecclesia punit censuris suos filios,  
vt corrigantur, & resipiscant à malo, & consequantur  
salutem animarum. Dicitur: his, vel illis bonis: nam  
non omnes censuræ æqualiter privant bonis communi-  
bus fidelilum, vt videbitur de singulis agendo. Dicitur;  
hominem: id est baptizatum, & capacem doli, & mali,  
& iudicio rationis pollentem, & adultum.

M. Montes. Est enim proprium cuiuscunque censuræ ib. n. 10.  
non ligare pueros ante annos pubertatis: extra Can.  
Siquis suadente. Sic docet de Censuris ab homine San

chez. Et de **Consuris à jure**, Palao contra Hugolinum. Et ratio est: quia odia sunt restringenda. Et tandem de Irregularitate, idem docet Sanchez.


Franc. Causa efficiens potens censuras ponere est Dominus Papa. Deinde Concilium Generale, Provinciale, Cardinales, Episcopi, Inquisitores, Abbates, Generales, Provinciales, Priores Guardiani, Commendatores Religionum. Et Reliqui omnes qui habent spirituales jurisdictionem in foro exteriori, ut Vicarij Generales Episcoporum, Capitula Ecclesiarum Sede vacante &c.

Archipresbyteri, autem & Parochi non habent potestatem ferendi censuras: nisi illi Archipresbyteri, qui vel in ipsa institutione, vel ex consuetudine legitime præscripta, & approbata hoc jus sunt consecuti. Parochi vero non habent potestatem in foro exteriori, & contentioso, sed solum in foro interiori pœnitentiæ. Unde non possunt excommunicare.

Hæc potestas ferendi censuras in personis dictis est Ordinaria, habent enim jurisdictionem in foro exteriori. Per potestatem autem delegatam potest quilibet Clericus ferre censuras; secus laicus, vel Religiosus qui Clericus non sit.

so. I. tra. de  
cenj. disp. I  
q. I. pu. 2.  
n. 6.

Bonaci. Concedo tamen laicum posse de potestate absoluta summi Pontificis ferre censuras, nam summus Pontifex dispensare potest in omni jure humano: cuius juris est latio censurarum per Clericum. Episcopus autem nequit id facere, cum nequeat dispensare in lege Superioris decernentis censuram ferendam non esse à laico.





## QUAESTIO CV.

## De Excommunicatione.

**A** Cac. March. Excommunicatio est Censura Ecclesiastica, qua homo baptizatus separatur à communione fidelium. Censura Ecclesiastica, est genus: convenit enim cum reliquis censuris in Decreto enumeratis. A Communione fidelium, est differentia: nā interdictum solum privat ingressu Ecclesiae, suspensio, exercitio officij, aut beneficij: Excommunicatio autem à communione fidelium.

v. de scomu  
n. 2.

nc. Quar.  
de v signi.

Fran. Privat igitur Excommunicatio ab omni licita, & legitima communione fidelium, quæ continetur in his versibus.

Si pro delictis Anathema quis efficiatur

Os, Orare, Vale, Communio, Mensa negatur.

D. Thom. Os, scilicet ne osculum detur. Orare, ne cum excommunicatis oremus. Vale, ne salutentur. Communio, ne scilicet cum ipsis aliquis communiect. Mensa negatur, ne scilicet aliquis cum excommunicatis comedat.

in add. ad  
3 p. q. 21.  
4. l.

Fran. Igitur in rebus corporalibus non licet communicare cum excommunicatis in amicitiae signis, in externa conversatione, Urbanitate, in itineratione, contractibus in lecto, mensa. &c. In rebus quoque spiritualibus, non licet communicare cum eis in Sacramentis, suffragijs, officijs q. Ecclesiasticis, sepultura Ecclesiastica atque orationibus communibus Ecclesiae, vel orando pro eis, vel simul orando cum eis. Quanquam liceat privatis precibus exorare Deum, ut det eis penitentiae spiritum.

Præterea licitum est fidelibus communicare cum eis cum adest aliqua utilitas spiritualis, vel spiritualis, vel temporalis tam propria quam aliena, vel etiam utilitas ipsius Excommunicati. Cum enim Ecclesia excommunicationem ad medelam, & non ad interitum inducat, in his quæ pertinent ad salutem, licite potest homo cū Excommunicato communicare.

16. q. 23, a. 1. D. Thom. Potest etiam alia verba inserere, vt facilius salutis verba ex familiaritate recipiantur.

Frau. Item coniuges possunt ad invicem communicare, etiam si alter eorum sit excommunicatus. Item subditi eo modo quo infra dicitur cum Superiore excommunicato. Ignorantes etiam unum excommunicatum esse, possunt communicare cum eo. Et tandē qui necesse habent cum excommunicato communicare, ob propriam vel alienam necessitatem, spiritualem, vel temporalem, & etiam, ipsius excommunicati. Quæ omnia in hoc versu continentur.

Vtile, lex, Humile, res ignorata, necesse. Vtile, denotat utilitatem, lex, Matrimonij, & coniugum legē. Humile, subditos, vt filios respectu Patris, Minores respectu suorum Tutorum. Res ignorata, ignorantes censuram. Et necesse, necessitatem habentes ad communicandam, eo modo quo dictum manet.

Ab sup. n. 9. & u. 11. Acac. March. Coniuges autem non possunt in divinis communicare. Nec in crimine Nec quando Excommunicatio est lata, eo quod matrimonium male fuerit celebratum. Subditi vero, vt Vasalli respectu suorum dominorum temporalium si isti sint excommunicati, non possunt cum his communicare. Nec filij emancipati cū parentibus excommunicatis, nisi in reverentia, &c. Possunt autem communicare suis Superioribus excommunicatis, Religiosi, famuli, filij non emancipati, Gener.

## QUAESTIO CVI.

*Num peccent Excommunicati communicando fidelibus non excommunicatis?*

**F**RAN. Præmittit Excommunicatū maiori excommunicatione (quā in quæstione antecedenti defini-  
vimus, & quæ per Anthonomastiam dicitur Excommu-  
nicatio) esse duplicem. Alium, Toleratum, & alium  
vitandum. Toleratus est qui revera est excommunica-  
tione ligatus, non tamen est nominatim publice excom-  
municatus, nec iterum est publicus Clerici, aut Mo-  
nachi percussor. Vitandus est ille qui nominatim est ex-  
communicatus, & declaratus publice: & publicus, at-  
que notorius Clerici percussor publicitate, & notorie-  
tate facti de quo sunt plures, & sufficientes testes, ut  
maior pars viciniae, Collegij, vel Oppidi: & factum  
nulla tergiversatione probabili celari, aut excusari  
potest.

Igitur uterque excommunicatus mortaliter peccat  
communicans cum fidelibus in divinis, & spiritualibus.  
Imo, & communiter tenetur utrumque mortaliter pec-  
care, communicando in humanis. Ratio est, quia trans-  
greditur gravem censuram prohibentem ei communica-  
tionem cum fidelibus. Ergo peccat mortaliter. Excipe  
tamen casus in ly, utile, lex, &c. supra relatos.

Et iterum. Poterit licite uterque excommunicatus,  
tam vitandus, quam toleratus privatim recitare officiū  
divinum, imo & tenetur, si alias tenebatur recitare id.  
Non tamen debet dicere Dominus vobiscum: sed. Do-  
mine exaudi orationem meam. Nam Dominus vobis-  
cum, dicit communicationem, de qua est privatus per  
Excommunicationem.

Poterit etiam audire sermonem, & private dicere Ave Maria, quæ in sermone dicitur: Nam hæc oratio non tunc dicitur nisi privatim. Et tandem poterit licite ingredi Ecclesiam, quando non celebrantur officia divina, & adorare Eucharistiam, privatas que ibi ad Deum fundere preces.

## QVAESTIO CVII.

*Num peccent qui cum Excommunicatis communicant?*

**D.** Thom. Excommunicatio potest ferri in alium dupliciter. 1. Quod ipse sit excommunicatus, cum omnibus ei participantibus: & tunc qui ei participat manet maiori excommunicatione excommunicatus. 2. quod ipse est excommunicatus simpliciter, & tunc autem participat aliquis in crimine, ei præbendo auxilium, consilium, aut favorem: & sic iterum est excommunicatus. Aut in alijs sicut in verbo, vel in osculo, vel in mensa, & sic excommunicatus minori excommunicatione.

Franc. Et præterea communicando in divinis, & spiritualibus, committitur peccatum mortale, licet non incurratur maior excommunicatio. Veniale autem in communicatione in humanis. Quæ intelligenda sunt de communicatione cum excommunicatis vitandis, quos vitare tenemur (exceptis casibus in q. antec. dictis) taliter, quod etiam Sacerdos celebrans debeat ommittere missam inchoatam ante Canonem, huiusmodi excommunicato ingrediente in Ecclesiam: alias peccabit mortaliter, & erit excommunicatus minori excommunicatione, suspensus quoque, & interdictus. Excommunicatos autem toleratos, nec in divinis, in

humanis tenemur vitare iuxta Extrat. Martini V. apud  
Tole. l. 1. c. 12. & alios.

## QVÆSTIO CVIII.

*De Excommunicatione minori.*

**F**Ran. Excommunicatio minor est Censura Eccle-  
siastica separans Christianum à participatione Sa-  
cramentorum. Hæc incurritur per communicationem cum  
excommunicato vitando in casibus in quibus non licet.  
Excommunicatus ista censura, non potest recipere Sa-  
cramenta sub pœna peccati mortalis: potest tamen con-  
ferre ea, & communicare cum fidelibus: nam non ma-  
net privatus communionem fidelium, nec ministracione,  
& collatione Sacramentorum, sed tantum receptione  
horum.

Bonaci. Nec obstat C. si celebrat. Vbi dicitur cele-  
brantem peccare conferendo sibi Sacramenta. Res- to 1. tra. de  
conf. disp. 2.  
pondetur enim non peccare, quatenus confert, sed q. 3. n. 4.  
quatenus recipit.

Navar. Nam missans ad communicandum alios, & In Inchy.  
c. 27. n. 24.  
Episcopus missans ad dandum Ordines, non peccant  
qua parte dant, sed qua parte sumunt.

## QUÆSTIO CIX.

*Quotuplex sit Excommunicatio Maior.*

**F**Ran. Resp. Quod multiplex. i. A jure, vt excom-  
municationes quæ sunt in juris corpore, in Cano-  
nibus sacris, constitutionibus que Ecclesiasticis: & du-  
rant, dum durat jus, vel canon &c. Etiam mortuo eo

qui talem iuris excommunicationem condidit. 3. Ab homine, vt excommunicationes quas pronuntiant, Iudices Ecclesiastici, & istæ cessant, mortuo iudice latore, vel eo deposito ab officio.

Acac. March. Hinc inferitur Censuras, & Excommunicationes promulgatas, & latas in Ordinationibus visitationum, quæ non sunt statuta, sed mandata generalia, aut specialia hominum, esse excommunicationes ab homine, & homine mortuo, vel finiente suum officium, cessare tales excommunicationes.

Fran. Excommunicationes contentæ in Bullis Summorum Pontificum *Ad futuram rei memoriam*, ex terminis sunt excommunicationes ab homine: vnde spirant cum suo Authore tales bullæ, & ibi contentæ excommunicationes, nisi alias sint excommunicationes à jure. At vero Excommunicationes contentæ in Bullis, *Ad perpetuam rei memoriam*, sunt à jure. Et ratio horum ex ipsis terminis apparet. Perpetuum enim dicitur durationem, & invariationem; secus, futurum. Vid. Rebuff. in prax. benef. p. 273. l. c. & Joan. Bap. Esco. in Sele. summ. Pontif. Cont. Theore. mat. 409.

Rursus. Excommunicatio tam à jure, quam ab homine: alia est latæ sententiæ, quæ ipso facto incurritur: & fertur per verba denotantia non expectare actum iudicis, vt liget. Vt quando fertur sic. Sit excommunicatus ipso facto. Præcipimus sub excommunicatione latæ sententiæ, Vel, sub excommunicatione ipso facto incurrenda. Alia est, Ferenda, seu Comminatoria: & hæc fertur per verba denotantia expectandum esse iudicis actum ad eam incurrendam. Vt cū dicitur. Præcipimus, sub pæna Excommunicationis. Vel. Excommunicetur.

## QVÆSTIO CX.

*De Conditionibus Excommunicationis ad suum valorem.*

**A**Rmilla. Excommunicationis sententia in multis casibus est nulla. 1. Quando lator eius non erat iudex Excommunicati, nec habet potestatem super eū, 2. Quando est à iudice proprio, sed excommunicato publice, vel intruso, vel suspeso, aut interdicto à jurisdictione.

v. excoꝝ.  
n. 16.

Fran. 3. Invalida est excommunicatio, nisi præcedat admonitio. Ratio est, quia Excommunicatio nequit ferri nisi ob contumaciam contra præceptum Ecclesiæ, aut Superioris juxta Math. 18. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi vt Ethnicus. Nemo autem præsumitur contumax, nisi prius moneatur, & deinde Ecclesiam non audiat. Ergo ad valorem Excommunicationis requiritur quod admonitio præcedat.

Admonitio autem est duplex, Canonica, & non Canonica. Hæc continetur, & intelligitur regulariter in ipso præcepto à jure, vel ab homine, generaliter prohibente culpas futuras sub pæna censuræ latæ sententiæ: huiusmodi enim præcepto monemur non patrare peccata, nisi velimus excommunicationem incurrere. Si autem Excommunicatio sit comminatoria pro culpis futuris vitandis, tunc debet præcedere Admonitio Canonica ante quam ipso facto incurratur Excommunicatio, & sic fit in praxi.

Admonitio autem Canonica est, cum quis personaliter admonetur Superioris autoritate, coram testibus vt desistat à culpa. Et regulariter ter fit hæc admonitio servatis prudentibus intervallis inter eas, ut duobus ad

minus diebus, si forte resipiscat Monitus. Aliquando autem præmittitur vna monitio pro tribus, & intervallo breviora ponuntur propter aliquam causam, usque ad terminum vltimum & peremptorium.

4. Invalida est Excommunicatio iniusta. Tripliciter autem potest esse iniusta. 1. Ex parte latoris, qui caret jurisdictione ad ferendam excommunicationem. 2. Quia ex ira, vel odio quis excommunicat. 3. Quia in sententia excommunicationis continetur error intolerabilis, puta si præciperetur quid impossibile, vel malum. Vnde in 1. & 3. casu est invalida excommunicatio; in 2. valida est, si adsint reliquæ conditiones ad excommunicationis valorē requisitæ licet lator peccet, propter iram, vel odium.

Sed Hic dubitari solet, Num quando sententia excommunicationis continet tolerabilem errorem, v. g. cum quis sine allegata, & probata excommunicatur à iudice, sit excommunicatus, si falso ei tale crimen propter quod excommunicatur, imponitur? Resp. validam esse excommunicationem, at vero humiliter qui eam sustinet, recompensat per humilitatis meritum, excommunicationis dampnum. Probabile etiam est esse invalidam talem excommunicationem: vnde innocens, non tenetur ei obedire; licet ob vitandum scandalum, se gerere debet in foro exteriori, tanquam excommunicatione innodatus.

5. Invalida est Excommunicatio si pars non intendat eam ligare, quando ad eius instantiam fertur. Imo si excommunicatio feratur ut Parti solvatur debitum intra mensem v. g. adhuc non ligat, si Pars proroget terminum. Vid. Arm. vbi su. Tol. l. 1. c. 9. n. 4.

6. Non valet excommunicatio in casu appellationis legitimæ & iustæ. Appellatio enim debitis circumstantiis facta invalidat sententiam sequentem.



Joannes Henricus. Vnde determinavit Bonifacius VIII. *sect. 27. q. 10. n. 33.*  
 in c. licet de sent. excom. lib. 6. quod si post citationem  
 alicuius sub pœna excommunicationis, suspensionis, aut  
 interdicti appellaverit is legitime ante impletionem tē-  
 poris præscripti in citatione, non incurrat in excōmu-  
 cationem, &c.

M. Montes. Denique persona excommunicanda de-  
 bet esse determinata. Nam Collegium, aut Communi-  
 tas nequit per vnam sententiam, excommunicari.  
 c. Rom. de sent. Excom. in 6. Poterunt tamen in parti-  
 culari. Ita Turrian. de Cens. l. 2. disp. 23. dub. 2.

Franc. Tandem sunt aliæ multæ causæ quæ invalidant  
 excommunicationem. Vt ignorantia invincibilis facti,  
 vel juris. Facti, ut cum quis ignorat factum suum licet  
 habeat notitiam legis quo tale factum prohibetur: quo  
 circa si quis sciens esse latam excommunicationem contra  
 percussorem Clerici, non incurrit eam si occidat Clericū  
 dum venatūt & moraliter invincibiliter putat illum esse  
 Animal silvestre, & ignorat eum esse clericum. Juris,  
 ut cum quis ignorat legem prohibentem tale, vel tale  
 factum: quo circa non incurrit excommunicationem qui  
 invincibiliter ignorat ius prohibens aliquod factum sub  
 excommunicatione. Vnde cap. Vt animarū de Constit.  
 in 6. dicit Bonifacius VIII. ut animarum periculis obviatur:  
 sententijs per statuta quoruncunque Ordinariorum pro-  
 latis, ligari volumus ignorantes: dum tamen eorū, ig-  
 norantia, crassa non fuerit, aut supina. Et horum ratio  
 est, quia ignorantia invincibilis excusat à culpa: ergo  
 & a pœna. Ignorantia vero crassa, aut supina, vel etiam  
 affectata nullo modo excusat ab excommunicatione, ut  
 patet ex verbis Bonifacij Papæ.

Leand. à SS. Sac. Quando autem censura imponi-  
 tur contra facientem aliquid scienter: tunc ignorantia *to. 4. tit. 2. d. 9. q. 18.*

crassa excusat. Nam quando aliqua lex, aut Canon non addit illam particulam, scienter, ignorantia crassa requiritur, ut ignorans non excusetur ab incurfione cenfuræ. Ergo amplius requiritur, quando addit, scienter, alias frustra adderetur: ergo ad incurfionem cenfuræ non fufficiet tunc ignorantia crassa, aut fupina: quia videlicet lex noluit cenfuram inferre nifi contra fcienter peccantes, non contra ignorantes craffe, aut fupine.

Fran. Secus dicendum eft de ignorantia affectata: Hæc enim æquivalet fcientiæ, & dolo: vnde fi quis faceret rem fub excommunicatione prohibitam fcienter, & dolofe, eam incurreret: ergo etiam qui affectat ignorantiam & facit talem rem prohibitam fub excommunicatione: nam qui fic dolofe, & temerarie operaretur fi fcientia adelfet idem operaretur.

Invalidat etiã excommunicationẽ naturalis oblivio, inconfideratio, & inadvertentia: nam cum his non componitur contumacia, & inobedientia. Idem dicendum de impotentia. Vnde qui excommunicatur vt detentor rei alienæ non incurrit excommunicationem, fi fit impotens ad reftituendum.

Invalidant etiam excommunicationem aliæ multæ caufæ graves, & rationabiles. Vt metus gravis mortis, infamiæ, exilij: nam iftæ excufant à tranfgreffione præcepti Ecclefiaftici. Ergo & ab excommunicatione, quæ eft pæna Ecclefiaftica.

## QVAESTIO CXI.

*Num Excommunicatio femper fit facienda in Scriptis?*

**B**Onaci. Ferens cenfuram verbo fine fcriptura, mortaliter peccat, & incurrit fufpentionem ab ingreffu

Ecclesiæ per mensem, & à divinis, quam suspensionē etiam incurrit ferens censuram sine expressione causæ, aut qui parti petenti non concedit exemplar scripturæ intra mensem, si petatur. Hæc propositio pat. ex c. 1. cū medicinalis de sent. excom. in 6.

Ratio cur requiratur expressio causæ in scriptis est, tū vt iudex cautior fiat in ferenda censura, & non ferat eā imprudenter, tum quia ligatus censura potest confugere ad Superiorem, Superior autem non potest facile iudicare, nisi nota sit sibi causa ob quam lata est censura. Ratio cur peccet mortaliter est quia facit contra jus in re gravi præscripta sub pæna gravis censure.

Excipiuntur autem Episcopi ab hac pæna suspensionis recensita, vt pat. ex cap. Quia periculosum est de sent. excom. solo verbo ferentes censuras nam in c. cit. Cum medicinalis non fit de eis mentio. Excipiuntur etiam iudices qui ob gravem & urgentem necessitatem ferunt censuras absque scriptura: hi enim non sunt temerarij violatores in hoc casu.

Fran. De Prælati Regularium est dubium, num possint licite ferre excommunicationē sine scriptura contra suos Religiosos? Circa quod dicendum probabilius esse non posse eos ferre excommunicationē sine scriptura nisi ad id habeant peculiare privilegium Papæ, vel vigeat consuetudo legitima (vt vigeat in multis Religionibus tempore Visitationis) vel tandem ex vi constitutionum suarum à Papa confirmatarum. Ratio est quia cap. cita. Cum Medicinalis, absolute loquitur, vnde non adest causa eximens Prælatos Regulares ab hac obligatione.



## QUAESTIO CXII.

*Num Sit denuntiandus ille qui fuit Excommunicatus?*

**F**Ran. Resp. affirmative: vt constat ex cap. con-  
 quæsti de lent. excom. Sic enim facilius paratur  
 via ad resipiscentiam: cum sit grave & molestum, per-  
 acta denuntiatione, esse separatam, & vitandum à cō-  
 munionem fidelium. Denuntiatio autem fit publice in  
 Ecclesia, & postea affigitur ad portas Ecclesiæ cū ex-  
 pressionem causæ.

*ubi sup. q. 1  
 13 n. 5.*

Bonaci. Qui autem censuram à iure, vel ab homine  
 latam ipso iure contraxit, non est denuntiandus statim  
 post delictum ante sententiam criminis declaratoriam,  
 etiamsi delictum notorium sit, & publicum: sed præmittenda  
 est citatio & sententia criminis declaratoria c. pervenit  
 1. & c. consuluit, de appella. Ratio est, quia denuntia-  
 tio est executio pænæ iniunctæ: iudex autem ad juridi-  
 cam pænæ executionem non debet procedere ante senten-  
 tiam criminis declaratoriã, etiamsi notorium sit crimen:  
 nã fieri potest vt reus probet innocentiam, & probabile  
 sui facti excusationem afferat.

## QUAESTIO CXIII.

*De numero Excommunicationum.*

*e. 27. n. 49*

**F**Ran. Excommunicationes pene innumeras esse  
 iam olim asseruit Mart. Nav. in suo Enchyr. Nunc  
 autem vt dilucide & absque confusione eas numeremus,  
 ponemus prius eas quæ sunt Papæ reservatæ, deinde alias  
 Inter reservatas autem Papæ: aliæ continentur in Bulla

**Cænæ** : aliæ in sacris Canonibus. Quæ continentur in Bulla quæ legi consuevit quotannis fer. 5. in Cæna Domini sunt istæ.

Manuale Toletanum. Prima excommunicatio est contra hæreticos eorum credentes, receptores, fautores, defensores, libros hæresim continentes, vel hæreticorum, de religione tractantes, legentes, retinentes, imprimentes, & quommodolibet defendentes. Et contra schismaticos, & a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia recedentes.

*In Append  
ad. Rituale  
Romano*

2. Est contra appellantes ad futurum Concilium generale, ab ordinationibus, sententijs, vel mandatis Summi Pontificis, & contra dantes Consilium, & favorem ad hoc, effectu securo.

3. Est contra Pyratas discurrentes mare Ecclesiæ, & contra eorundem fautores, receptores, & defensores.

4. Est contra subripietes Christianorum naufragantium in quovis mari bona, & ubicunque illa fuerint.

5. Est contra imponentes nova pedagia, & quodcunque tributum, vel iam imposita augentes sine Sedis Apostolicæ licentia, & contra illos qui prohibita vel iniusta exigunt. Ligat etiam officiales, & ministros exigentes.

6. Est contra falsarios litterarum Apostolicarum, quales sunt Bullæ plumbatæ, & Brevia Apostolica. Ligat etiam defensores, & fautores eorundem.

7. Est contra deferentes arma offensiva, vel defensiva, vel materiam ex qua fieri possunt, ut ferrum, & funium materiam, aut equos. Item contra certiores facientes ipsos infideles puta Turcas, Saracenos, & Hæreticos de statu Christianæ Reipublicæ in detrimentum eiusdem. Ligat etiam Consilium ad hoc, & favorem præstantes.

8. Est contra invadentes, impediētes, & perturbantes eos qui victualia ad usum Romanæ Curiaē necessaria deferunt.

9. Est contra capientes, detinentes, spoliātes, mutilantes, interficientes eos qui veniunt Romam Pontificis intuitu, & ibi commorantes, vel inde discedentes.

10. (Fere præcedenti similis est, est contra interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, Capiētes, & depredantes Romipetas, & ibi commorantes, vel inde devotionis ergo abeuntes. Ligat etiam Consilium, auxilium vel favorem præbeantes.

11. Est contra eos qui hostiliter Insecuntur, capiunt, detinent, incarcerant, percutiunt, vulnerant, mutilant, vel interficiunt Cardinales, Archiepiscopos, & Nuntios Sedis Apostolicæ & Episcopos consecratos, & eicientes eosdem à terris, & diocelibus suis.

12. Est contra eos qui aliquomodo impediunt cursum causarum Romanæ Curiaē, siue per se, siue per aliū directe, vel indirecte aut consilium, auxilium, & favorem ad hoc præstant.

13. Est contra impediētes executionem litterarum Apostolicarum etiam in forma Brevis, tam gratiam quā justitiam concernentium, & etiam citationum, inhibitorium, sequestratum, monitoriorum, processuum, & aliorum Decretorum à Sede Apostolica, vel Legatis, Nuntijs, Præfidentibus, & alijs quibuscunque delegatis Apostolicis emanantium.

14. Est contra revocantes causas spirituales à iudicibus Ecclesiasticis, vel impediētes ipsarum causarum cursum prosequi volentes, & se tanquam iudices illarum. Ligat etiam assensum, favorem Consilium, & auxilium ad id dantes, etiam prætextu violentiæ prohibendæ.

*Sententia.* Et est contra omnes personas cuiuscunque conditionis vel status sint.

15. Est contra eos qui quavis præensione personas Ecclesiasticas quaruncunque Ecclesiarum, ad suam audientiam, Cancellariam, aut tribunal, præter juris Canonici dispositionem trahunt, vel trahi faciunt directe, vel indirecte, non obstante quacunque consuetudine, vel privilegio.

16. Est contra impediētes Archiepiscopos, Episcopos, & alios inferiores Prælatos, & iudices Ecclesiasticos, quominus sua jurisdictione Ecclesiastica utantur. Et contra eos qui post ipsorum sententias, & decreta, ad Curias Sæculares recurrunt. Ligat etiam eos qui hæc decernunt, aut dant Consilium auxilium, favorē, vel patrocinium.


17. Est contra eos qui usurpant, vel sequestrant fructus, proventus, seu redditus ad Sedem Apostolicam, aut ad personas Ecclesiasticas quarumvis Ecclesiarum, aut Monasteriorum, aut beneficiorum pertinentes.

18. Est contra eos qui collectas, decimas, præstantias, taleas, & alia onera, Clericis, & alijs personis Ecclesiasticis, aut eorum Ecclesiarum bonis, vel fructibus, aut redditibus imponunt, aut sic imposita etiam à sponte reddentibus recipiunt. Ligat etiam illos, qui dant auxilium consilium, aut favorem.

19. Est contra omnes Magistratus, & iudices, Notarios, & Scribas, executores, vel subexecutores, quomolibet se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus, contra personas Ecclesiasticas.

20. Est contra quoscunque, qui per se, vel per alios, quovis colore, occupare, & destruere, vel detinere præsumperint Urbem Romam, ac civitates alias, terras, & jura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia.

Qui ab his excommunicationibus absque Romani Pontificis licentia, nisi in articulo mortis, abolvere præsumpserint, excommunicantur: hæc tamen excommunicatio nulli videtur reservata.



*Aliæ Excommunicationes Papæ reservatæ in sacris Canonibus, sunt quæ sequuntur.*

1. **I**N transgressores Canonum, negantes Papæ potestatem ad concedendum eos. Hæc reducitur ad primam excommunicationem Cænæ quæ est in schismaticos.

2. In eos qui suadente diabolo iniecerint manus violentas in Clericum, vel Monachum. Si percussio sit enormis: nã si modica est, & levis reservatur Episcopo.

3. Excommunicatio lata à Delegato Papæ, lapsò jam anno ad exequendam suam sententiam definitivam, concessò.

4. In falsarios litterarum Apostolicarum: nam hæc quoad aliquos casus non continetur in processu Bullæ cænæ.

5. Excommunicatio lata ab Episcopo in habentes litteras falsas Papæ, si eas intra viginti dies non destruant vel non resignent.

6. In Clericos qui scienter & sponte communicant cum excommunicatis à Papa, & admittentes eos ad divina.

7. Excommunicatio lata & denunciata in Incendiarios.

8. In sacrilegos qui effringunt, & spoliant Ecclesias.



9. In eligentes Senatorem Romanum contra formã. cap. fundamenta.

10. In eum qui infectatus fuerit, vel percusserit, aut ceperit tanquam inimicus aliquem Cardinalem, aut comitatus fuerit eum, qui hoc patrauerit, aut mandaverit, aut id ratum habuerit, &c.

11. In eos qui facultatem concedunt alicui gravandi in personis, aut rebus suis, vel suorum eo quod tulerint sententiam excommunicationis, suspensionis, vel interdicti contra Reges Principes &c. Si duobus mensibus perseveraverint in dicta excommunicatione.

12. In Inquisitores, & alios deputatos officio Inquisitionis ab Episcopo, qui odio, amore, aut lucri, vel commodi temporalis gratia contra justitiam, & suas conscientias omittunt procedere contra hæreticos, vel falso alicui imponentes hæresim, vel impedimentũ Officij sui, cum quoquo modo vexaverint.

13. In Religiosos qui sine expressa licentia Presbyteri Parochialis præsumunt administrare Sacramentum Vnctionis, aut Eucharistiæ, aut benedicere nuptias, aut absolvere excommunicatum: aut à pæna, & culpa.

14. In Clericos, & Religiosos inducentes aliquem ad votandum jurandum, aut promittendum eligere sepulturam in sua Ecclesia, aut quod non mutabit electam.

15. In nobiles, & Dominos temporales, qui cogunt celebrare in locis interdictis: & in alios comprehensos in Clement. Gravis.

16. In absolventes per confessionalia Sixti IV. ab aliquo horum quinque votorum, scilicet peregrinationis in Jerusalem, Romam, Compostellam, Religionis Castitatis.

17. In eos qui exenterant mortuos ad eos conservan

dos, aut eos concidunt in frustra, & ea coquunt, vt ossa carnibus denudata deferant, & sepeliant in alio loco: & qui hoc fieri iubent.

18. In dantes aut recipientes aliquid ex pacto ob ingressum in aliquod Monasterium.

19. In committentes simoniam in Ordine, vel beneficio, & qui mediatores existunt.

20. In eos qui ab Ordine Mendicantium transeunt ad non mendicantes (excepto Ordine Carthusianorum) & etiam admittentes eos.

21. In eos qui asserere præsumunt, tenentes B. Virginē ab Originali peccato fuisse præservatam, hæresim aut peccatum mortale incurrere: & vice versa: vid. Consti. Pau. V. Concil. Tridentinum sess. de pec. Origin.

22. In eos qui peregrinantur in Jerusalem absque licentia Summi Pontificis.

23. Excommunicantur etiam in Concil. Tridentino Clerici, & laici quacunque dignitate fungentes qui aliquis Ecclesiæ jurisdictiones, bona, census, jura feudalia, & emphyteutica, fructus, & emolumenta ac quæcunque alia bona: etiam beneficij sæcularis in usus pauperum destinata in proprios convertunt.

24. Est contra facientes promissionem, vel pactum tacitum aut expressum rerum temporalium pro aliqua gratia vel iustitia obtinenda in Romana Curia, & contra dantes vel recipientes aliquid magnum vel parvum ex pacto, aut promissione occulta, vel manifesta. Est extensa ad auxiliantes, faventes, & consiliantes.

25. Est contra omnes mulieres cuiuscunque status, & dignitatis, ingredientes claustra Monialium, vel Monachorum, virtute facultatum Apostolicarum, quas ipse Pontifex revocat: Abbatibus vero, & Abbatissis, ac vtriusque sexus Superioribus, & personis quibuscun-

que introducuntibus, directe præcipit sub eadem excommunicationis pæna, ne prætextu huiusmodi facultatum, & licentiarum ingredi mulieres, faciant, vel permittant.

26. Est contra Prælatos, Gubernatores, & Officiales, laicos, ac Religiosos præsumentes ( nisi in casibus necessarijs, & tunc à paucis senioribus Religiosis comitati ) Monialium Monasteria ingredi.

27. Est contra Moniales quoruncunque Ordinum, exeuntes de clausura, quacunque de causa, etiam infirmitatis, excepta magni incendij, vel ægritudinis, lepræ, vel epidemiæ, probatæ litteris superioris, & Episcopi.

28. Est contra Clericos, & laicos qui Papatum ambiunt, eiusque causa simoniam comittunt, aut viuentis summo Pontifice per se, vel per alios, verbis aut scriptis, seu nuntijs de futuro Pontifice eligendo tractant.

29. Est contra prædicantes miracula falsa, & incerta, vel novas prophetias.

30. Est contra recipientes, & dantes beneficia in confidentia: idest certa spe, quod ita est, vel erit, aut fuit, quocumque pacto tacito, vel expresso.

31. Est contra Cardinales revelantes secretum, vetitum in Consistorio à Papa revelari, unde scandalum oriri possit.


32. Est contra occupantes bona Cardinalium vel aliorum existentium in Conclavi, seu electi in Papam: ligat etiam auxilium, vel Consilium præbentes.

33. Est contra scribentes, vel recipientes libellos infamatorios contra instituta SS. Dominiçi, & Francisci.

34. Est contra laicos, & Clericos cuiuscunque status, & dignitatis, facientes promissiones, stipulationes,

conventiones, aut pacta ( quę vulgo scommesse dicuntur ) aut contractum nominatum, vel innominatum faciunt super futura creatione summi Pontificis, viuente ipsomet Pontifice, aut vacante Sede Apostolica.

35. Est contra iniquum, & immane duellorum vsus, quę fulminata est à multis Pontificibus: & à Clem. VIII. Valde extensa ad diversos locos, personas, & modos monomachię.



*De Excommunicationibus non reservatis, & à quibus communiter Confessarij possunt absolvere.*

1. **E**st contra Iudices, & Gubernatores laicorum iustitiam non observantes post trinam Episcopi admonitionem.

2. Est contra electum in Papam à minore numero duarum partium Cardinalium, si suę electioni consentiat.

3. Est contra imponentes iniustas talias, vel collectas personis Ecclesiasticis.

4. Est contra Religiosos professos exeuntes à Monasterio ad audiendas leges vel medicinã, nisi intra duos menses revertantur.

5. Est in Sacerdotem habentem Viccomitis, aut prepositi sæcularis officium.

6. Est contra spoliantes Christianos naufragantes, quę est etiam in Bulla Cęnę Domini.

7. Est contra violantes libertatem Ecclesiasticã per modum statuti vel consuetudinis, nisi id de suis libris decretalibus post duos menses à publicatione huius sententię deleverint.

8. Est contra recipientes Ordines vel beneficia, & alia huiusmodi à Schismaticis, & eos qui consenserint ordinationi illorum.

9. Est contra mittentes scripturam vel nuntium Cardinalibus in conclavi existentibus, vel cum eis secreto loquuntur.

10. Est contra Dominos, & officiales, non observantes ea quæ in morte Papæ observanda sunt.

11. Est contra spoliantes, & iniuste persequentes personas Ecclesiasticas, vel monasteria, aut consanguineos vsque ad septimū gradū si id faciant propterea quod nolint aut noluerint eligere eos pro quibus rogarunt.

12. Est contra denuo vsurpantes jus custodiæ vel guardiæ Ecclesiæ vacantis, vel titulum, aut bona ipsius capientes, aut hæc fieri procurantes.

13. Est contra illos qui sunt deputati ad deligendas Moniales in suis electionibus, si non abstinēt ab ijs, ex quibus discordiæ inter eas oriri solent.

14. Est contra procurantes quod Iudices Conservatores sibi dati intromittant se ad alia quam ad manifestas iniurias, & extendant potestatem ad ea, quæ iudiciale exigunt discussionem.

15. Est contra extorquentes vi, aut metu excommunicationis absolutionem, aut suspensionis vel etiam interdicti.

16. Est contra eos qui per fraudem, iudicem in domum alicuius mulieris inducunt, vt eius testimonium accipiant.

17. Est contra compellentes personas Ecclesiasticas, vt Ecclesias suas, vel earum bona immobilia, vel iura laicis subdant; si autem hoc fiat ad breue tempus, vt infra decem annos, non ligat.

18. Est contra inventores novarū religionū, vel religionis novæ habitū sumentes.

19. Est contra exigentes per se vel per alium pedagia à personis Ecclesiasticis, pro rebus quæ negotiationi non sunt expositæ.

20. Est contra impediētes Ecclesiasticam jurisdictionem, & compellentes personas Ecclesiasticas litigare, aut Ecclesiasticum forum relinquere, & transire ad sæculare.

21. Est contra Dominos temporales, subditos suos impediētes, ne personis Ecclesiasticis quidquā vendant, aut ab eisdem emant.

22. Est contra Religiosos professos in Religione approbata, qui temere, & sine causa habitum dimittant, & sine licentia Prælatorum ad studia litterarum extra claustrum se conferunt. Ligat etiam Doctores, Magistros qui tales habitu dimisso leges, aut Physicam docent.

23. Est contra illos qui scientes præsumunt tradere ecclesiasticæ sepulturæ hæreticos, eorum credentes, receptores, defensores, fautores, nec absolventi sunt quousque publice extumulent, & projiciant eorum cadavera, & locus ille perpetua caret sepultura.

24. Est contra Rectores, & Dominos temporales, in causa hæresis se immiscentes, aut iniuncta sibi per episcopum vel Inquisitorem non implentes, aut implenda impediētes.

25. Est contra illos qui per Assassinos aliquem Christianum occidere mandant, etiam si mors non sequatur.

26. Est contra Clericos qui usurarijs extraneis domos suas locant, vel in ijs habitare permittunt ad usuras exercendas, si intra tres menses, eos à terris suis non expellant.

27. Est contra repressalias concedentes contra Ecclesiasticas personas, vel eorum bona.

28. Est contra Principes, & Judices qui non obiciunt observanda contra persecutores Cardinalium.

29. Est contra illos qui sequestrationem beneficij Ecclesiastici per triennium pacifice non possessi factam ab Ordinario per sententiam diffinitivam, & apud Sedem Apostolicam promulgatam impedire, vel fructus sequestratos occupare contendunt.

30. Est contra humantes tempore interdicti in causis non permissis cadavera publice excommunicatorum, & nominatim interdictorum, ac manifestos usurarios.

31. Est contra Religiosos appropriantes sibi decimas non debitas, & fraude vel dolo aliorum ecclesijs debitas solvere non permittentes.

32. Est contra Monachos, & Canonicos, & Regulares administrationem non habentes, qui ad Curias Principum se conferunt, ut suis Prælati, vel Monasterijs damnum inferant, vbi etiã excommunicantur Monachi, intra septa Monasterij arma tenentes sine Superioris licentia.

33. Est contra illos qui impediunt Visitatores Monialium in ijs quæ pertinent ad visitationis officium, nisi moniti desistant.

34. Est contra fæminas statum Beginarum assumentes, vel assumptum sectantes.

35. Est contra illos qui scionter in gradibus affinitatis jure prohibitis, aut cum Monialibus contrahunt matrimonium, & Religiosos professos, ac Clericos idem matrimonium contrahentes.

36. Est contra Inquisitores, & episcopi Commissarios in crimine hæresis, qui Sede vacante prætextu sui officij Inquisitionis, illicite pecuniam, vel aliquid pecunia æstimabile extorquent, aut bona ecclesiæ ob delictum Clericorum, prædicti officij occasione etiam fisco applicant.

37. Est contra Officiales ferentes, vel non rescindentes statuta de usuris solvendis.

38. Est contra Religiosos mendicantes, qui sine Papæ licentia, loca de novo accipiunt ad habitandum, vel habitata commutant, aut quocumque titulo alienant: & etiam contra Concionatores, & Religiosos qui decimarum solutionem aliquommodo impediunt.

39. Est contra Religiosos cuiuscunque Ordinis, qui interdictum autoritate Sedis Apostolicæ impositum, seu in Ordinariorū Ecclesia Cathedrali observatum non observant.

40. Est contra Impedientes Nuntios, & Legatos summi Pontificis ne ingrediantur regna, provincias, & terras ad quæ ipsi sunt destinati. Sed hæc est etiam nunc temporis in Bulla Cænæ Domini.

41. Est contra illos qui extra casus in iure concessos alienant bona immobilia, vel mobilia pretiosa Ecclesiarum, vel ultra tres annos locant, aut alio contractu concedunt: sed hæc a paucis videtur recepta.

42. Est contra impugnantes litteras Papæ nondum coronati.

43. Est contra illos qui sine autoritate Summi Pontificis commentarios, glossas, interpretationes, scholia, vel quodvis aliud interpretationis genus edunt super Concilio Tridentino.


44. Est contra Episcopos, & Superiores Romam accedentes, & absque licentia Papæ discedentes, & contra receptores, & non revelantes.

45. Est contra pingentes, inficientes, seu minio notantes, vel venales proponentes circulos cereos benedictos, qui vulgo Agnus Dei vocantur.

46. Est contra scientes crimen commissum, vel committendum in Cardinales, si non revelent Ordinario, vel Papæ.



47. Est contra laicos de Fide disputantes.
48. Est contra inferiores, oblationes, ab altaribus redigentes illas ad laicale dominium.
49. Est contra procurantes abortum per se, vel per alios, potationibus, medicamentis, percussionibus, venenis, aut laboribus, seu oneribus mulieri prægnanti impositis: & erat reservata à Sixto V. & fuit reformata à Gregorio XIV. sublata reservatione.
50. Est contra illos, qui in divinationibus vanis, Sacramentis abutuntur, aut nefarijs precibus, Dæmones invocant, aut sacrificia illis offerunt, aut eos venerantur, & colunt, aut cum eis impia pacta faciunt.



*In Concilio Tridentino reperiuntur novem hæ  
Excommunicationes sequentes nulli  
reservata.*

51. **E**st contra non recipientes in totum, vel in parte Biblia sacra vulgatæ editionis.
52. Est contra imprimentes, vel imprimi mandantes libros de rebus sacris sine authoris nomine, & Ordinarij approbatione, ac proprij superioris recognitione. Ligat etiam tenentes, divulgantes etiam manuscriptos sine eorundem licentia, & approbatione & extenditur per Concil. Lateranense ad non sacros si imprimantur sine Inquisitoris Diocesani probatione.
53. Est contra docentes vel pettinaciter asseverantes, seu defendentes non esse necessariam Sacramentalem Confessionem ante sacram Communionem ijs qui peccati mortalis culpa tenentur.

54. Est contra raptorem mulierum, & eis consilium, auxilium, & favorem præstantes.

55. Est contra impediētes subditos, ne libere matrimonia contrahant, aut propriam libertatem contrahere cogunt.

56. Est contra Magistratus sæculares, qui non præbent auxilium invocatum ab Episcopis ad conservandā Monachialium clausuram.

57. Est contra ingredientes septa Monasterij Monachium, sine licentia Episcopi in scriptis obtenta.

58. Est contra Clericos, Religiosos, & laicos quoscunque, Virginem, vel viduam monasterium ingredi cogentes, vel ad suscipiendum habitum, aut proficendum. Ligat etiam consilium, auxilium, vel favorem præbentes, & impediētes easdem quæ vel accipiendi, vel voti emittendi voluntatem habent.

59. Est contra duellorum iniquum usum. Ligat Imperatores, Reges, & Principes omnes in suis terris duella permittentes, pugnantes, patinos, consilium præbentes, suadentes, & spectatores ex industria.

Multæ aliæ excommunicationes continentur in canone Concilij vbi videantur.

Franc. Sunt & aliæ plures excommunicationes in Diocæsesibus peculiare que casus reservati. Item in Religionibus: vnde non possunt certo numero comprehendi. Curabit autem Confessarium scire in quavis Diocæsi, vbi est Confessarius censuras, & casus ibi reservatos. Item Confessarius Regularis debet scire censuras, & casus suæ Religionis.

Nunc circa istas excommunicationes, quia earum plures difficiliter intelliguntur, oportet scire 1. Quod omnes Confessarij tenentur ex præcepto summi Pontificis habere penes se transcriptum excommunicationum

Bullæ Cænæ, quod præceptum sub peccato mortali obligat fm Laurentium Roche in suo promptuario mortali in Cathalogo excommunicationū ad finem promptuarij fol. 610. Ro. he.

2. Circa excommunicationem decimam octavam Bullæ cænæ notandum quod nomine Clerici intelligitur non solum Clericus in maioribus ordinibus constitutus, sed etiam in minoribus: nam iste est vere Clericus: Item intelligitur Clericus primæ Tonsuræ, cum iste etiam vere sit Clericus.

Leand. de SS. Sacr. Circa recipientem tributum ab Ecclesiastico sponte datum, dicendum, quod si tributum, aut onus sit contra Clericos impositum: tunc recipiens hoc tributum à Clerico sponte dante, incurrit hanc excommunicationem: minime vero si id non recipiat tanquam sibi debitum, quia non est tale tributum Clericis impositum. d. 4. fr. 3<sup>a</sup>  
dis. 18. q. 6<sup>a</sup>

Exigens autem, aut mandans exigi tributa à Clericis animo ea restituendi in fine anni, incurrit hanc excommunicationem, etiam si id faciat ad vitandas fraudes publicanorum exigentium tributa. Diana autem licitum esse asserit casu quo illa exactio tributorum fiat ex concordatis factis cum Episcopo, & consentientibus, atque volentibus ipsis Clericis, non renuntiantibus privilegio, sed sustinentibus eius effectum differri in tempus quod proxime sit magis opportunum, sine ullo onere, & interesse. q. 10.  
p. p. tr. 2<sup>a</sup>  
resol. 45<sup>a</sup>

Franc. De Clericis autem coniugatis potius dubium esse dum eis possint imponi tributa, tales, scilicet, alia que onera!

Bonacin. Clericus Latinus coniugatus caret omnibus privilegijs Ecclesiasticis excepto privilegio canonis, & fori: hoc enim gaudet c. Clerici de Cler. coniugato 1. 3. d. p. 9.  
19 p. 3 5 3<sup>a</sup>  
n. 3<sup>a</sup>

in 6. modo servet ea quæ in Concilio Tridentino sess. 23. cap. 6. præscripta sunt.

Franc. 3. Circa excommunicationem propter violentiam manuum iniectiorem in Clericum, vel Monachum. Quod pueri Ordinum minorem dum pugnis mutuis se percutiunt vsque ad effusionem sanguinum e naribus, non incurrunt hanc excommunicationem: nam Clerici intra puberes annos excusantur propter ætatem, vt inferitur ex cap. Super eo. De sent. excommunicationis. Vt doc. Sa. & Joan. Henriq.

Item Magistratus Sæcularis capiens Clericum in delicto fraganti vt illum suo Prælato præsentet, non incurrit hanc excommunicationem. Nec Pater, aut superior, aut Magister puniens, corrigens que Clericum. Nec tandem qui percutit Clericum qui amissit privilegium Clericale, nec plures alij vt videre est apud Tolet. l. 1. c. 32. & Navarr. in Enchyrt. c. 27. à n. 8.

## QUAESTIO CXIV.

*De absolutione ab excommunicatione.*

*vbi sup.* **L**AUREN. ROCHÆ. Ab excommunicationibus Papæ reservatis in Bulla Cænæ, & extra (excepta propter hæresim) potest quis à confessario semel in vita, & semel in articulo mortis per Bullam Cruciatæ absolvi: & etiam iterum si secunda Bulla Cruciatæ sumatur siue casus sit publici, siue occulti. Potest Episcopus si casus sit occulti, vt delegatus Papæ absolvere.

*vbi sup.* Manuale Tolet. Nullus est casus reservatus Papæ cui non sit annexa aliqua censura. Vnde ab omnibus peccatis habentibus annexam censuram Papæ reservatam, ea legitime sublata simplex Parochus absolvere potest, quia per id desinunt esse reservata.

Laur. Roche. Confessarij Regulares approbati ab Ordinario ab omnibus peccatis, & censuris etiam reservatis extra Bullam Cænæ absolvere possunt quoscunque fideles toties quoties.

Delicta supra dicta sunt Papa reservata ratione excommunicationis: ea ergo per absolutionem ablata, vel per ignorantiam non incurta, quilibet confessarius potest ab illis absolvere. Unde si hereticus ratione ignorantie excommunicationis eam non incurrat, peccatum eius posset à quolibet Confessario absolui, quia non est reservatum.

Ab excommunicationibus nulli reservatis quilibet confessarius potest absolvere, extra etiam pœnitentiæ sacramentum.

Remig. Excommunicationes quæ sunt in corpore Juris sunt plurimæ, & nulli reservatæ. Et absoluitur Pœnitens à confessario dicente. Ego te absolvo ab omni vinculo excommunicationis si forte incurristi. Et in Hispania excommunicationes reservatæ in corpore Juris per Bullam Cruciatæ tolluntur præter excommunicationem annexam heresi. Præterquam quod vulgus communiter ignorat eas, & consequenter non incurrit.

Excommunicationes ab homine impositas à Judice, regulariter ipse Judex tollit eas. 2. Eius successor. 3. Eius superior. 4. Eius delegatus.

Fran. Quilibet Confessarius potest absolvere ab excommunicatione minori.

Laur. Roche. In dubio juris, facti ve, an quis excommunicationem incurrerit, facta debita diligentia, dic non incurrisse. In dubijs enim melior est conditio possidentis. Possidens ergo ius communicandi cum fidelibus, in dubio non debet ea possessione privari.

Fran. In foro interiori Confessarius habens facultatem absolvendi excommunicatum, absolvat iuxta formam communem supra præscriptam in absolutione sacramentali.

26. sup. 9.  
24. n. 129.

Joan. Henriq. Oportet hic adverti ex c. Quamvis de sent. excom. nullum excommunicatum, ob violentam manuum impositionem in personam Ecclesiasticam posse absolvi ab excommunicatione priusquam satisfaciat parti offensæ: cum vero non potuerit satisfacere, debet facere juratoriam cautionem satisfaciendi cum potuerit: & ita absolvetur.

17. 11.

Salazar. Satisfacta parte, hic intelligitur, quod petat veniam percussor Clerici per se, vel per alium ab eo, qui si fuerit absens, sufficit ei scribere: nec expectandum est tempus responsionis, vt absolvatur.

Fran. Absolutio autem solemnis & in foro exteriori fit secundum modum præscriptum in Rituali Romano in titulo de Sacramento Pœnitentiæ,

## QVAESTIO CXV.

*De suspensione. Quid sit?*

1. 1. c. 43.

**T**olerus. Suspendio est Ecclesiastica censura privans usu Ecclesiastici officij, aut beneficij. Vt cū remanente titulo, aut potestate officij, aut beneficij, aufertur exercitium officij, vel in toto, vel in parte. Per officium intelligitur officium Ordinis, & etiam jurisdictionis. Per Beneficium, dignitates, canonicatus, alia que Ecclesiastica beneficia.

de cen. 1. 1.  
9. 1. pu. 2.  
n. 3.

Bonaci. Quando fertur suspendio absolute, intelligitur suspendio ab officio, & beneficio.

Franc. Suspendio solum privat secundum tenorem verborum

verborum quibus pronuntiatur. v. g. Suspendo te à beneficio: tunc quis non est suspensus ab officio, sed solū à percipiendis fructibus beneficij, præter necessarios ad victum. In suspensione autem ab officio, si quis suspendatur à minori officio v. g. Subdiaconatu, intelligitur suspensus à maiori, vt Diaconatu. Secus è contra.

Tolet. Suspensus exercens id in quo est suspensus, peccat graviter: & peccatum est ex suo genere mortale. *l. r. c. 45. n. 1.*  
 Peccat ergo qui suspensus ab ordine aliquem actum illius exercet. Peccat qui suspensus ab officio, seu jurisdictione, excommunicat, vel aliquem exercet talis officij actū. Et adhuc suspensus ab ordine, vel ab aliquo includente suspensionem Ordinis, non solum peccat, *n. 2.* si talis Ordinis actum exercent, sed etiam fit irregularis.

Franc. Suspendio fit ad tempus limitatum, v. g. per duos menses, per unum annum. Nam si fit à toto ordine, vel toto beneficio, vel à toto officio in perpetuū: tunc potius erit depositio, vel degradatio.

Acacius Marc. Suspendio alia est ab homine, alia à jure. Hęc incurritur 1. Quando Clericus est notorius concubinarius: hæc autem ipso jure tollitur per pœnitentiam sm. Nau. & Medio. Immo docet Medina non esse in usu hanc suspensionem, & consequenter huiusmodi Clericum si celebraret, non incurrere irregularitatem, cum non esset suspensus.

v. suspensio  
n. 1.

2. Cum quis suscipit Ordines extra tempora, vel extra legitimam ætatem, vel ab Episcopo excommunicato, vel ab Episcopo alieno sine proprij Episcopi licentia. 3. Cum Clericus Monasterij procurator expendit Monasterij bona imprudenter diffusive. 4. Cum Clericus publice provocat ad duellum, vel id acceptat.

5. Cum quis patrimonio fido accipit Ordines. 6. Cum quis committit simoniam. Suspendio ab homine est propter delictum nec indiget monitione, locus quando est propter contumaciam, tunc enim præcedere debet monitio sicut præcedit ad excommunicationem.

Franc. Sunt etiam aliæ plures suspensiones in jure; tamen istæ assignatæ sunt notiores.

Absolutio à suspensione non habet determinata verba: potest autem sic fieri. Absolvo te à vinculo suspensionis quam incurristi ob talem, vel talem causam, & restituo te pristinæ executioni.

*In Prompt.*

c. 20. §. 2.

n. 6.

Remig. Absolvere potest à suspensione posita in jure Episcopus extra duos casus. 1. cum posita est suspensio pro peccato de quo Episcopus non potest absolvere. 2. Cum Papa sibi reservavit absolutionem. Potest etiam Confessarius approbatus à suspensione absolvere penitentem per Bullam Cruciatæ. Suspendio ab homine tollitur ab imponente, ab eius superiore, & etiam eius successore.

Franc. Absolutio à suspensione ad tempus præfixum. v. g. suspendo te per sex dies, tollitur finito tempore præfixo absque vlla absolutione: vnde transactis prædictis diebus sic suspensus liberatur à suspensione.

*In instr.*

Conf. §. 8.

cap. 11.

Barth. Medin. Dubitatur hic. Num qui ordinaretur ante vigesimum quartum ætatis annum (propter quod suspensionem incurreret) absolutus à suspensione per Bullam Cruciatæ, posset celebrare? Respondeo quod non. Nam Confessarius absolvens eum à suspensione, non habet facultatem dispensandi cum eo ut celebret ante ætatem viginti quatuor annorum. Cum tamen pervenerit ad ætatem viginti quatuor annorum poterit abs nova licentia celebrare.

*sess. 23. c. 12*

Franc. Hæc ætas viginti quatuor annorum, intelli-



gitur, completorum vique ad inchoationem viginti  
quinque Nam etas viginti quinque annorum statuitur  
à Tridentino, vt quis ad Præbyteratum promoveatur.

## QUAESTIO CXVI.

*De Interdicto. Quid sit?*

**R**emig. Interdictum est Censura Ecclesiastica Sa- *In prom. t.*  
cramentorum usum, Divina officia, & sepulturam. *c. 2, §. 3.*  
Ecclesiasticam prohibens secundum se. Et est triplex, *n. 1.*  
locale nempe, personale, & locale simul & perso-  
nale. Locale est quod ponitur in loco sive particulari,  
vt Ecclesia, sive generali, vt Diocesi. Personale con-  
tra personam, vel personas. Locale, & personale, quod  
contra personam & locum ponitur.

Barth. de Medin. Differunt autem interdictum loca- *vbi. sup.*  
le, & interdictum personale. Quod si est interdicta *§. 3.*  
Ecclesia determinata, poterit in alia celebrari: & pa-  
riter si tota ciuitas est interdicta, poterit extra eam ce-  
lebrari. Interdictum autem personale consequitur per-  
sonam taliter, quod persona interdicta in vna ciuitate,  
non solum prohibetur ibi audire missam, & adesse offi-  
cijijs divinis, imo quocumque jerit, habet interdictum  
secum, & consequenter nec alibi poterit audire missam,  
& officia divina.

Man. Tolet. In locis tamen generaliter interdicti's *vbi. sup.*  
quotidie in Ecclesijs, & Monasterijs missæ, & alia of-  
ficia celebrari possunt sicut prius cum moderatione: cap.  
Alm. Mater. Videlicet submissa voce, ianuis clauis,  
non pulsatis campanis, & exclusis excommunicatis, &  
interdictis qui non habuerint privilegium, vt diuinis  
officijs intersint. Potest etiam diebus Dominicis cum

codem moderamine aqua benedici, & ea populus aspergi.

In festiuitatibus Natalis Domini, Resurrectionis, Pentecostes & Assumptionis B. Mariæ diuina celebrantur alta voce januis apertis, exclusis excommunicatis, & admissis interdictis dum tamen ij propter quos positum est interdictum, non appropinquent altari. Et dies festus incipit à vespere vigilæ vsque ad festi Completorium exclusiue. Idem permittitur in festo Corporis Christi, & tota Octaua. Eisdem diebus aqua solemniter potest benedici, & aspergi: panes, & fructus benedici, & administrari: benedici calices, virgines &c.

Tempore interdicti generalis, cessante priuilegio non datur Extramartyrio infirmis, neque Clericis, neque laicis, nec defunctis Ecclesiastica sepultura: præterquam Clericis qui interdictum seruauerunt. Nec fit Ordinatio Ministrorum Ecclesiæ. Sacramentum matrimonij, celebratur; non tamen benedictiones nuptiales.

Conceditur Sacramentum Baptismi & Confirmationis, tam parvulis quam adultis cum omni apparatu, & solemnitate: conficitur Chrisma in die Cænæ Domini: Pænitiæ Sacramentum datur non solum morientibus, & infirmis, sed etiam sanis, qui non fuerint excommunicati, neque fuerint causa interdicti sua culpa, neque consilium, fauorem, aut auxilium præbuerint delicto, ob quod fuit positum.

Conceditur Eucharistia, seu Viaticum, existentibus in mortis periculo, & potest portari cum lumine, & campanula, & ostendi in reditu, vt moris est, & possunt annuntiari indulgentiæ comitantibus Sacramentum. Non prohibetur benedictio mensæ, nec precatio, siue oratio, dum pulsatur ad Ave Maria: nec prædicatio

verbi Dei : licet etiam excommunicare, & excommunicatum absolueret absque solemnitate Sacerdotali. Nec prohibentur interdicti adorare Hostiam, nisi cum divina officia actu celebrantur.

Franc. Facultas interdicendi est apud quencunque potentem excommunicare, & suspendere : & regulariter interdictum ponitur propter inobedientiam vel personæ particularis, vel plurium personarum : facultas autem absolvendi ab interdicto cum fuerit ab homine est penes ponentem interdictum, vel eius superiorem : si autem fuerit interdictum à jure potest Episcopus tollere interdictum cessante causa, & absolute Summus Pontifex potest illud tollere. Virtute quoque Bullæ Cruciatæ fit absolutio ab interdicto, satisfacta parte, dummodo interdictum sit personale. Verba ad remouendum interdictum sunt, *revoco, removeo interdictum* : vel alia huius generis.

## QVAESTIO CXVII,

*De Irregularitate. Quid sit?*

**T**olet. irregularitas est inhabilitas canonicâ suscipiendi ordines, aut exercendi susceptos, à solo iure proueniens. Dicitur canonica, ad differentiam inhabilitatis prouenientis à iure diuino per quod fœmina irregularis, inhabilis que est ad ordines, quam etiam inhabilitatem habet Non baptizatus. Dicitur à solo iure proueniens : nam nunquam irregularitas est ab homine sed semper à jure. l. 7. c. 573  
n. 1, 2, 3.

Franc. Est tamen gravis quæstio, Num irregularitas sit censura Ecclesiastica? Et quidem sm definitionem Toleti, manifeste apparet eam non esse Censuram Ec-

clesiasticam, sed tantum inhabilitatem vel impedimen-  
tum. Attamen Thomistarum communior opinio eam  
asserit esse censuram quando prouenit ex peccato.

ibid. s. 9

Barth. De Medina Est que graue dubium inter Do-  
ctores circa irregularitatem ortam ex peccato, num ea  
possit tolli, vel de ea possit dari absolutio per virtutem  
Bullæ cruciatæ? circa quod est diuersitas opinionum.  
Sotus enim Canus, alij que viri docti affirmant: eo  
quod concedatur in Bulla potestas absolvendi de qua  
cunque poena, seu censura Ecclesiastica: cunque irre-  
gularitas quæ per peccatum incurritur sit vera pæna, &  
censura Ecclesiastica, manifestum videtur posse de ea  
fieri absolutionem per virtutem Bullæ.

Oppositum tenent alij eo quod de irregularitate non  
fit absolutio, sed dispensatio: in Bulla autem non datur  
nisi potestas absoluendi ab Ecclesiastica censura: in quo  
videtur dari intelligi Bullam non loqui de pæna, & cen-  
sura de qua non est absolutio, sed dispensatio, sed de pec-  
cato per quod incurritur prædicta irregularitas. Nihilo  
minus tamen prima opinio & verior & conformior est  
iuri, licet non prouisorum consuetudini: & ratio secun-  
dæ non convincit: cum enim suspensio, & irregulari-  
tas per quæcunque verba tollantur: impertinens est ad  
irregularitatem tollendam dicere: ego dispenseo, vel ab-  
solvo, vel tollo irregularitatem.

Hæc autem nostra sententia intelligitur quando irre-  
gularitas committitur solum per peccatum: nam si quis  
interfecit, vel mutilauit membrum iniuste, est irregu-  
laris non solum propter peccatum commissum, sed etiã  
propter significationem, & indecentiam quæ reperitur  
in effundente sanguinem ( licet esset iuste) ad celebra-  
nda mysteria Christi agni immaculati in altari: vnde is  
non poterit de hac irregularitate absolvi virtute Bullæ  
Cruciatæ.

Salazar. Vnde irregularitas non prout est impedimentum sed prout est censura definitur sic. Pœna Ecclesiastica qua iudex Ecclesiasticus punit baptizatos privando eos susceptione Ordinum & executione susceptorum.

## QV AESTIO CXX.

*Quotuplex sit irregularitas?*

**F**RANC. Triplex in genere est irregularitas. 1. Ex defectu. 2. ex delicto: & 3. ex utroque. Prima quæ appellatur etiam irregularitas significationis: est multiplex. 1. Ex defectu Nativitatis, quo pacto sunt inhabiles illegitimi, secus si per subsequens matrimonium legitimentur. De pueris tamen expositis dum non probetur eos esse illegitimos, stat favor eos habens legitimos, & abs vlla dispensatione possunt suscipere Ordines.

2. Ex defectu Originis, ut servi, qui non possunt sine licentia sui Domini ordinari, si autem ordinentur eo volente, statim liberantur à servitute.

Tolet. Qui autem nascitur ex matre libera, etiam si Pater servus sit non est irregularis, nec repellitur à promotione, quia servus non est, cap. dilectus de serv. non ordin. l. 1. c. 59  
n. 12

Fran. 3. Ex defectu ætatis. Est autem ætas suscipiendis ordinibus legitima, jure humano præscripta. Primæ enim tonsuræ est septennarium completum: hoc enim est tempus infantia: ut dicit Gloss. cap. Nullus de temp. ordin. in 6. Quo capite cauetur ne vllus Episcopus ante hoc tempus vlli primam conferat nisi ei qui Religionem fuerit ingressus: alias ipso jure à collatione primæ

tonsuræ per annum erit suspensus Episcopus. Post septennium usque ad duo decimum reliquos minores ordines suscipiendi tempus est legitimum. Acholythatus vero non nisi completo duodecimo anno suscipi potest. can. in singulis. d. 77 Horum autem & maiorum Ordinum tempus in quæstionibus de Sacramento Ordinis, tanquam in proprio loco videbitur.

4. Ex defectu corporis, ut lepra, cæcitate, castratione. 5. Ex defectu animæ. Ut qui sunt enegumeni, amentes. 6. Ex defectu Sacramenti, ut Bigamus. Bigamia autem tripliciter contingit 1. Cum quis bis nupsit 2. Cum semel cum fæmina non virgine, 3. Cum quis voto solemnè castitatis obligatus, sacrilege contrahit, & consumat matrimonium. Est enim hic similitudinaria bigamia.

5. Ex defectu famæ honestæ, ut infames ex jure, vel ex factis. Ut histriones, vsurarij publici. 6. Ex defectu lenitatis, ut ministri Justitiæ, & omnes concurrentes ad probationem in causa sanguinis, & ad executionem pænæ. Accusator autem cum accusat ob suam indemnitate, & proprium beneficium protestans expresse se non accusare propter vindictam, neque intendens mortem accusati, non incurrit hanc irregularitatem.

Nec Domini Inquisitores tradentes reum sæculari potestati. Nec Sacerdos admonens reum, ut ascendat scalam patibuli. Nec Religiosi tempore belli hortantes milites ut feriant & occidant hostes, vel quod se exponant vitæ periculo ob defensionem fidei.

Nec tandem Sacerdos ministrans infirmis cum eos volvit in lecto de vna in aliam partem, ob levamen infirmorum, etiamsi, præter intentionem, mors acceleretur dummodo caute & prudenter fiat hæc ministratio.

Irregularitas ex delicto etiam est multiplex. 1. Ex delicto violandi censuras. Vnde Clericus transgrediens interdictum, vel celebrans cum sit excommunicatus, aut suspensus ab ordine, incurrit irregularitatem, 2. Ex delicto Ordinis, vt non Sacerdos celebrans missam, vel audiens confessiones. Excommunicatus recipiens Ordines, vel non excommunicatus suscipiens eos ab Episcopo excommunicato. 3. Ex reiteratione baptismi. 4. Ex adulterio, falso testimonio, simonia, nefario peccato, dummodo notoria sint de iure, vel de facto.

5. Ex homicidio, vel mutilatione membri tam voluntario quam casuali.

Remig. Est tamen notandum, hic non dici casuale, *In prompt.* propterea quod sine culpa contigerit, sed propterea, *c. 20. §. 5.* quia actio siue licita, siue illicita ex qua mors euenit non *n. 7.* fuit facta animo occidendi: & sic dicitur casuale in intentione, non in culpa. Non enim fuit adhibita diligentia prudentialis ne homicidium committeretur. Si autem facta sufficienti diligentia sequeretur homicidium non incurreretur irregularitas: esset enim tunc homicidium casuale, involuntarium, & inculpabile.

## QUAESTIO CXIX.

### *De dispensatione ab irregularitate.*

**F**RANC. In irregularitatibus provenientius ex defectu summus Pontifex dispensare potest. In provenientius à delicto, si id occultum sit excepta irregularitate proveniente ab homicidio voluntario, potest Episcopus dispensare. Per baptismum tolluntur irregularitates ex defectu, extra bigamiam, & defectum corporis. Per ingressum in religione tollitur irregularitas

ex illegitimitate proveniens, quantum ad susceptionem Ordinum, non quantum ad habendas dignitates.

## QVÆSTIO CXX.

*De cessatione à Divinis.*

**F**RANC. Cessatio à divinis est Omissio divinorum officiorum in Ecclesia. Non est in jure hæc cessatio, sed ab homine ponitur propter inobedientiam, ut cum excommunicationi non est præstita obedientia, nec interdicto. Tunc autem litteræ quibus indicitur bene considerandæ sunt, & sine eas judicandum: quia ligant quantum Juxta expressit, & non amplius. Et Dividitur in Generalem, & particularem: nam imponitur generaliter toti regno, aut civitati: vel particulari Ecclesiæ.

*ib. sup.*

Man. Tole. In cessatione prohibetur celebratio divinorum officiorum etiam januis clausis, & administratio sacramentorum præter illa quæ subjiciuntur. Singulis Hebdomadis licet semel celebrare, ad renouandâ Eucharistiam, vno tantum ministro præsentem.

Baptismus, Confirmatio, & Sacramentum Pœnitentiæ conferuntur omnibus. Vinctio extrema nulli, Ecclesiastica sepultura omnibus interdicitur. Clerici tamen possunt in Cæmeterio sepeliri cum silentio, cessantibus omnibus solemnitatibus. Eucharistia defertur tantum infirmis cum pompa, sed non dicitur officium ordinatum. Divinum officium singuli qui alioquin tententur recitare debent, sed sine socio.

Cessatio non est censura, quemadmodum est interdictum: & violans eam, non est propterea irregularis: & qui privilegium habet ad audienda divina officia tem-



pore interdicti, non ei, suffragabitur ut tempore cessationis audire possit. Nec qui privilegium habet audiendi tempore cessationis generalis continuo audire poterit tempore cessationis particularis.

Remig. Præsumens violare cessationem gravissime peccat. Indicens cessationem tenetur adire Romam ad ostendendam contumaciam si intra mensem non se componant partes: quod nisi statim finito mense iter arripiat, cessatio nulla est. Quod si partes conveniant cessatio auferri potest ab Episcopo.

In sum. tra.  
6. c. 8.

Tolet. Qui cessavit absque causa legitima debet condemnari ad reddendum interesse totum quod Canonici perdidit propter cessationem, & similiter in Ecclesia in qua cessatum est perdidit: si vero iuste cessavit, tunc opposita pars contra quam cessatum est, debet ad idem condemnari.

l. 1. c. 56.

Fran. Cessatio ex officio pertinet ad Episcopum qui inducit cessationem propter grave crimen, puta si statuta fuerint contra libertatem Ecclesiasticam: vel si iudex sæcularis detineret sacerdotem in carcere &c.

## QVÆSTIO CXXI.

*De depositione, & degradatione.*

**L**Eand. de Sacr. Depositiō non est censure nec pænæ, sed impedimentum quo quis propter crimen privatur tanquam inhabilis usu Ordinis sacri, vel officio in perpetuum absque spe restitutionis, retento utroque privilegio fori videlicet, ut convinci non possit depositus in iudicio sæculari, nec capi, nec puniri à laicis. Et Canonis si quis suadente II. q. 4

to 4 tra. 2  
de cul. dij  
l. 2. 5.

Degradatio quoque est impedimentum quo vir Eccl.

q. 6.

clenasticus priuatur vsu Ordinis, & administratione beneficij, & vtroque privilegio clericali absque spe restitutionis, adhibitis quibus dam externis ceremonijs.

## QUAESTIO CXXII.

### *De Indulgentijs.*

**F**RAN. Indulgentia est relaxatio de pœna satisfactoria pro peccatis. Nam per indulgentiam datur alicui non absolutio à debito pœnæ, sed id vnde debitum solvat. Summus autem Pontifex concedit, & applicat indulgentias ex thesauro Ecclesiæ vbi est copia meritorum, & valorum ad expiandam pœnarum multitudinem. Alij autem inferiores à Papa habent aliqualem facultatem concedendi indulgentias sm quod eis est commissum à Papa, vt Episcopi qui 40. dies indulgentiæ dant.

In concessione, & publicatione indulgentiarum debent fieri diligentia, & observari circumstantiæ quæ proponuntur, vt confiteri, communicare, visitare Ecclesiam, dare eleemosynam, &c. vt contingit frequenter cum Dominus Papa solet magnam concedere indulgentiam.

## QUAESTIO CXXIII.

### *De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.*

**F**RAN. Minister Sacramenti pœnitentiæ est Sacerdos: sic enim fuit institutum à Christo quando dedit apostolis potestatem remittendi peccata Joan. 20. In resurrectione quoque Lazari Joan. 11. discipulis præcepit Christus vt solverent Lazarum: quod præfigura-

bat solutionem à peccatis per confessionem sacramentalem attinere ad Sacerdotes qui habent potestatem à Christo absolvendi à morte peccati.

Vt quis autem Sacerdos sit legitimus Confessarius quatuor debet habere. Potestatem, scilicet scientiam, prudentiam, & bonitatem. Potestas est vel ordinaria, vt in Parochis, vel delegata vt in alijs Sacerdotibus ab Episcopo approbatis ad audiendas confessiones.

Scientia est necessaria Confessario tanquam iudici vt possit cognoscere peccata, quæ sint talia? quæ mortalia? quæ dubia? qui sint casus de quibus potest absolvere, vel non absolvere: circa quoque censuras ad quas eius potestas extenditur vel non extenditur. Circa dispositionem quoque requisitam ex parte pœnitentis debet habere scientiam, vt sciat quando dare, differre, vel negare debet absolutionem.

Et quidem danda est absolutio cum omnia ad eam dandam necessaria concurrunt ex parte pœnitentis, vt sufficiens confessio bona, propositum emendæ &c.

Differenda vero est quando probabiliter & prudenter præsumeretur pœnitentem, etiam sine sua culpa, non esse sufficienter confessum, puta cum quis generaliter confitetur de multis peccatis plurium annorum nunquã rite confessorum, vt ita semel, iterum, atque iterum examinet conscientiam, præsumeretur enim multorum forte peccatorum eum oblivisci. Id tamen extra necessitatis articulum fieri potest. Item differenda est absolutio, maxima adhibita prudentia, quando pœnitens frequentissime reincidit in peccata pluries confessa, vt ita vitet ea.

Neganda vero est indignis, puta nulla signa doloris dantibus, qui odia, & inimicitias deponere, aut aliena si possunt, restituere, aut proximam peccandi occasio-

nam deserere, aut alio modo peccata derelinquere, & vitam in melius emendare nolunt. Aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant, & scandalum collant.

Circa occasionem proximam scire debet eam esse talem à qua necessario pœnitens debet abstinere, & statuere, se nunquam ea usurum: id autem si non statuerit pœnitens, non eum absolvat Confessarius.

In Enchyr.  
2, 3. 14.

Mart. Nav. Occasio autem propinqua peccandi est omnis illa & sola quæ est peccatum mortale: aut talis occasio peculiaris qua credit, vel credere debet Confessarius, vel pœnitens nunquam vel raro se usurum ea sine peccato mortali, bene perpensis eius circumstantijs.

Ecccl 30

Huius autem definitionis bonitas nititur eo quod nemo potest absolui nisi statuat, saltem virtualiter, nunquam se in posterum, mortaliter peccaturum, & consequenter vitaturum occasionem quæ ex se sit mortifera, aut peculiaris huiusmodi quam probabiliter credit peccati mortalis causam sibi fore iuxta illud. Qui amat periculum peribit in illo. Quippe non vitare huiusmodi occasionem est peccatum mortale.

Fran. Occasio autem quæ est proxima respectu vnius, potest non esse talis respectu alterius: facilius enim præparatur occasio luxuriæ juveni, quam seni. Occasio autem remota, & generalis reperitur in rebus huius mundi qui est locus tentationum: non autem est peccatum, vivere intra hanc occasionem alias debebamus de mundo exire.

Circa rudes, & ignorantes debet etiam Confessarius advertere eorum ruditatem, num talis sit quod inculpabiliter ignorent Doctrinam Christianam: & tunc docere eos principalia fidei mysteria, nempe Mysterium

Trinitatis, & Incarnationis Dominicæ, & quod Deus remunerator est bonorum, & sumit vindictam de malis faciet q. eos vt discant Doctrinam Christianam. Si autem repererit aliquem ignorantem eam, cum potuerit discere, non absolvet, vsque dum discat eam. Est enim homini necessarium ad salutum scire credenda, desideranda, & operanda. 1. Habentur in symbolo. 2. in Oratione Dominica. Et 3. in præceptis Decalogi, & Ecclesiæ. Circa sacramenta quoque tenetur scire Christianus explicite, Baptismum, Eucharistiam, & pænitentiam: reliqua vero sacramenta, cum ea susceperit vel ministraverit.

Quare Christianus cum pervenerit ad usum rationis tenetur sub peccato mortali discere, & scire Doctrinã Christianam. Et Confessarijs curam animarum habentibus maxime competit diebus festis docere pueros suarum parochiarum Doctrinam Christianam; alias graviter peccabunt.

Circa infirmos quoque Confessarius curabit. In primis si invenerit infirmum culpabiliter ignorantem Doctrinam Christianam si sit in statu impotentiz ad eam addiscendam, tenetur declarare ei tria mysteria necessitate salutis nempe vnum Deum remunerantem justos, & punientem malos. Hunc Deum esse vnum in essentia, & Trinum in personis. Et tandem Verbum Dei, secundam personam Trinitatis assumpsisse naturã humanam ad redimendos, & salvandos homines: vterius faciet eum facere explicitum fidei actum de mysterijs fidei & generalem actum de omnibus quæ sacra Ecclesia credit, quibus factis, & habito dolore de sua culpabili ignorantia de qua se accusabit infirmus, absolvetur à Confessario.

Et adhuc, si huiusmodi infirmus accusans se de hac

culpabili ignorantia, amiserit loquelam, absolvetur à Confessario saltem sub conditione, & præcipue si periculum vitæ timeatur.

*ira 6 §. 2.  
post med.*

Salazar. Aliquando etiam poterit Confessarius dimidiare infirmorum confessiones. v. g. Si tribus infirmantibus periculose, dum vnius confessionem integram audit, moriuntur alij. Tunc nanque uno vel alio peccato confesso, & habito de reliquis dolore, poterit vnum infirmum absoluere Confessarius aduertens eum, quod si sanaverit, & licuerit per tempus, tenetur de omnibus denuo confiteri sigillatim. Et idem faciet eum alijs. Et tandem si adhuc fuerint superstites, integre eos audiet, & absoluet.

*In prompt.  
c. 15. §. 4.  
D. 1.*

Remig. Cum vero Confessarius, vel Parochus vocatur ad audiendâ infirmi confessionem, perquiret de statu infirmitatis. Et infirmus si sit proximus morti, & adhuc non susceperit Sacramenta, faciet absque mora ad ferre Eucharistiam, Extremam Vactionem, & scribam ad scribendum testamentum. Vel melius erit dare vices suas alteri vt is disponat testamentum iuste, & ordinate, cui infirmus declarabit si habeat debita, & alia quæ declarari oportet. In hoc enim casu potius de animæ saluatione quam de negotijs caducis agendum est.

Interea Confessarius monebit infirmum ad contritionem, & confessionem peccatorum: si autem viderit eum iam in extremis esse, audito aliquo peccato eum absoluet, ne sine absolutione moriatur. Quod etiam fieri poterit cum vulnere mortali lauciatus, & mulier in partu periclitans non possunt esse sine Chirurgo, & oblectricibus: imo quatuvis non nisi signa dederint doloris, absoluet eos cum angustia temporis non dederit locum ad amplius. Postmodum autem secundum quod per

per tempus licuerit largius examinabit infirmum ad integram confessionem peragendam.

Si infirmus teneatur restituendi obligatione, vel honoris, vel famæ, vel rerum, faciet ut fiat restitutio, vel saltim declaratio (vel accipiet pignora ad restitutionem rerum faciendam) si autem non inuenierit modum restituendi non debet Confessarius angustiari, sed remittere negotium ad Deum, hortari infirmum ut doleat de incuria restitutionis quando potuit, & non fecit. Non enim desinet saluus esse, ob non factam restitutionem, cum sit prætiosior anima humana omnibus mundi bonis.

Franc. Poterit etiam Confessarius de licentia infirmi consulere viros doctos de difficultatibus sibi hic occurrentibus, & iterum de licentia eiusdem tractare cum hæredibus quæ tractanda sibi visa fuerint.

Circa infirmos destitutos loquela, signis, & vocibus iuuabit eos ad pænitentiam adducere, & dare eis absolutionem, vel conditionate, vel absolute secundum quod viderit, quomodo possit eum absolueri. Si autem infirmus dum confitetur, amisserit loquelam, & sensum, absoluet eum, si dederit sufficientem materiam.

Circa testamenti dispositionem, cum per tempus licuerit, faciet Confessarius ut bene, atq. ordinate id scribatur à Notario sine damno vllius. Ipse autem Confessarius nec verbaliter, nec per scripturam accipiat sibi facultatem aliquid faciendi, expendendi, restituendi: sed potius faciet ut ea quæ sibi committuntur, ponantur in testamento, in eo que scribantur.

Tandem debet Confessarius in rebus dubijs de licentia pænitentis, viros doctos consulere, ut suum officiû bene adimpleat.

Tertia conditio ex parte confesarij requisita est Prudentia: Nam confesariis est Medicus de cuius munere est dare remedia necessaria, & opportuna ad animarum salutem. vnde in confessione prudenter se geret faciens interrogationes circa peccata iuxta conditionem pœnitentis: nec nimius erit in interrogationibus superfluis. v. g. de peccatis iudicum interrogans puellas. Et tandem inducet ad verum dolorem, pœnitentem imponens ei salutarem pœnitentiam tam medicinalem quam satisfactoriam, habita ratione peccatorum, status, sexus, conditionis, ætatis que pœnitentis.

Quarta conditio est bonitas, id est status gratiæ. Debet nanque Sacerdos esse in gratia, vt digne & sancte administret pœnitentiæ sacramentum: si autem se in peccato mortali esse cognoverit, curabit de prius confitendo suo peccato, vel saltem de contritione habenda de eo, alias peccabit mortaliter, cum conscientia peccati mortalis ministrans hoc sacramentum.

Tandem circa sigillum confessionis quid debeat facere, & quomodo teneatur ad illud seruandum Confesarius, iam supra dictum est.

## QUAESTIO CXXIV.

*De Penitentia virtute.*

**B**ONACI. Pœnitentia specialis est virtus supernaturalis inclinans hominem ad satisfaciendum Deo pro iniuria, & offensa illi facta, & ad conseruandum ius diuinum illæsum. Dicitur virtus generice, nam virtus inclinatur ad actus, honestos, ad quos etiam inclinatur Pœnitentia. Dicitur supernaturalis, quia inclinatur ad gratiam supernaturalem. Per reliquas particulas denotantur ac-

to. i. tr. de  
sacr. disp. 5  
q. 1. p. 1. n.  
1. & seq.




tus propriiffimi Pænitiæ virtutis quæ inclinat ad placandum Deum, satisfaciendum ei, & servandum integrum eius ius.

Deus enim habet ius supra omnes homines, ratione cuius juris, dominij, & superioritatis homo stare debet voluntati Dei, & ipsius jus servare integrum, & illæsum. Cum autem hoc jus violetur per peccata & resarciatur per virtutem pænitiæ, sequitur pænitiã habere pro obiecto detestationem iniuriæ Deo factę, & satisfactionem pro hac offensa.

Fran. Pænitiã autem virtus est peccantibus necessaria ad salutem: vnde & datur præceptum de ea, Math. 4. Pænitiã agite. Oportet enim ad salutem dolere de male factis, & conari ad eorum destructionem, remouendo sequelã peccati facti scilicet offensam Dei, & reatum pænæ: hæc autem sequela destruitur per pænitiã virtutem intendentem placare Deum, & proponentem emendationem adiunctis motibus fidei, spei, & charitatis. Sic enim ellicitur actus pænitiæ virtutis qui est contritio.

Mart. Nav. Et ad habendam hanc pænitudinem siue contritionem tenentur imminente articulo mortis naturalis, vel violentæ. Immo etiam instante populi necessitate aliqua grandi, cui absque orationis fervore provideri non posset, sm Adrianum in 4. de Confes. q. 3.





DE SACRAMENTO EXTREMÆ  
Vnctionis.

QVÆSTIO CXXV.

*Quid sit Extrema Vnctio?*

**F**RANC. Extrema Vnctio physice definitur sic. Vnctio personæ infirmæ cum oleo olivarum in determinatis partibus corporis facta à Presbytero sub forma præscripta verborum. Metaphysice autem sic. Sacramentum novæ legis causativum gratiæ tollentis defectus relictos ex peccato quibus spiritualiter infirmatur homo non habens perfectum vigorem ad actus gratiæ, vel gloriæ.

Prima definitio explicatur. Vnctio personæ infirmæ. Hoc enim sacramentum debet infirmis præberi cum ad usum rationis pervenerint cum tam graviter laborant, ut mortis periculum videatur, & ijs qui præ senio deficiunt, & in diem videntur morituri, etiam sine alia infirmitate. Infirmis autem qui dum sana mente, & integris sensibus essent, illud petierunt, seu verisimiliter petijssent, seu dederint signa contritionis, etiam si deinde loquelam amisserint, vel amentes effecti sint, vel delirent, aut non sentiant, nihilominus præbendum est hoc Sacramentum. Si vero timeatur irreverentia, dum laborant phrenesi, aut amentia infirmi, non debet eis dari, nisi periculum tollatur omnino.

Impænitentibus vero & qui in manifesto peccato mortali moriuntur, & excommunicatis, & non dum baptizatis, penitus denegetur.

Hinc apparet non esse dandum hoc Sacramentum praelium iuituris, aut nauigationem, aut alia pericula, aut reis ultimo supplicio mox afficiendis. Nam hi sunt sani, & hoc sacramentum sanis non confertur: nam per curationem ægris non sanis prouidetur. Hoc autem sacramentum est spiritualis curatio.

Cum oleo oliuarum. Oleum proprie est oliuarum. Oleum autem Jacob. 5. Ponitur materia huius Sacramenti. Hoc autem oleum debet esse benedictum ab Episcopo, & est diuersum ab oleo Cathecumenorum nam alijs verbis consecratur, & benedicitur.

In determinatis partibus corporis. In quinque scilicet partibus corporis, oculis nempe, auribus naribus, ore, & manibus: & Vnctio in his partibus est de necessitate Sacramenti. De necessitate autem præcepti est vnctio in pedibus, & renibus in uiris: nam in feminis honestatis gratia vnctio renum omittitur: & quandoque etiam in uiris quando infirmus commode moveri non potest.

Facta à Presbytero sub form. &c. Nam ex Jaco. 5. Presbyter est minister huius Sacramenti, cuius forma est. Per istam sanctam vnctionem, & suam pijsimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per visum, vel auditum, &c. deliquisti.

Vnde Sacramentum tantum in extrema vnctione est, materia & forma sensibilis: res, & sacramentum, vnctio, seu consolatio interior, & res tantum gratia tollens defectus ex peccato mortali, vel originali relictos seu, debilitatem, & ineptitudinem in nobis relictam. Sicut etiam cum quis ab infirmitate corporali liberatur, adhuc remanet debilis ex infirmitate transacta, & curatur optimis, & competentibus refectionibus, usque dum redeat ad perfectam valetudinem. Et gratia curans hanc

debilitatem ex peccato relictam est res, & effectus huius Sacramenti, ut patet ex secunda definitione.

Materia autem proxima huius Sacramenti, est Vnctio. Intingens enim Sacerdos pollicem in oleo sancto in modum Crucis ungit infirmum in partibus iam dictis, aptando proprio loco verba formæ. Dum autem oculos, aures, & alia corporis membra, quæ paria sunt, Sacerdos ungit, caveat, ne altero ipsorum inungendo, Sacramenti formam prius absolvat, quam ambo huiusmodi paria membra unxerit.

Si autem dum inungitur, infirmus decedat, procedendum ultra non est, quod si Sacerdos dubitet, an vivat adhuc, Vnctionem prosequatur, sub conditione pronuntiando formam dicens: si vivis, per istam sanctam unctionem &c.

Si autem Sacerdos ungens, moriatur, alius Sacerdos debet ungere, non incipiens à capite, sed à loco ubi ille finiit.

Rogabis, nunc mutilati aliquo membro sint inungendi; Respondeo affirmative, & quidem in parte proximiori ad membrum mutilatum, & sub eadem forma, ac si ipsum membrum ungeretur: quia licet desit membrum, est tamen ibi potentia animæ illi membro correspondens, per quam potentiam poterat esse peccatum interiorius, licet non exteriorius.

## QVAESTIO CXXVI.

*Num hoc Sacramentum fuerit institutum à Christo?*

**F**Ran. Resp. affirmative. Unde habet efficaciam, & institutionem à Christo, & fuit promulgatum ab Apostolis. Et licet non fiat de hoc mentio in Evangelio,

tamen multa fecit Jesus quæ in Evangelio non continentur. Adhuc tamen de Olei Vnctione fit mentio in Evangelio Marci. 6. Vbi dicitur quod Apostoli oleo vngebant infirmos.

## QUAESTIO CXXVII.

*Num hoc Sacramentum possit reiterari?*

**F**RANC. Resp. affirmative. Nam curatio corporis iteratur. Ergo & animæ spiritualis curatio potest iterari quando opus fuerit. Et ita in infirmitate diuturna potest iterari, postquam infirmus semel extreme vnctus, convaluit, & iterum in periculum mortis incidit.

## QUAESTIO CXXVIII.

*De effectibus huius Sacramenti.*

**F**RANC. Dicitur est effectum huius Sacramenti esse gratiam tollentem defectus ex peccato relictos: nūc autem sciendum quod hæc gratia etiam est remissiva peccatorum. Dicitur enim Jac. 5. Quod si in peccatis est, extreme vnctus, dimittentur ei. Cuius ratio est, quia Sacramenta novæ legis causant gratiam, quæ est impossibilis cum peccato. Et ideo gratia huius Sacramenti quæ primo roborat infirmum ex consequenti si inuenit peccatum mortale, vel veniale, quoad culpam tollit illud, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis.

D. Thom. Nam culpa quoad maculam quamvis sine contritione non dimittatur, tamen hoc Sacramentum per gratiam quam infundit facit quod ille motus liberi

*in ad ad 3.*

*P 9. q. 30.*

*4. 1. ad 2.*

arbitrij in peccatum sit contritio, sicut etiam in Eucharistia & Confirmatione potest accidere.

Franc. Est etiam effectus huius Sacramenti, sanitas corporalis: nam dicitur Jac. 5. Quod Oratio fidei, forma scilicet huius Sacramenti alleviabit infirmum. Non tamen sequitur ex hoc Sacramento corporalis sanatio semper, sed quando expedit ad spiritualem sanationem, & tunc semper ea sequitur, dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis.



## DE SACRAMENTO ORDINIS.

### QUAESTIO CXXIX.

*Quid sit Ordo?*

**F**RANC. Ordo physice definitur sic. Traditio rei materialis in significationem potestatis spiritualis quae accipienti eam rem confertur in ordine ad dispensationem diuinorum mysteriorum sub forma praescripta verborum, Metaphysice autem sic. Sacramentum novae legis causatum gratiae potestativae. Prima definitio patet: Nam per susceptionem ordinis quis benedicitur, & consecratur ad dispensationem divinorum, gradualiter ascendens ab vno ad alium ordinem usque ad presbyteratum in quo dispensat fidelibus sacra. Secunda definitio explicat gratiam excellentem & propriam sacramenti Ordinis.

Materia huius Sacramenti remota est aliqua res sensibilis, ut infra videbitur, proxima autem, traditio talis rei ex parte ordinantis, & acceptio ex parte recipientis

piensis. forma autem consistit in verbis quæ tunc dicitur  
Ordinans.

## QVÆSTIO CXXX.

*Num Ordo imprimat characterem?*

**F**RANC. Resp. affirmative. Nam Ordo iterabilis non est sicut alia sacramenta characterem non imprimunt, ut pœnitentia, Eucharistia, ergo Ordo characterem imprimat. Deinde. Per quemlibet ordinem aliquis constituitur super plebem in aliquo gradu potestatis ordinatæ ad sacramentorum dispensationem. Vnde cum character sit signum distinctivum ab alijs, oportet quod in omnibus ordinibus character imprimatur.

**TOLET.** Iste character est indelebilis, & semel impressus à Deo in Ordinato perseverat etiam post mortem; unde si mortuus resurgat, non potest initiari ordine quem vivus receperat. Num autem is character sit vnus, vel multiplex in multis ordinibus? aliqui tenent esse multiplicem scilicet multipliciter ordinum: alij vero esse vnum qui paulatim augetur per diversos ordines, vel per modum intensiōis, vel per modum extensiōis, sicut habitus scientiæ augetur paulatim.

*addi. ad  
sum. Tolet.  
c. 6. n. 3.*

**FRAN.** Character Ordinis præsupponit characterem baptismalem de necessitate Sacramenti: Vnde si quis non baptizatus ordinaretur non esset Ordinatus. De congruitate autem præsupponit characterem Confirmatiōnis (congruum enim est Ordinatum, prius esse confirmatum) non autem de necessitate: Nam Apostoli prius fuerunt Ordinati, nempe in nocte ultimæ Cæcæ Christi, & postea fuerunt Confirmati in adventu Spiritus Sancti in die Pentecostes.

Similiter, non est de necessitate Sacramenti, quod

character Ordinis superioris præsupponat characterem ordinis inferioris, sed de necessitate præcepti.

26. sm. 9. 35  
4. 3. ad. 5.

D. Thom. Unde in primitiva Ecclesia aliqui ordinabantur in Presbyteros qui prius inferiores ordines non susceperant, & tamen poterant omnia quæ inferiores ordines possunt, quia inferior potestas comprehenditur in superiori virtute, sicut sensus in intellectu, & ducatus in Regno. Sed postea per constitutionem Ecclesiæ determinatum est, quod ad maiores ordines non se ingerat, qui prius in minoribus non se humiliavit: & inde est quod qui ordinantur per saltum secundum Canones non reordinantur, sed id quod omissum fuit de præcedentibus ordinibus confertur.

in sac. ord.

Lauren. Roche. Ordinatus per saltum, manet suspensus ab usu ordinis sic suscepti, quem si non exercuit, potest ab Episcopo dispensari, si autem exercuit a Papa dispensandus est.

Fran. Tandem. Consecratio in Episcopum est invalida in non habente characterem Sacerdotis: nam Episcopatus ut pote Sacerdotium perfectum, de necessitate essentiali præsupponit Sacerdotium presbyteratus.

## QUAESTIO CXXXI.

### *De institutione Sacramenti Ordinis.*

v. ordo ref.  
335. n. 3.  
Lug. 22.

**A** Cacijs March. Hoc sacramentum fuit institutum à Christo in ultima Cæna noctis, quando communicatis Apostolis dixit eis, hoc facite in meam commemorationem. Quibus verbis consecravit Apostolos in Sacerdotes, & imposuit præceptum consecrandi. Deinde post suam Resurrectionem perfecit Sacerdotium, dicens, accipite Spiritum Sanctum quorum remis-



ritis &c. Quantum ad reliquos Ordines communiter censent Doctores in eadem noctis cæna, eos fuisse institutos à Christo.

## QUAESTIO CXXXII.

### *De Ministro huius Sacramenti.*

**F**RANC. Minister huius Sacramenti est Episcopus de cuius munere est facere ministros inferiores, & collocare, atque deputare eos ad debita officia, & ministeria. Potest tamen Papa de pleni tudine potestatis facere ut Sacerdos non Episcopus conferat minores ordines. Peccant tamen grauius indignos si Episcopi promoueant ad ordines.

## QUAESTIO CXXXIII.

### *De Suscipientibus hoc Sacramentum.*

**F**RANC. In suscipientibus hoc Sacramentum requiritur intentio de necessitate Sacramenti, & status gratiæ de congruitate, & decentiâ. Requiritur etiam scientia necessaria ad singulos ordines exercendos: & pariter scientia illorum actuum, & obligationum ad quæ tenentur ex vi ordinis. In aliquo tamen ordine scilicet Lectoris, cuius est recte pronuntiare sacram scripturâ, quæ pronuntiatio de facili addisci potest, aliquis potest ordinari præsumptione probabili quod discet pronuntiare, & maxime si est in via ad hoc addiscendum.

Requiritur insuper ætas, & intellectus linguæ latinæ, sic tamen quod initiandus prima tonsura sciat legere, scribere, & rudimenta fidei. Et ultra hoc, initiandi qua-

tuor minoribus debent intelligere linguam latinam: ini-  
tiandus prima tonsura debet habere septem annos com-  
pletos. Initiandi minoribus, à septennio & ultra. Sub-  
diaconus 22. Diaconus 23. & Presbyter 25. annos in-  
ceptos debent habere.

Suscipientes sacramentum Ordinis ab Episcopis hæ-  
reticis, & præcis ab Ecclesia, peccant graviter, quia  
non obediunt Ecclesiæ prohibenti suscipi ordines à ta-  
libus ministris.

Vtens ordine suscepto, si existat in peccato mortali,  
peccat mortaliter: nam de jure naturæ est sancte sancta  
pertractare. In casu tamen necessitatis, si aliquod sa-  
crum contingerent Ordinati, vel exequerentur in eo ca-  
su in quo & laicis licet, non peccarent mortaliter: si-  
ficut si baptizaret in articulo necessitatis, vel si Corpus  
Christi interram projectum colligeret.

## QUESTIO CXXXIV.

### *De Pluralitate Ordinum.*

*in ad. ad 3.  
p. 1. 37. a. 1*  
*a. 2.* **D.** Thom. Ecclesia est Corpus Christi mysticum  
si simile corpori naturali sicut Apostolum: sed in cor-  
pore naturali sunt diversa membrorum officia. Ergo  
& in Ecclesia debent esse diversi ordines. Isti autem  
ordines sunt septem. Nam Ordinis sacramentum ad sa-  
cramentum Eucharistiæ ordinatur, quod est sacramen-  
tum sacramentorū. Et ideo distinctio Ordinis est acci-  
pienda secundum relationem ad Eucharistiam.

Quia potestas Ordinis aut est ad consecrationem Eucha-  
ristiæ ipsius, aut ad aliquod ministeriū ordinatū ad hoc  
sacramentum Eucharistiæ. Si primo modo, sic est Ordo  
Sacerdotum. Et ideo cum ordinantur accipiunt calicem

cum vino, atque etiam patenam cum pane, & cum hoc, accipiunt potestatem consecrandi corpus, & sanguinem Christi. Cooperatio autem ministrorum est, vel in ordine ad ipsum sacramentum, vel in ordine ad suscipientes. Si primo modo sic tripliciter. 1. Equum est ministerium quo minister cooperatur Sacerdoti in ipso sacramento non quantum ad consecrationem quam solus Sacerdos facit, sed quantum ad dispensationem: & hoc pertinet ad Diaconum ( qui olim sanguinem Christi populo sub utraque specie communicanti dispensabant ) 2. Est ministerium ordinatum ad materiam sacramenti ordinandam in sacris vasis ipsius sacramenti, & hoc pertinet ad subdiaconum, subdiaconi enim corporis, & sanguinis Domini vasa portant, & oblationem in altari ponunt. Et ideo accipiunt calicem de manu Episcopi sed vacuum cum ordinantur. 3. Est ministerium ordinatum ad presentandam materiam sacramenti & hoc competit Acholythis preparantibus Urceolos cum vino, & aqua, unde accipiunt urceolum vacuum.

Sed ministerium ad preparationem recipientium ordinatum non potest esse nisi super immundos, quia qui mundi sunt iam sunt ad sacramenta percipienda idonei. Triplex autem est genus immundorum sicut Dionysius. Quidam enim sunt omnino infideles credere nolentes, & hi totaliter a visione divinorum, & cetera fidelium arcedi sunt, & hoc pertinet ad Ostiarios.

Quidam autem sunt volentes credere sed non instructi scilicet cathecumeni, & ad horum instructionem ordinatur Ordo Lectorum, & ideo prima rudimenta doctrinae fidei scilicet vetus testamentum eis legendum committitur.

Quidam vero sunt fideles, & instructi sed impedimentum habentes ex demonis potestate scilicet ener-

gumeni, & ad hoc ministerium, est Ordo Exorcistarum, & omnino sic patet ratio numeri, & gradus ordinum.

Franc. Hinc habetur, primam Tonсурam, seu Coronam non esse Ordinem, & ita communiter tenent Theologi asserentes esse præambulum ad Ordinem. Quamvis Canonistæ asserant oppositum. Habetur etiam Episcopatum non esse Ordinem sumpto ordine pro sacramento: cum enim omnis Ordo ad Eucharistiæ sacramentum ordinetur, Episcopus quantum ad hoc non habet superiorem potestatem quam Sacerdos, & ideo Episcopatus non est Ordo. Si vero sumatur Episcopatus pro Officio quarundam actionum sacrarum, sic cum Episcopus habeat potestatem in actionibus Hierarchicis respectu corporis mystici supra Sacerdotem, Episcopatus erit Ordo.

### QUAESTIO CXXXV.

*Num omnes Ordines sint unum Sacramentum?*

Franc. Resp. affirmative. Nam omnes ordines, prædicti unitate integritatis, & finis constituent unum Sacramentum Ordinis: est enim eorum finis consecratio Eucharistiæ ad quam ordinantur eo modo quo in quæst. antec. dictum est.

### QUAESTIO CXXXVI.

*De Materia, & forma singulorum Ordinum.*

Franc. Primus Ordo est Ostiarij cuius materia est clavis, vel claves Ecclesiæ, aut Sacristiæ. Materia proxima clavium traditio, & acceptio. Forma, verba quæ

tunc dicit Episcopus, nempe, sic agite quasi rationem Deo reddituri pro his rebus quæ his clauibus recluduntur. Laurentius autem Roche quancunque clauem cuiuscunque ianuz esse asserit materiam huius ordinis, nã *Hic* quæcunque clavis sufficienter repræsentat Officium, Ostiarij, nempe ex officio, & authoritative aperire, & claudere Ecclesiam, fideles accipere ad Eucharistiam, respuere que infideles, & indignos, vt excommunicatos. Videtur tamen attento sensu formæ huiusmodi clauem non esse materiam.

Ad Ostiarium attinet etiam pulsare cymbala, in cuius signum traditur etiam ei cymbalum: quod tamen non est materia, sed necessarium necessitati præcepti.

Secundus gradus, vel ordo est Lectoris cuius materia est liber prophetiarũ. 3. Est Exorcistæ, huius materia, liber exorcismorum. 4. Est Acolythi, & huius materia est duplex nempe Vrecolus vini, & Vrecolus aquæ, vel vnus vrecolus vacuus, & candelabrum cum candela extincta. Et in his tribus ordinibus materia proximi est traditio, & acceptio materiæ remotæ, forma vero, verba quæ tunc profert Episcopus, & in tali traditione, & acceptione cum verbis formæ imprimatur character.

Quintus Ordo est Subdiaconi cuius materia est calix vacuus cum patena vacua super calicem posita. Traditur etiam ei liber Epistolarum cum determinatis verbis: non tamen est certum num id sit de necessitate Subdiaconatus.

Martinus Fornarius. Nam in Concil. Florentino habetur Subdiaconatum conferri per traditionem calicis *in addi ad* vacui, & patenæ vacuæ. Et idem in Conc. Carthag. *sim. Tolos.* c. 2. d. 2. 4. c. 15.

Franc. Sextus Ordo est Diaconi cuius materia est liber Evangeliorum. Et septimus est Presbyteri, cuius

materia est Calix cum vino, & patena cum pane. Et præterea confertur ei potestas absolvendi à peccatis, per manus impositionem cum hac forma. Accipe Spiritum Sanctum: quorum remisseritis, &c. vt in Pontificali. Et hæc potestas absolvendi à peccatis necessario, & essentialiter præsupponit priorem potestatem consecrandi quæ confertur Presbytero cum datur ei calix cum vino, & patena cum pane cum hac forma. Accipe potestatem offerendi sacrificium, &c.

*ibid.* Mart. Forna. Sciendum tamen quod in Concilio Carthaginensi 4. can. 3. & 4. habetur Presbyterum, & Diaconum ordinari per manus impositionem; imo hæc esse Apostolicam traditionem habetur in c. ultimo de Sacram. non iteran. Et tamen ex Conc. Floren. habemus Presbyterum esse ordinandum per traditionem calicis cum vino, & patenæ cum pane; Diaconum vero per traditionem libri Evangeliorum; cum tamen tempore Apostolorum initiarentur Diaconi solum per manuum impositionem; eo quod tunc non esset liber evangeliorum, non dum edito evangelio.

Vt igitur has difficultates evadamus, & loca hæc conciliemus fatendum nobis est in vtraque ceremonia conferri distinctam potestatem, & imprimi novum characterem, vel certe iam impressum augeri.

*h. de diacon.* Laur. Roche. In primitiva Ecclesia antequam conscripta essent evangelia, per manuum impositionem, per dispensationem Christi ordinabantur Diaconi. Vnde Act. 6. Apostoli imposuerunt manus Stephano: & alijs Diaconis.

Fran. In fine sciendum 1. Ex vtraque potestate, consecrandi nempe, & absolvendi perfici presbyteratum, seu Sacerdotium. 2. Acceptionem vel contactum materie in ordinatione esse de essentia, & necessitate Sacramenti,

menti, alias non verificaretur forma. Non est tamen necesse, vt simul sint mathematice contactus, & prolata formæ, sed vt sint simul moraliter. Et Hinc habetur, quod multi simul cum ordinantur, & Episcopus semel prolata forma in plurali, tradit deinde materiam tangendam, verum tamen non omnes simul tangunt, sed bini, vel terni, & sic deinceps alij interiecto aliquo temporis spatio, validam esse ordinationem.

Mar. Formæ. Nam moraliter materia, & forma censentur esse simul. Servanda tamen est Rubrica Pontificalis, & consuetudo vt scilicet cum traditione materię statim proferantur verba formæ ijs solum qui tangunt, & deinceps alijs eodem modo, ac ratione. ubi u. n. 5.

Franc. 3. Episcopus per se ipsum immediate debet ijs qui ordinantur materiam tangendam porrigere, vt exprimitur in Pontificali Romano, licet olim per Archidiaconum posset in quatuor minoribus ordinibus conferre materiam.

4. Quod probabilius & tutius est in ordinatione Presbyteri tangere patenam cum hostia sm vsu Ecclesię, vt in Pontificali, quam patenam solam, & non hostiam ibi contentam. Et tandem probabilius & tutius est calicem qui porrigitur subdiacono, & Presbytero in suis ordinationibus debere esse consecratum.

## QUAESTIO CXXXVII.

### *De actibus singulorum Ordinum*

FRANC. Actus Ostiarij sunt aperire, & claudere ianuas Ecclesię admittens dignos: & pulsare cymbala. Actus lectoris sunt legere Prophetias: & insuper lector superpelliceo indutus cantat epistolam cum Sacerdos

cantat missam sine Diacono, & Subdiacono. Actus Exorcistæ sunt exorcizare energumenos, eis imponere manus ad fugandum demonem per exorcismos, & adiurationes. Actus Acolythi sunt dare vasa vini, & aquæ Subdiacono, ferre candelabra cum cereis accensis in missa, dum cantatur Evangelium, quando portanda sunt (non enim semper deferuntur luminaria quando canitur evangelium) & in alijs casibus præscriptis in rubricis Missalis.

Actus Subdiaconorum sunt portare ad altare calicem, & patenam, infundere aquam in vinum quod ponitur in calice à Diacono, canere solemniter Epistolam, &c.

Actus Diaconorum sunt canere solemniter evangelium infundere vinum in calicem, ad consecrandum à Sacerdote. In casu quoque necessitatis potest Diaconus iubente Episcopo, vel Presbytero dispensare fidelibus corpus Christi. Et iterum in eodem casu, de licentia Presbyteri potest infirmis ministrare Eucharistiã. Alia quoque multa potest Diaconus, ut videre est in Missali.

Actus Presbyterorum sunt conficere corpus, & sanguinem Christi, communicare fideles, absoluerè à peccatis juxta dicta in quæstionibus sacramenti pænitentia. Plura etiam alia potest, ut videre est in missali.

## QVÆSTIO CXXXVIII.

*De obligationibus Ordinatorum & Beneficiorum.*

**F**RANC. Ordinati debent honesta indui veste, Corona scilicet, & Clericali habitu s'm morem terræ ubi degunt. Quatuor tamen minoribus ordinibus initiati non peccant mortaliter, esto Corona, & vestitu præfa-



ro non utantur, nisi in casu quo pinguis beneficij tunc  
bus alerentur.

Ordinandus sacris Ordinibus debet habere beneficiū,  
Capellaniam, Patrimonium, siue pensionem Ecclesiasti-  
cam, vt victus decens sit ei. Si autem quis sine titulo  
ordinaretur ordine sacro, ipso facto maneret suspensus,  
& peccaret mortaliter. Sufficiens autem quantitas ad  
victum, tam beneficij quam Patrimonij, necessaria  
vt quis sacris initiatur ordinibus, examinanda est ab  
Episcopo.

D. Thom. Ordo sacer dicitur hic qui habet aliquem  
actum circa rem aliquam consecratam, & sic sunt tres In ad. ad 3.  
p. 937. a 3  
ordines sacri, scilicet Sacerdotium, Diaconatus, &  
Subdiaconatus. Sacerdos enim, & Diaconus habent  
actum circa corpus Christi, & sanguinem consecratū:  
& Subdiaconus habet actum circa vasa consecrata. Et  
ideo eis continentia indicitur, vt mundi sint qui sancta  
tractant.

Fran. Quatuor ergo minores ordines, seu gradus non  
dicuntur sacri in hoc sensu, nec illi impediunt matrimo-  
nium contrahendum, vel dirimunt contractum: quod  
vtrumque, impedire scilicet, & dirimere matrimoniū  
competit ordinibus sacris. Nam ex statuto Ecclesiæ  
latine compellitur quicumque initiatur ordine sacro ser-  
vare solemne votum castitatis: quod suscipiendo volun-  
tarie dictum ordinem implicite immittit.

Tenetur etiam sacris initiatus recitare horas Canoni-  
cas ab ea hora in qua ordinatur v. g. qui ordinatur hora  
diei tertię post ortum solem, tenetur recitare tertiam,  
sextam & reliquas horas sequentes.

Remig. Communis sententia est Clericum etiam  
primæ tonsuræ habentem Beneficium Ecclesiasticum  
teneri ad recitandum officium divinum, & ad restituendum In sum tr.  
5. c. 7 §. 8.  
n. 2.

dum post primos sex menses, fructus beneficij si omittit recitare officium diuinum, vt habetur in Pij V. constitutione. Et aliqui tenent hanc constitutionem habere latitudinem, & attendendum esse ad faciendam restitutionem oneribus, atque laboribus beneficio annexis: Non enim Beneficiati fructus percipiunt solum propter recitationem officij diuini, sed etiam pro alijs oneribus, & laboribus.

Franc. Beneficiati autem qui solum tenentur ad recitandum diuinum officium, tenentur restituere omnes fructus, nempe in totum pro omissione totius officij, & in partem pro omissione partis. Hæc autem restitutio potest fieri per Bullam compositionis: dando duos argenteos in subsidium belli contra infideles: & alios duos pro fabrica Ecclesiæ in qua est beneficium. Cum autem omittunt officium iustis causis puta propter ægritudinem: non tenentur restituere. Qui autem non habent beneficium Ecclesiasticum, sed pensionem Ecclesiasticam tenentur recitare Officium B. Virginis ut habetur in Consti. Pij V.

Nomine autem Beneficij Ecclesiastici intelligitur & id quod communiter Beneficium appellatur, & quicumque redditus Ecclesiasticus qui habetur sub titulo Clericali, nimirum qui non potest nisi Clericis dari.

Et tandem. Beneficiatus cui confertur aliquod beneficium vel simplex, vel Curatum, vel quodcunque sit sub titulo Clericali, si non recitat per sex menses primos, non tenetur ad restitutionem, vt dictum est: mortaliter autem peccat, quotiescunque omittit recitationem.

## QUÆSTIO CXXXIX.

*De effectu Sacramenti ordinis.*

**A** Cæc. March. Fide Sanctum est Hoc Sacramentum conferre gratiam habitualement augentem eam quam prærequirit in suscipiente: & insuper confert peculiarem gratiam ad exercendum actum proprium ordinis suscepti, digne, & sancte.

Franc. Arg. Multi non ordinati exercent actus Ordinatorum, ut patet in minoribus ordinibus: nam non ordinati possunt aperire & claudere januas Ecclesie, quod competit Ostiarijs &c. Ergo hoc Sacramentum non causat peculiarem gratiam.


Resp. quod quando aliqui non ordinati faciunt actus Ordinatorum, non faciunt eos ex officio, & potestate, sicut faciunt Ordinati, quibus datur peculiaris gratia ad suos exercendos actus: nam cuicumque datur potentia aliqua divinitus, datur etiam ei id per quod executio illius potentie congrue possit fieri. ut ita in hoc sacramento datur peculiaris gratia ad exercendum congrue actum proprium ordinis sumpti.

## QUÆSTIO CXL.

*De impedimentis huius Sacramenti.*

**F**ranc. Impediuntur à susceptione huius Sacramenti. 1. Fæminæ. In Fæmina enim non resplendet excellentia gradus cum mulier statum subiectionis dicat. 2. Carentes usu rationis, licet aliquando propter necessitatem, & spem profectus, & idoneitatis pos-

siue promoveri ad minores ordines. 3. Servi, illegitimi, atque defectuosi, & deformes. Deficit enim alijs, status libertatis, alijs, sanguinis claritudo, alijs integritas membrorum, alijs, debita forma, & figura.



## DE SACRAMENTO MATRIMONII.

### QVAESTIO CXXI.

*Quid sit Matrimonium?*

**F**RANC. Matrimonium, secundum quod est officium, vel in officium naturæ, est coniunctio maris, & fæminæ inter legitimas personas vitam indissolubilem retinens. Et matrimonium sic acceptum, est juris naturalis: natura enim inclinatur ad conservationem speciei, quæ conservatio fit mediante matrimonio, & prole inde suscepta.

Secundum autem quod matrimonium est Sacramentum, physice definitur sic. Contractus legitimus, & sacer viri, & fæminæ factus cum verbis exprimentibus mutuum coniugalem consensum. Metaphysice autem sic. Sacramentum nouæ legis causativum gratiæ ad procreationem prolis. Vtriusque definitionis bonitas patet: nam Matrimonium in fide Christi contractum est quid sacrum, & in eo datur specialis gratia viro, & fæminæ ut congrue operentur ea quæ in matrimonio requiruntur.

Vnde in hoc Sacramento, Sacramentum tantum sunt verba mutua, siue signa, aut actus exteriores exprimentes consensum. Res, & Sacramentum. Obligatio quæ

innascitur viri ad mulierem ex talibus actibus. Et res tantum, gratia præfata ad quam dispositivè operatur ex divina institutione talis obligatio, vel nexus.

## QVÆSTIO CXLII.

### *De Materia, & forma huius Sacramenti.*

**F**RANC. Materia remota huius Sacramenti sunt corpora contrahentium matrimonium, proxima, ipsa traditio mutua cum verbis exprimentibus eam. Forma vero, ipsa verba exprimentia consensum, & acceptationem. Verba enim significant & traditionem, & acceptationem, & in priori significatione sunt materia proxima, & in secunda, sunt forma.

Et id quod dicitur de Verbis, dicitur etiam de actibus, signis, nutibus, vel etiam scriptura per procuratorem, vel epistola, cum per hæc omnia etiam manifestetur consensus, traditio, & acceptatio quæ ad matrimonium contrahendum requiritur.

Verba autem de præfenti quibus celebratur matrimonium sunt huiusmodi. Dicit Parochus. N. vis accipere N. hic præsentem in tuam legitimam vxorem juxta ritum Sanctæ Matris Ecclesiæ? respondet Sponsus. Volo. Deinde interrogat Parochus sponsam. N. vis accipere N. hic præsentem in tuum legitimum maritum juxta ritum Sanctæ Matris Ecclesiæ. Respondet. Volo. Vnde ly duplex *Volo* sensibiliter prolatus exprimens consensum utriusque contrahentis matrimonium, est materia, & forma huius Sacramenti.



## QUAESTIO CXLIII.

*De Ministro huius Sacramenti.*

**R**Emig. Minister, vel ministri huius Sacramenti sunt ipsi qui nubunt, & non Parochus qui, licet ad sit dicens ego coniungo vos in matrimonium, In nomine Patris &c. non ideo est minister sed testis qualificatus.

Franc. Requiritur igitur quod contrahentes matrimonium sint in gratiae statu, alias peccabunt mortaliter duplici peccato scilicet aliquos, altero, suscipiendo Sacramentum, & altero, ministrando id: secundum alios autem unico peccato: & hoc nobis verius videtur: nam in hoc quod est contrahere matrimonium, Sacramentum scilicet vivorum exigens ministrum esse in gratia, intelligitur susceptio, & ministratio Sacramenti: non enim hic distinguitur suscipere, & ministrare, ut per se patet, sed in unico actu contrahendi matrimonium intelligitur tam susceptio quam ministratio.

## QUAESTIO CXLIV.

*Nam carnalis commixtio sit de essentia matrimonij?*

**F**Ranc. Resp. negative. Nam operatio non est de constitutivo essentiali potentiae, sed de eius perfectione quantum ad exercitium: & ita carnalis copula tantum est de integritate & perfectione matrimonij quantum ad usum, & operationem.

*Quaest.*

## QUAESTIO CXLV.

*De institutione Matrimonij.*

**F**RANCISCUS. Matrimonium sicut quod est in officium naturæ ad procreationem prolis fuit institutum in Paradiso; & ad hoc homini Deus mulierem formavit de costa in adiutorium. Postea vero Christus Dominus elevavit matrimonium ad gradum Sacramenti in lege nova, quando dixit *Math. 19.* Quod Deus coniunxit, homo non separet.

## QUAESTIO CXLVI.

*De Matrimonio quantum ad sponsalia.*

**F**RANC. Sponsalia, quæ à spondendo sicut Isido. dicuntur, sunt futurarum nuptiarum prommissio. Fit autem hæc prommissio vel absolute, vel conditionate. Absolute, ut accipiam te in meam uxorem. Conditionate, ut accipiam te in meam uxorem si parentibus placeat & tunc stante conditione, etiam stat prommissio. Si autem conditio foret in honesta, & contraria bonis matrimonij, tunc non contrahentur sponsalia, ut accipiam te si venena sterilitatis procures. Si vero conditio inhonesta non sit contraria bonis matrimonij, tunc stat prommissio, sed tollenda est conditio, ut accipiam te si furtis meis consentias.

Est etiam conditio de utili, ut contraham tecum si dabis mihi centum: & tunc hoc non ponitur quasi ad vendendum consensum matrimonij, sed intelligitur ut prommissio dotis: & in hoc casu datur sufficiens libertas ad matrimonium.

D. Thom. Quandoque autem apponitur conditio pecuniæ per modum pænæ : & tunc quia matrimonia debent esse libera, talis conditio non stat, nec potest exigi pæna illa ab eo qui non vult matrimonium complere.

Franc. Ex prommissione autem sponsali obligatur vnus alteri ad matrimonium contrahendum, & peccat mortaliter non solvens prommissum, nisi legitimum impedimentum interueniat.

*in sup. ad  
3. p. 9. 43.  
a. 1. ad 4.*

D. Thom. Et sm hoc Ecclesia cogit iniungendo penitentiam pro peccato, tamen in foro contentioso non compellitur quia matrimonia coacta consueverunt malos exitus habere : nisi forte iuramentum intervenerit, quia tunc cogendus est, vt quidam dicunt: quamuis alijs non videatur propter causam prædictam, præcipue si de vxori cidio timeatur.

*ibid. ad 2.*

Franc. Dirimuntur autem sponsalia ipso iure cum alter spondentiam intrat religionem ( etiam ante professionem ) vel cum per verba de præsentis contrahit matrimoniũ cum alio. In alijs quoque casibus dirimuntur sm iudicium Ecclesiæ. Vt cum alter sponsus non comparet tempore statuto ad matrimoniũ contrahendum. Vel cũ gravem infirmitatem incurrit, aut notabilem deformitatem, vt abscissionem nasi, orbitatem oculorũ, leprã. Si sponsus cognovit consanguineam sponsæ, vel e contra, sic enim contrahitur affinitas, quæ si esset tempore contractus sponsalium, impediuisset contractum illum. Si mutuo se absoluant, & liberent sponsi. Si tempore sponsalium, vnus, vel uterque sponsus fornicetur.

Tandem ex defectu ætatis. Aetas autẽ contrahendi sponsalia est septennium completũ, vbi apparet vsus rationis. Cum autẽ quis ante iustam ætatem contrahit sponsalia, licet non sint talia, reuera, sed habentia me-



dum sponsaliū, si nolit ea approbare cum pervenerit ad legitimā ætatem, debet petere solutionem eorum iudicio Ecclesiæ faciendam, propter bonum exemplum.

## QUÆSTIO CXLVII.

*De consensu Matrimonij?*

**F**RANC. Consensus matrimonialis requiritur essentialiter ad hoc Sacramentum: ibi enim stat intentio sine qua non est Sacramentum. In casu autem quo adesset expressio consensus per verba de præsentī, deesset autem consensus in corde, non fieret Sacramentum, ut per se patet. Debet autem is consensus esse mutuus, si enim talis non est, non sit Sacramentum. Debet etiam esse expressus & de præsentī. Et tandem publicus coram Parocho, & testibus, & non Clandestinus.

Conci. Trid. Qui aliter quā præsentē Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarij licentia, & duobus, vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt: eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit: & eiusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos præsentī decreto, irritos facit, & annullat.

sess. 24.

refor. M

c. 1.

## QUÆSTIO CXLVIII.

*De Consensu Coactō.*

**F**RANC. Nomine consensus coacti intelligimus metum alicuius periculi propter quod vitandum voluntas quasi cogitur ad aliquod faciendum quod alias non faceret: quo pacto mercator cogitur ad projiciendas

merces in mari, ne periclitetur. Vnde cadere metum in aliquem, & metu cogi idem est.

Metus autem cadere potest in Virum constantem, & in inconstantem. Quando autem cadit in Virum constantem, procedit ex forti, & probabili æstimatione periculi imminentis: & rursus cū Constans sequatur rectā rationem, scit quid pro quo dimittendum sit, vel faciendum: semper autem minus malum, vel maius bonū est eligendum: & ideo Constans ad minus malū sustinendum cogitur metu maioris mali, non autem cogitur ad maius malum, vt vitet minus malum. Inconstans autem ex levi æstimatione cogitur: & rursus cogitur ad maius malum propter metum minoris mali, scilicet ad peccatum propter metum corporalis pænæ.

Vbi igitur est consensus coactus ex metu cadente in virum constantem, non est matrimonium, quamuis ex parte alterius esset consensus liber, & spontaneus.

## QUAESTIO CXLIX.

### *De bonis Matrimonij.*

**D.** Thom. Matrimonium est in officium naturæ, & est Sacramentum. 1. modo duobus ordinatur, sicut & quilibet alius virtutis actus, quorum vnum exigitur ex parte ipsius agentis, & hoc est intentio finis debiti, & sic ponitur bonum matrimonij, proles: aliud exigitur ex parte ipsius actus qui est bonum in genere ex hoc quod cadit supra debitam materiam, & sic est fides, per quam homo ad suam accedit, & non ad aliā. Et ulterius habet aliquam bonitatē in quantum est Sacramentum.

Franc. Quando igitur coniuges conveniunt causa

prolis pro creandæ, & reddendi debitum, vel etiã pro-  
lis procreandæ vt ordinetur in Deum, non peccant.  
Nec iterum nisi venialiter quando conveniunt delecta-  
tionis causa infra limites matrimonij, vt scilicet talis  
delectatio in non coniuge non quæreretur.

## QUAESTIO CL,

### *De impedimentis Matrimonij.*

**F**RANC. Impedimenta Matrimonij sunt duplicia. Alia  
dirimentia, & alia impediencia. Illa sunt opposita  
essentiæ matrimonij, quæ dirimunt matrimonium tam  
contractum, quam contrahendum, & continentur in  
his verbis.

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,  
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas,

Si sis affinis, si forte coire nequibis,

Si Parochi, & duplicis desit præsentia testis

Rapta ve sit mulier, nec parti reddita turæ

Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

Error est duplex Personæ, scilicet, & qualitatis eius.  
Error personæ dirimit matrimoniū, est enim contra con-  
sensum essentialiter ad matrimoniū, requisitum. Vt si  
Petrus directe consentiat in Mariam, & ea non sit, sed  
Lucia. Error vero qualitatis non tollit matrimonium,  
vt si Petrus nubat Mariæ putans eam esse divitem, &  
postea compererit eam non esse divitē, secus si error qua-  
litatis refunderetur in errorem personæ. V. g. si Petrus  
nuberet Mariæ dicens, accipio te in vxorē si es dives,  
nobilis, &c. non vero aliter, tunc si Maria talis non esset,  
nullum esset matrimonium.

Conditio de qua in præsentī loquimur est servitutis,

& dirimit matrimoniū cum quis liber nubat cū ancilla putans eam esse liberæ conditionis : secus si nubens sit servus, tunc enim est æqualis conditionis cum ancilla seu serva, quamvis putaret eam liberam esse. Et præterea servus nubens servæ existimatæ, valide nubit, quamvis ea sit libera.

Votum. Loquimur de voto solemnī continentiæ per susceptionē Ordinis sacri, & de voto solemnī emisso in professione Religionis. Vnde sacris initiatus, vel Professus in Religione nequit nubere, & nullum est matrimonium si nubat.

Salaz. Advertendum tamen, quod matrimonio rato, & non consummato Petri v. g. cum Maria, si Petrus sacris initiatur, vel profiteatur in Religione, manet libera Maria ad nubendum alteri. Si vero matrimonio consummato, sacris initiaretur, vel profiteretur in Religione, potest compelli ad cohabitandum cum Maria, & erit invalida professio.

Franc. Cognatio, seu consanguinitas est Vinculum ab eodem stipite descendentium carnali propagatione contractum. Hæc cognatio in linea recta impedit & dirimit matrimoniū vsque ad omnes gradus. Pater enim nequit nubere cum filia, nec cū huius filia, nec cū istius filia, & sic deinceps. In linea vero transversali impedit, & dirimit inter Collaterales vsque ad quartum gradum inclusive. V. g. Petrus Pauli, & Joannis Pater est stipes. Et vterque est in primo gradu inter se, quia neuter eorū distat à stipite communi nisi per vnum gradum. Deinde filius Pauli distat à Joanne in 2. gradu, quia in 2. gradu distat à communi stipite, seu radice. Deinde filius filij Pauli distat à Joanne in 3. gradu. Et tandem filius huius qui distat in 3. gradu à Joanne, distat in 4. ab eodem Joanne. Et eodem modo discurrendum in

filijs & descendētib; à Joanne respectu Pauli, ut vidē-  
dere est in hoc typo.

*Petrus Pater, seu stipite.*

Paulus	Primus gradus	Joannes
Antonius	Secundus	Martinus
Lucas	Tertius	Blasius
Augustinus	Quartus	Jacobus

Et hinc habes quod gradus consanguinitatis sumuntur à remotiori gradu. Vnde Paulus qui est in primo gradu cū stipite, non dicitur esse in primo gradu cum Jacobo sed in quarto, nam Jacobus est remotior à communi stipite. Stipes autem licet sit in primo gradu cum filijs, Paulo, scilicet, & Joanne fratribus inter se, non dicitur gradus, sed stipes.

Præterea: Antonius cum Martino, Lucas cū Blasio &c. sunt inter se in gradu positi in typo, nam in eodem gradu distant à stipite, à quo principiantur gradus, licet ipse non sit gradus, sed initium graduum, ita ut in immediate ab eo descendētib; sit primus gradus numerandus.

Et hinc etiam apparet quartum in gradu, id est eū qui est in 4. gradu posse nubere cū eo qui est in quinto gradu: nā is est extra 4. gradum, id est extra gradum impedītū, vnde cū sit alius remotior à stipite quam ille qui est in quarto gradu, potest vir existens in 5 gradu nube

re cum fæminâ quarti, tertij, secundi, & etiam primi gradus

Est etiam cognatio spiritualis quæ contrahitur ex baptismo, & Confirmatione sic. Quæ contrahitur spiritualis cognatio inter Patrinos ac baptizatum ipsum, & illius patrem, & matrem: nec non inter baptizantem, & baptizatum, baptizati que Patrem, & matrem: in Confirmatione quoque contrahitur spiritualis cognatio inter Confirmantem & Confirmatum illiusque patrem, & matrem & inter tenentem Confirmatum, huiusque Patrem, & Matrem. Vt autem Patrini seu tenentes contrahant hanc cognationem requiritur quod teneant baptizatum, vel Confirmatû, seu tangant, dum confertur eis Sacramentum. Et hæc cognatio non egreditur ad aliquem gradum, sed sistit inter ipsos qui eam contrahunt.

Cognatio quoque legalis est ex adoptione proveniens: eû quis adoptat aliû assumens eû in filiû.

Mart. Nav. Est triplex. 1. Adoptantis, & adoptati & descendentium eius, quæ nec dissolutione adoptionis, nec emancipatione tollitur. 2. Quasi transversalis, inter adoptatum, & filios naturales adoptantis durante adoptione, & filio naturali existente in potestate patris, & non alias. 3. Inter uxorem adoptati & adoptantem, & inter adoptatum, & adoptantis uxorem, quæ durat perpetuo sicut prima. Porro quælibet harum cognationum impedit, & dirimit matrimonium.

Franc. Et hæc legalis cognatio impedit, & dirimit matrimoniû usque ad quartum gradû inclusivæ, & si pes in numerandis gradibus est persona adoptans.

Crimen. Importat homicidium, & adulteriû. Unde Petrus, & Maria occidentes huius virû animo nubendi, nequeunt nubere. Nec etiam Petrus adulterans cum

Maria

Maria, & hac inscia, occidens huius vicum animo nubendi cum Maria. Nec etiã, si adulteravit cum ea, animo nubendi ei, promittens se nupturum mortuo marito Mariæ. Ad id tamen requiritur quod uterque promissionem acceptet. Nec denique cum Petrus nuptus Luciae fit concubiniarius Catalinæ, & hæc sciens Petrũ esse nuptum ne puniantur vt concubinarij, facit quod nubant, vt sic videantur esse legitimi coniuges: tunc enim, mortua Lucia, adhuc sunt inhabiles ad matrimonium.

**Cultus disparitas.** Hic prohibetur persona baptizata contrahere matrimoniũ cum non baptizata: nã hæc non est eiusdem cultus seu Religionis cum illa, & est incapax recipiendi Sacramentũ matrimonij ante susceptionem baptismi.

**Vis.** Hic intelligitur coactio, violentia, & metus, & dirimit matrimoniũ ex terminis. v. g. si Pater, vel fratres minis, prosequantur Mariam, nisi nubat Petro, Cum autem vis iuste imponitur alicui, tunc est validum matrimonium: puta cum quis periculo mortis pressus nubit concubinæ. Vel Iudex de floratorem puellæ facit nubere ei, minitans eum alias pænis tremium, carceris. Vel etiam cũ cognati puellæ capiunt huius defloratorem, & adductis Parocho & testibus faciunt nubere ei, minantes illi mortem: licet enim in hoc ultimo casu fiat vis iniuste quantum ad modũ: tamen in re est vis iuste illata, orta ex delicto defloratoris.

**Ordo.** Hic prohibetur Matrimonium Ordinati in sacris, & est nullum Matrimonium.

**Ligamen.** Hic prohibetur Matrimonium coniugati: coniugatus enim est ligatus vt viuente consorte, non possit nubere alteri.

**Honestas.** Hic ponitur impedimentum ortum ex pu-

biica honestate sponsalium, sponsus enim nequit nubere cognatis sponsæ in primo gradu, ut sponsæ Matri, filiæ, sorori. Etiam hic intelligitur impedimentum ortum ex Matrimonio rato, non consummato quod extenditur vsque ad quartum gradū, & inclusive.

Si sis affinis. Affinitas est Propinquitas Personarum orta ex carnali copula vnus cū consanguinea alterius, v. g. Petrus cognovit carnaliter sororē meam, & fit propinquus mihi affinitate. Est autem duplex affinitas, prima procedens ex copula licita, secunda, ex illicita. Illa impedit vsque ad quartum gradum inclusive: & incipit ab ipsis coniugatis qui sunt stipites. Vnde Petrus cognoscens carnaliter licite Mariam, ea mortua nequit nubere cū sorore Mariæ, quæ soror est in primo gradu consanguinitatis cum Maria, & in primo affinitatis cū Petro: deinde nec poterit Petrus nubere cū filia sororis Mariæ, & sic deinceps vsque ad quartum gradū inclusive. Et hinc infertur gradus affinitatis regulari secundum gradus consanguinitatis.

Affinitas autem orta ex copula illicita impedit usque ad secundum gradum inclusive: & hic stipites sunt ipsi illicite copulati. v. g. Petrus & Maria. Vnde Petrus nequit nubere postquam illicite carnaliter cognovit Mariam, nec cum eius Matre, sorore, nec huius filia.

Aliquando autem potest affinitas consurgere post contractū matrimoniū inter ipsos coniugatos. Vt si coniugatus cognoscat carnaliter sororem vxoris suæ. Et tunc manet privatus ad petendum debitum ab vxore, hac autem petente, tenetur dare. Infra videbitur quis possit dispensare ad petendum debitum quæst. sequenti.

Si forte coire nequibis. Hic ponitur impedimentum impotentiae: & quidem matrimonium impotentium per



rum est nullum, ut Eunuchorum, fæminarum ar-  
ctarum, quæ nullatenus aperiri valent. Si autem impe-  
dimentum coeundi sit ad tempus, est validum matrimo-  
nium: puta si quis in legitima ætate nubens, adhuc sit  
debilis ad coeundum, quæ debilitas decursu temporis  
roboratur.

In casu autem dubitationis, num impotentia tempo-  
ralis sit an perpetua? expectanda est triennis experien-  
tia ut procuretur copula, & si multoties ea procurata,  
cognoscatur impotentia, tunc pro perpetua habetur, &  
dirimit matrimonium.

Si Parochi & duplicis &c. Hic prohibentur matrimo-  
nia clandestina, sunt enim nulla ubi Conciliū Triden-  
tinum est admissum veluti in Hispania de qua re supra  
egimus in hoc lib. quæst. 147.

Raptave sit mulier. Hoc etiam impedimentum diri-  
mens matrimonium habetur in Triden. sess, 24. c, 6.  
de reform.

Lean. de SS. Sacr. Impedimenta autem solum impe-  
dientia matrimonium sunt duodecim, quinque quæ non  
confurgunt ex crimine, & his continentur versibus.

10 2. 17. 9.  
dij. 23 a. 1.

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum  
Atque Carhecismus, sponsalia, jungito votum  
Impediunt fieri: permittunt facta teneri.

Septem vero quæ ortum habent ex crimine, & hæc sunt  
sequentia.

Incestus, raptus sponsatæ, mors mulieris  
Susceptus propriæ sobolis, mors presbyteralis  
Vel si pæniteat solemniter, aut monialem

Accipiat, prohibent hæc coniugium sociandum.

Hæc igitur duodecim matrimonij impedimenta non  
dirimunt matrimonium factum, solum impediunt lici-  
te fieri.

In sum. tr.  
s. c. 8. s. 19  
c. 22.

Remig. Ecclesiæ vetitum. Intelligitur interdictum  
Episcopi prohibentis nuptias propter aliquam causam.  
Et peccat mortaliter, incurrit que excommunicationē,  
contrarium faciens.

Vbi sup. s.  
2. q. 1.

Lean. de SS. Sacr. Tempus feriatū. Intelligitur tem-  
pus ab Adventu vsque ad diem Epiphaniæ: & à die ci-  
nerū vique ad octavam Resurrectionis inclusive. Quod  
autem hoc tempore prohibetur non est MATRIMONIUM,  
sed solemnitas quæ in benedictionibus nuptialibus in  
traductione sponsæ in domum sponsi cum apparatu con-  
sistunt.

Vbi sup.

Remig. Est tamen valde probabile quod celebrare  
nuptias cessante scandalo, vel contemptu, non est plus-  
quam veniale peccatum, & non peccare graviter cele-  
brantes connubia sine magna pompa, apparatu que so-  
lemni cum ostentatione: & quod in prædicto tempore  
solum prohibentur nuptiæ solemnes: quod quidem sic  
est in usu.

Quia tamen plerique consummant MATRIMONIUM ante  
susceptionē benedictionum nuptialium: sciendū im gra-  
ves Doctores quod non interveniente formali contēptu  
in non receptione nuptialium benedictionum, vel in  
consummando MATRIMONIO ante earum receptionē, non  
est plusquam veniale peccatum: nisi forte in aliqua  
Diecepsi prohibeatur cohabitatio ante earū susceptionē:  
tunc enim erit peccatū mortale.

Ibid. s. 3.  
q. 1.

Leand. de SS. Sacr. Cathecismus, est instructio fidei  
quæ fit solemniter ante januā Ecclesiæ super baptizan-  
do, vel jã domi baptizato. Hoc tamen impedimentū,  
probabilius est, prorsus esse sublatū per Tridentinū.  
sess. 24. c. 2.

q. 42

Franc. Sponsalia. Dictū est supra contrahentē spon-  
salia cū vna, debere stare sponsioni: si tamen non iter,

peccat, vâlidum tamen est matrimonium cum alia persona contractû. **Votum simplex scilicet Castitatis, vel Religionis. Incestus.** Cum consanguinea çoniugis in gradibus prohibitis.

**Joan. Henriquez.** Quare coniux carnaliter cognoscens consanguineam vxoris suæ, mortua vxore, nequit nubere ei cum qua commisit incestum, nec alij cui cunque: & pariter ipsa fæmina incestuosa manet ad nubendû impedita. sess. 25. q. 3.  
n. 37.

**Franc. Raptus Alienæ scilicet sponsæ:** vnde qui alienû matrimonium perturbare ausus est jure privatur proprii contrahendi tã cum rapta quã alia quacunque. **Mors mulieris.** Id est occissor propriæ vxoris impeditur nubere alteri, quando vxoriçidiû fit ex ira: nã si fiat eo modo quo supra in impedimento criminis dictum est tunc est impedimentum dirimens.

**Susceptus propriæ sobolis,** cum quis scilicet in fraudẽ matrimonij sit propriæ sobolis **Patrinus** in baptismo, vel **Confirmatione**, vt ita non possit exigere debitû ab vxore, tenetur reddere.

**Mors presbyteri.** Per se patet. Vel si pæniteat solemniter. Id est cum quis publice pænitet propter delictû: peracta autem pænitentia, conceditur matrimonium. **Aut Monialem accipiat.** Id est contrahens matrimonium cum Moniali professa, impeditur ad nubendum alteri.

In fine sciendum. Quod contrahens matrimonium cû aliquo impedimento tã dirimenti quam impediendi peccat mortaliter: & quidem de contrahente cû impedimento dirimenti non est dubium. De contrahente cum impediendi idem dicendum, cum faciat præceptum Ecclesiæ in re gravi. Quamvis sit, non esse mortale, contrahere matrimonium cû im-

edi-  
e autẽ  
contra  
probabile  
onium cû im-

pedimento impediendi, sine dispensatione excepto impedimento voti, sponsalium, & Ecclesię vetiti. Vid. Remig. in sum. tr. 5, c. 8. §. 19. n. 2.

## QUAESTIO CLI.

*De dispensatione impedimentorum Matrimonij.*

**F**RANC. Dispensatio in impedimentis Matrimonij attinet ad summū Pontificem, sic tamen quod in impedimentis dirimentibus matrimonium jure divino, vel naturali nequit Pontifex summus dispensare. Hæc autē impedimenta sunt. Error personæ Votum solemne professionis Religionis in sensu composito matrimonij, secus si Papa absolvat Professum à suo voto solemni. Cognatio in tota linea recta, & in primo gradu transversali. Metus cadens in virum contractum, ligamen, & impotentia. In reliquis autem impedimentis dirimentibus quæ sunt Juris Ecclesiastici potest dispensare Papa: nā Papa habet potestatem supra jus humanum.

no. 2. tr. 9. dis. 24. q. 7 **Lean. de SS. Sacr.** Potest etiam Episcopus (post contractum matrimonium) in casu magnæ necessitatis dispensare in impedimentis dirimentibus in quibus potest Papa, concurrentibus tamen his conditionibus 1. Quod impedimentū sit occultum. 2. Quod matrimonium sit contractum bona fide, saltē alterius ex contrahentibus. 3. Quod separatio coniugum fieri non possit absque magna famæ jactura, aut scandalo, aut alio graui inconvenienti. 4. Quod non sit facilis aditus ad Papam, vel ad alium habentem priuilegium dispensandi, ob inopiā contrahentium, seu ob aliā causā; aut si aditus sit, quod dispensatio differri nequeat ob vrgens periculum incontinentiæ, aut alterius damni secuturi, si impedi-

dimentum publicaretur: veluti si impedimentum se teneret ex parte fæminæ, & esset affinitas ex copula illicita cum consanguineo mariti ante matrimoniū.

Ratio autem est, quia id fieri ab Episcopis, in dictis casibus Romano Pontifici est notum; & nihilominus tacet. Ergo id approbare præsumendū est.

Immo & ante contractum matrimonium potest Episcopus dispensare in impedimentis dirimentibus in casu urgentis necessitatis: ut si quis morti proximus ad legitimandos filios, vel restaurandum honorē, vel pro bono pacis &c. deberet cito contrahere, & obstarct impedimentum dirimens. Quia etiam in isto casu præsumitur habere Episcopum facultatē à summo Pontifice: cum revera id ei concessisset, si de eo requisitus esset ob animarum salutē.

Commissarius etiā Bullæ Cruciatæ dispensare potest in impedimento affinitatis ex copula fornicaria in primo, vel secundo gradu ortæ: & hoc pro solo foro conscientiæ, & concurrentibus his 4. conditionibus. 1. Ut illud impedimentum consurgat ex matrimonio jam contracto. 2. Ut sit occultum. 3. Ut matrimonium contractum fuerit bona fide saltē ex parte alterius contrahentis. 4. Ut Commissarius prius detegat alteri Coniugi nullitatē matrimonij, ut iterum valide contrahant.

Franc. Circa dispensationē impedimentoꝝ non dirimentium, potest Episcopus in omnibus illis dispensare, exceptis impedimentis provenientibus ex voto castitatis, Religionis, & ex sponsalibus contractis. In calu tamen magnæ necessitatis poterit dispensare in votis Religionis, & castitatis perpetuæ, ut quando magnum in continentia periculum imminet, gravis scandali, vel magni dampni tertiæ personæ, & non sit facilis aditus ad Papam, aut si est, est periculum in mora. Habet

enim in his casibus Episcopus facultatem præsumptam. Si tamen sit alius habens facultatem ad id ex Papa, ut Nuntius, & sit recursus ad hunc, non poterit dispensare Episcopus.

## QUESTIO CLII.

*De causis dispensandi in impedimentis Matrimonij.*

**F**RANC. Causæ principiales propter quas solet fieri dispensatio in impedimentis matrimonij, sunt sex. 1. Defectus dotis competentis ad repertiendum virum competentem extra propinquos. 2. Bonum pacis inter consanguineos sublati litibus grauibus in quibus pericula imminent scandali, discordiæ & huiusmodi. 3. Merita petentium dispensationem, erga Ecclesiam. 4. Paucitas oppidanorum qui fere omnes sunt propinqui, & non est facile reperire coniugem competentem extra propinquos. 5. Conservatio illustris familiæ, & magnarum opum intra eandem generationem. 6. Paupertas contrahentium, supposita copula fornicaria, unde vir nequit faminam dotare, ut nubat alteri, nec femina difamata inveniet cui nubat.

Si autem plures causæ simul concurrant, tanto facilius obtinebitur dispensatio.

## QUAESTIO CLIII.

*De debito Coniugali.*

**F**RANC. Debitum conjugale est, obligatio coniugum ad commixtionem carnalem: tum contra concupiscentiam infestantem tum ad generationem prolis. Hæc autem obligatio

obligatio cū sit sine præiudicio conservationis individuū, non obligat nisi salva consentientia, & incolumitate personæ, & observatis alijs conditionibus rationabilibus: quibus omnibus concurrentibus, peccabit mortaliter coniux coniugi petenti non reddens debitum: rā faciet contra obligationē matrimonij in quo mutuā corporum traditionem fecerunt.

Circumstantiæ autē rationabiles pensantur potissime ex tempore & loco: non enim omni tempore tenetur coniux reddere debitū coniugi petenti, puta cum femina est proxima partui, & imminet periculum mortis prolis. Pariter salvanda est debita honestas in ordine ad locum: non enim in publico, vt in platea, reddendū est debitum.

Circa petitionē debiti est sciendum quod multoties possunt coniuges impediti esse. 1. Si vir carnaliter cogovit consanguineam vxoris intra secundū gradū. 2. Si habens votum simplex castitatis nubat. Si tamen vxor petat: vterque tenetur reddere debitum.

Potest Episcopus dispensare in primo casu, vt vir petat debitum. Et etiam in secundo. Et quidem in 1. Siue pateat aditus ad superiorē siue non: nam consuetudine iam id acquisierunt Episcopi, & sic faciunt in praxi. In secundo autem casu puto eos non posse, si adsit aditus ad superiorem vel ad alium potentem ex privilegio dispensare: quamvis oppositum sit valde probabile.

Regulares quoque Confessarij approbati ab Ordinario ex commissionem suorum Provincialium possunt dispensare in vtroque casu ad petendum debitum, vt late probat Leander de SS. Sacr. tom. 2. tr. 9. disp. 24. q. 16. & 19.

Rogabis. Num. contrahens Matrimonium cum voto simplici Religionis possit petere debitum? R. sp. affir.

mative : nam is absolute non vouit seruare castitatem, sed post ingressum Religionis.

## QVAESTIO CLIV.

*De dissolutione Matrimonij.*

**F**RANC. Dissoluitur Matrimonium 1. Ob mortē coniugis, & tunc alter coniux manet liber vt cui velit, nubat. Nisi coniux viuens ligatus impedimento voti castitatis simplicis, vel Religionis, simplicis etiam prius contraxerit: tenetur enim tunc adimplere sua vota.

2. Quando Matrimonium non Sacramentum fuit inter infideles contractum, tunc enim si alter coniux suscipiat fidem, & alter nolit cohabitare sine contumelia fidei, dissolvitur quantum ad vinculum, & thorum.

*In prompt.*  
*c. 15. n. 2.* Remig. Quando autem duo infideles coniugati suscipiunt fidem, non est necesse revalidare Matrimonium sed præstare mutuum consensum novum ad percipiendum fructū Sacramenti matrimonij.

FRANC. 3. Cum quis ante consummationem matrimonij obtinet dispensationem a Papa separandi à matrimonio: vel etiam si ingrediatur Religionem & in ea professionem solemnem emittat, ante consummationem matrimonij. Si enim matrimonium est consummatum, non potest ingredi Religionem, nisi de consensu alterius coniugis, & tunc dissolvitur Matrimonium quoad thorum non quoad vinculum.

4. Potest etiam dissolvi Matrimonium quoad thorum, & cohabitationem ratione adulterij mariti, aut



vxoris: ratione rigidioris, & asperioris conditionis mariti nimis duri. Ratione quoque periculi vitæ, & animæ.

## QUAESTIO CLV.

*De denuntiationibus Matrimonij contrahendi.*

**R**ituale Romanum. Antequam Matrimonium contrahatur ter à Proprio contrahentium Parocho continuis diebus festis in Ecclesia intra Missarum solemnia ad Concilij Tridentini præscriptum publice denuntietur inter quos sit contrahendum. Si vero vir, & mulier Parochiæ sint diversæ in vtraque Parochia fiant denuntiationes quibus factis si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonij procedatur. Sed si quid obstat, ultra Parochus non procedat.

Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, vel alia rationabilis causa sublit, arbitrio Episcopi, matrimonium malitiose impediti posse, si tot præcesserint denuntiationes; tunc de licentia Ordinarij vel vna tantum fiat denuntiatio, vel saltem Parocho, duobus vel tribus testibus præsentibus Matrimonium celebretur. Deinde ante illius consumationem denuntiationes in Ecclesia fiant; si aliqua subsunt impedimenta facilius detegant, nisi aliter Ordinarius ipse expedire iudicaverit.

Franc. Quandoque etiam Parochus sine denuntiationibus poterit adesse celebrationi Matrimonij. puta cum concubinaris in periculo mortis vult nubere concubinæ ad huius favorem, & liberorum legitimatio-

nem: & recursus ad superiorem sit difficilis: si tamen liberatus fuerit concubinarius à periculo, ante consummationem Matrimonij præmittendæ sunt denuntiationes. Potest etiam, quando malitiose Tutores nolunt pupillum nubere.

Et hæc de Sacramento  
Matrimonij.





# CATHALOGUS

PROPOSITIONUM DAMNATARUM  
à SS. Domino N. Papa Innocentio XI.  
cum impugnationibus nonnulla-  
rum ex eis.

*Feria v. Die 13. Martij. 1679.*

**I**N Generali Congregatione S. Romanæ, Univer-  
salis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico  
Vaticano, coram SS. D. N. Innocentio Divina  
providentia Papa XI. Ac Eminentissimis, & RR. Do-  
minis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christia-  
na contra hæreticam pravitatem, Generalibus Inquisi-  
toribus, à S. Sede Apostolica deputatis.

Sacratissimus D. N. Innocentius Papa XI. prædictus,  
ovium sibi à Deo traditarum saluti sedulo incumbens,  
& salubre opus in segregandis noxijs doctrinarum pas-  
cus ab innoxijs à fel. record. Alexandro VII. Præde-  
cessore suo inchoatum, prosequi volens: plurimas pro-  
positiones partim ex diversis, vel libris, vel thesibus, seu  
scriptis excerptas, & partim noviter adinventas, Theolo-  
gorum plurimorum examini, & deinde Eminentissimis,  
& RR. Dominis Cardinalibus contra hæreticam pravi-  
tam Generalibus Inquisitoribus subiecit. Quibus pro-  
positionibus sedulo, & accurate discussis, eorundem  
Eminentissimorum Cardinalium, & Theologorum vo-

tis per Sanctitatem suam auditis. Idem SS. D. N. re-  
 postea mature considerata, statuit, & decrevit pro nunc,  
 sequentes propositiones, & vnamquaque ipsarum, si-  
 cut jacent, vt minimum tanquam scandalosas, & in  
 praxi perniciosas, esse damnandas, & prohibendas, si-  
 cuti eas damnat, & prohibet. Non intendens tamen  
 Sanctitas sua per hoc decretum alias propositiones in  
 ipso non expressas, & sanctitati suæ quomodolibet,  
 & ex quacunque parte exhibitas, vel exhibendas, vlla  
 tenus approbare.

Prima propositio. Non est illicitum in Sacramentis  
 conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sa-  
 cramenti, relicta tutiore: nisi id vetet lex, conventio,  
 aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia  
 probabilis tantum vtendum non est in collatione Baptis-  
 mi, & Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

2. Probabiliter existimo, Judicem posse judicare  
 juxta opinionem etiam minus probabilem.

3. Generatim, dum probabilitate siue intrinseca, siue  
 extrinseca quantumvis tenui, modo à probabilitatis fi-  
 nibus non exeat, confisi aliquid agimus, semper pru-  
 denter agimus.

4. Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens  
 ductus opinione minus probabili.

5. An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei se-  
 mel tantum in vita elliceret? condemnare non aude-  
 mus.

6. Probabile est, ne singulis quidem rigoroze quin-  
 quenijs per se obligare præceptum charitatis erga  
 Deum.

7. Tunc solum obligat, quando tenemur justifica-  
 ri, & non habemus aliam viam qua justificari possu-  
 mus.

8. Comedere, & bibere vsque ad satietatem, ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini: quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.

9. Opus coniugij ob solam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

11. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

12. Vix in Sæcularibus inuenies, etiam in Regibus superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam quando tenetur tantum ex superfluo statui.

13. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicuius tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare; non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem vt malum Patris, sed vt bonum cupientis: quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.

15. Licitum est filio gaudere de parricidio parentis à se in ebrietate perpetrato: propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.

16. Fides non censetur cadere sub præcepto speciali, & secundum se.

17. Satis est actum fidei semel in vita elicere.

18. Si à Potestate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri: vt Deo, & fidei gloriosum consulo, tacere, vt peccaminosum per se non damno.

19. Voluntas non potest efficere, vt assensus fidei in se ipso sit magis firmus quum mereatur pondus rationi ad assensum impellentium.

20. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum quem habebat supernaturalem.

21. Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis: imo cum formidine qua quis formidat ne non sit locutus Deus.

22. Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medijs non autem explicita remuneratoris.

23. Fides late dicta ex testimonio creaturarum, simili ve motivo, ad justificationem sufficit.

24. Vocare Deum in testem mendacij levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit Deus, aut possit damnare hominem.

25. Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, siue res sit levis, siue grauis.

26. Siquis vel solus, vel coram alijs, siue interrogatus, siue propria sponte, siue recreationis causa, siue quocunque alio sine juret se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est periurus.

27. Causa justa utendi his amphibologijs est quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet aliū virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.

28. Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de Mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Urgens metus grauis est causa justa Sacramentorū administrationem simulandi,

30. Fas est viro honorato occidere invasorem qui nititur calumpniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem dicendum si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel icum fustis fugiat.

31. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

32. Non solum licitum est defendere defensione occisiva quæ actu possidemus: sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.

33. Licitum est tam heredi quam legatario contra iniuste impediens, ne vel hæreditas habeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere: sicut & jus habenti in Cathedrali, vel Præbendam, contra earum possessionem iniuste impediens.

34. Licet procurare abortum ante animationem foetus ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

35. Videtur probabile omnem fatum quandiu in utero est carere anima rationali; & tunc primum incipere eam habere cum paritur, ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.

36. Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

37. Famuli, & famulae domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam quam maiorem iudicant salario quod recipiunt.

38. Non tenetur quis sub pæna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furtiva, quantuncunque sit magna summa totalis.

39. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40. **Contractus Mohatra licitus est etiã respectu eiusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri.**

41. **Cum numerata pecunia pretiosior sit numerandã, & nullus sit qui non maioris faciat pecuniam præsentẽ quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem à mutuario exigere, & eo titulo ab usura excusari.**

42. **Usura non est dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum si exigatur tanquã ex iustitia debitum.**

43. **Quid ni non nisi veniale sit detrahentis authoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?**

44. **Probabile est non peccare mortaliter qui imponit fallum crimen alicui, vt suam iustitiam, & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix vlla erit opinio probabilis in Theologia.**

45. **Dare temporale pro spirituali non est simonia quando temporale non datur tanquam pretium sed dum taxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale; ve etiam quando temporale fit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra.**

46. **Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; imo si sit finis rei spiritualis, sic vt illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.**

47. **Cum dixit Conc. Tridentinum: eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui ni si quos digniores, & Ecclesiæ magis vtilis ipsi iudicaverint, ad Ecclesias promovent. Concilium, vel primo videtur per hoc, digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum sumpto Comparativo pro Positivo. Vel secundo, locutione minus propria, ponit digniores: vt excludat indignos, non vero dignos. Vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.**



48. Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam inuolvere malitiam, & solum esse malam, quia interdictam, vt contrarium omnino rationi dissonum videatur.

49. Mollities iure nature prohibita non est: Vnde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.

50. Copula cum coniugata, consentiente marito, non est adulterium, adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.

51. Famulus qui submissis humeris scienter adiuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandum virginem, & multoties eidem deservit deserendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile operando: non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne à Domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

52. Præceptum servandi festa, non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.

53. Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui duas eius partes, imo quatuor simul à diversis celebrantibus audit.

54. Qui non potest recitare matutinum, & laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia maior pars trahit ad se, minorem.

55. Præcepto Communionis annuæ satisficit per sacrilegam Domini manducationem.

56. Frequens confessio, & communio etiam in his qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.

57. Probabile est sufficere attritionem naturalem modo honestam.

58. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicuius consuetudinem.

59. Licet sacramentaliter absolvere dimidiatè tantum confessos, ratione magni concursus Pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicuius festivitatis, vel Indulgentiæ.

60. Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, & si emmendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, & proponere emmendationem.

61. Potest aliquando absolvi qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quinnimo directe, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

62. Proxima occasio peccandi non est fugienda quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrat.

63. Licitum est quætere directe occasionem proximam peccandi, pro bono spirituali vel temporali nostro, aut proximi.

64. Absolutionis capax est homo quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiam si per negligentiam etiam culpabilem, nesciat mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis D. N. Jesu Christi.

65. Sufficit illi mysteria semel credidisse.

Quicumque autem cuiusvis conditionis, status, & dignitatis illas, vel illarum aliquam coniunctim, vel divisim defenderit, vel ediderit, vel de eis disputative publice, aut privatim tractaverit vel prædicaverit, nisi forsam impugnando: ipso facto incidat in excommunicationem latæ sententiæ, à quo non possit, præterquam in articulo mortis ab alio quocunque etiam dignitate fulgente, nisi pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

Insuper districto in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub interminatione divini iudicii prohibet omnibus Christi fidelibus cuiuscunque conditionis dignitatis, & status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant &c.

*Impugnatioes.*

**I**mpugnantur generaliter hæ propositiones ex reprobatione earum facta à SS. D. Papa post examen earum, & sedulam atque accuratam discussionem à Theologis, & Eminentissimis Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus. Quis enim inficiabitur Doctissimis, Gravissimis que Viris occurrere difficultates quæ nunc nonnullis occurrunt? Atqui hi gravissimi Viri superarunt has difficultates: & SS. D. Papa eorum votis auditis, & re postea mature considerata damnavit præfatas propositiones. Ergo sunt perniciosæ, scandalosæ &c.

Deinde in particulari impugnatur prima propositio. Nam qui viam tutam relinquit, periculo se exponit: In sacramentis autem conficiendis vitandum est periculum irreverentiæ & nullitatis eorum. Et ad hoc vitandum Ecclesia in praxi in Extrema Unctione præcipit quod si sacerdos dubitet num vivat infirmus quem ungit: prosequatur Unctionem, pronuntians formam conditionate. *Si vivis, &c.* Et iterum, ne homo careat sacramento, vel subit periculo carendi eo: in baptismo præcipit quod si infans aliquod membrum (excipere caput) emisserit ex utero Matris indicans motum vitalem, & adsit periculum, baptizetur, & postea si natus vixerit sub conditione bautizetur. *Si non es baptizatus, Ego te baptizo in nom. &c.* Quare in conferendis sacra-

mentis illicitum est sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore; etiam nū non vetet lex, coventio &c. Nunquam enim hæc prima propositio damnata vitat pericula præfata.

Vnde in casibus prudentium dubitationum, vitantur pericula, conferendo sacramenta sub conditione, appositae ea ubi debet apponi: & sic tute, & se cure servatur sacramentis reverentia, & subiectis sacramentorum nullum fit damnum.

Impugnatur. Propositio 25. fiste jurare sine animo jurandi, est adducere Deum in testem fiste: sed sic adducere est malum, sicut fiste dicere verba Dei ad conficienda sacramenta sine intentione conficiendi. Ergo illicitum, & mortale peccatum est, jurare suo animo jurandi.

Impugnantur Propositiones 26. & 27. Nunquā licet fallere proximum: sed per juramenta amphybologica, ex intentione jurantis fallitur proximus: Erg. Prob. min. Amphybologice jurans cum restrictione mentali, intendit dolosa evasione aliud quam illud quod interrogans intendit: is enim veritatem scire intendit: ille vero veritatem non ei aperire, sed præparare mendacium; & dicere, vt id pro vero habeatur, & credatur: Ergo ex intentione sic amphybologice iurans fallit proximum. Ergo irreverenter, vane, & dolose adducit Deū in testem, & consequenter illicite, & peccaminose.

Sed insurgunt dubia: quid faciendum sit in casu v. g. quo quis exigit pecunias mutuatas, & ille a quo exiguntur, non vult dare, non tamen audet dicere, se nolle dare. Quid item, cum Maritus suspicionibus agitur in cubiculo secreto, & clauso, stricto gladio interrogat uxorem, num commiserit adulterium, & exigit ab ea juramentum. Quid cum aliquid sub secreto naturali,

vel sub sigillo confessionis scitum, exigitur à sciente vt pandat, iuret, alias minaciter mortis pœna ei indicitur?

Resp. in 1. casu, quod absque vlllo juramento, prudentibus rationibus procuret se excusare sine tamen mendacio. Et quidem non est is casus adeo difficilis, vt non occurrant evasiones sine recurſu ad mentalem restrictionem, & juramentum amphybologicum.

In 2. casu, si mulier commisit adulterium, poterit Marito dicere, ne sic exigat juramentum sed secundum juris ordinem, si tamen maritus terribiliter irascatur, & velit eam occidere, procuret se defendere tenendo eum, & vocibus clamando, non tamen juret amphybologice. Et sane ad multos casus hominum furentium, & insanorum, non datur recurſus nisi ad implorationem auxiliij divini. Vt videre est in Sussanna Dan. 13. Et Lucretiæ Romanæ casus, egregie verſatur apud Augu. de Civit. Deil. 1. c. 19.

Quare in casibus tantæ angustię, inuocetur Deus, non vero dolis illicitis juramentis que amphybologicis vita tuenda est. Nam si peccatum non per peccatum declinari debet, vt egregie probat Augustinus vbi nuper c. 25. Ergo nec aliquid aliud. Et in casu nostro dicit Isidorus. Quacunque arte verborum quis juret Deus tamen qui conscientię testis est, ita accipit, sicut cui juratur, intelligit. Quando autem fit juramentum amphybologicum, sic jurans non intelligit, sicut ille cui juratur: Ergo non intelligit secundum quod Deus intelligit, & consequenter in vanum, nomen Dei assumit, & fit reus amphybologice jurans.

In 3. casu licite poterit manifestari secretum, non enim cum dispendio vitæ obligat secretum naturale. In 4. vero, licite poterit Confessarius jurare absque vlla restrictione, se nescire id de quo interrogatur: nes

cit enim vt homo illud, quod scit per confessionem: & non potest interrogari nisi vt homo: & per hæc manent impugnata restrictio mentis, & iuramentum amphybologicum.

Circa impugnationem reliquarum propositionum videantur RR. ac sapientissimus Mag. Raymundus Lumbier Carmelitanus, Primarius Cæsar Augustanus Notissimus fama omnigenæ litteratura in Hispania, & extra. Et RR. P. Martinus de Torrecilla Capueccius pari eruditione conspicuus. Nam ego solum hæc, de quibus sum interrogatus propositiones impugnare decrevi.

Nec licet aliter quam impugnando de his propositionibus disputative tractare vt constat ex his quæ in fine earum summus Pontifex subdit: nec animus est adhuc abs disputatione de eis agere quærendo evasiones, aut interpretationes inutiles, deservientes ad conscientias laxandas, non ad cæli januas latiores efficiendas vti optime Egregium nostri Ordinis Magistrum Salmanticæ concionantem audiui. Nec tandem eas interpretatione indigere putamus: patet enim clarissime earum improbabilitas, nec obscure sed aperte traduntur vt omnibus innotescant earum tenor, & sensus. Et hinc enervatur cuiusdam Doctissimi Viri, ex pluribus vna ratio probans has propositiones posse interpretari à paritate Sacræ Scripturæ quæ esto maioris ponderis, interpretabilis est: Ergo etiam hæc propositiones interpretabiles sunt. Respondeo enim Sacram Scripturam mira arte, & dispositione traditam sub varijs figuris, tropis, & velaminibus: & Deum Authorem huius Scripturæ sub littera, & figuris posuisse abscondita quæ latenda erant: tum ad exercitium studiosorum: tum, contra irrisiones Infidelium de quibus dicitur Math. 7. Nolite Sanctum dare canibus. Quæ autem necessaria sunt fidei iam ali-

cubi

655

cubi per litteralem clarum sensum manifeste tradit. Et  
Ulterius. Providet Deus Ecclesiae dando Doctores, &  
interpretes ad explicanda ea quae ut interpretarentur,  
tradita sunt.

Istae autem damnatae propositiones non sunt traditae  
obscure, & velate, sed clare ut facile appareant omni-  
bus, & harum pernicies, & animus SS. Domini Papae  
povium sibi creditarum saluti incumbentis. Quare pre-  
dictam interpretandi rationem haud necessariam  
putamus: sicut & alias clarissimorum ver-  
borum interpretationes, quae viden-  
ter conclusionum definitionum,  
& interpretationum inter-  
pretationes: quod est  
procedere in in-  
finitum.

*Sub Corr. Almae Rom. Ecclesiae.*

Fr. FRANC. DE ALCHACOA



... in ...  
...  
...

...  
...  
...  
...  
...

...  
...  
...  
...  
...

H. RANC. DE ALCHACOA





# INDEX QUÆSTIONUM

- L**iber primus. quæstio 1. Quid sit Decalogus? *Fol. 1.*
- Q.** 2. Num præcepta Decalogi convenienter numerentur? *Ibidem.*
- Q.** 3. Num pertineant ad legem naturæ? 4.
- Q.** 4. Num sint dispensabilia? 5.
- Q.** 5. Num obligent sub mortali? 9.
- De primo præcepto Decal. q. 6. Nū bene tradatur? *Ib.*
- Q.** 7. Quid sit superstitiosus? 10.
- Q.** 8. quotuplex sit? 11.
- Q.** 9. Num in cultu veri Dei possit esse aliquid perniciosum. *Ib.*
- Q.** 10. Num in cultu veri Dei possit esse aliquid superfluum? 13.
- Q.** 11. De Idololatria. 14.
- Q.** 12. Num Idololatria sit peccatum? 15.
- Q.** 13. Num Divinatio sit peccatum? 18.
- Q.** 14. Num Divinatio sit species superstitionis? 20.
- Q.** 15. Num sint plures divinationis species? 21.
- Q.** 16. De pacto Divinatoris cum Demone. 25.
- Q.** 17. De divinatione per invocationem dæmonis. 27.
- Q.** 18. De divinatione per astra. 28.
- Q.** 19. De divinatione per somnia. 31.
- Q.** 20. De divinatione per auguria, omina. &c. 33

- Q. 21. De diuinatione per Sortes. 35.
- Q. 22. De Magia, seu vana observantia. 41.
- Q. 23. Num Magia sit superstitiosa? 45.
- Q. 24. De Maleficio Venefico. 47.
- Q. 25. De Non nullis alijs superstitionibus. 49.
- De secundo præcepto. Q. 26. Num bene tradatur? 50.
- Q. 27. Quid sit Iuramentum? 1b.
- Q. 28. Quotuplex sit? 52.
- Q. 29. Num habeat vim obligandi? 55.
- Q. 30. De iuramenti dispensatione, commutat. &c. 63.
- Q. 31. De iuramento in utilitatem Tertij facto. 68.
- Q. 32. De modis jurandi. 66.
- Q. 33. Num omnia iuramenta sint eiusdem speciei? 70.
- Q. 34. De Cōfessario circa jurantes ex consuetudine. 71.
- Q. 35. Num iuramentum impediatur per conditionem personæ, vel temporis? 72.
- De Voto. Q. 36. Quid sit votum? 73.
- Q. 37. Quotuplex sit? 76.
- Q. 38. Num obliget ad sui observationem? 77.
- Q. 39. De Voto vi, vel metu, facto. 84.
- Q. 40. Num subditi possint vovere? 88.
- Q. 41. Num pueri possint se obligari ad Religionis votum? 90.
- Q. 42. De Votis dubijs. 93.
- Q. 43. Num hæredes teneantur adimplere vota Testatorum? 1b.
- Q. 44. De voti dispensatione. 95.
- Q. 45. Nū votū solemne continentia, sit dispensabile? 98.
- Q. 46. De causis dispensandi in voto. 99.
- Q. 47. De Commutatione, & irritatione Votorū. 100.
- Q. 48. De Blasphemia. 104.
- Q. 49. De maledictione. 105.

- De tertio Præcepto Q. 50. Num bene tradatur? 107.  
 Q. 51. De causis excusandi ab auditione Missæ. 108.  
 Q. 52. De operibus prohibitis in festis. 115.  
 Q. 53. De operibus non servilibus prohibitis in festis. 132.  
 De quarto Præcepto Decalogi. Q. 54. Num bene tradatur? 136.  
 De quinto Præcepto. Q. 55. Num bene tradatur? 139.  
 Q. 56. Num liceat occidere peccatores? 140.  
 Q. 57. Quibus competat occidere malefactores? 141.  
 Q. 58. Num liceat occidere semetipsum, optare sibi mortem? 142.  
 Q. 59. Num liceat innocentem occidere? 147.  
 Q. 60. Num liceat alium occidere, se defendendo? 149.  
 Q. 61. Num liceat occidere pro defensione rerum temporalium? 151.  
 Q. 62. Num pro defensione rerum proximi? 152.  
 Q. 63. Num liceat optare in vitam alicui? 153.  
 Q. 64. Quotuplex fit homicidium? 16.  
 Q. 65. De poenis homicidarum. 156.  
 Q. 66. De homicidio per abortum. 157.  
 De Bello q. 67. Num sit licitum? 160.  
 Q. 68. Num in bello liceant insidiæ? 161.  
 Q. 69. Num liceat Clericis bellare? 16.  
 Q. 70. De militibus. 164.  
 Q. 71. De scandalo. 167.  
 De sexto Præcepto. Q. 72. Num bene tradatur? 170.  
 Q. 73. De luxuriæ speciebus. 171.  
 Q. 74. Num fornicatio sit mortale peccatum? 173.  
 Q. 75. Quid sit stuprum? 175.  
 Q. 76. Quid raptus? 177.  
 Q. 77. Quid sit adulterium? 178.  
 Q. 78. Quid sit incestus? 180.  
 Q. 79. De Sacrilegio. 185.

Q. 80. De tactibus, & osculis impudicis.	16.
Q. 81. De pollutione Nocturna.	187.
Q. 82. De delectatione morosa.	190.
Q. 83. De vitijs contra naturam.	192.
Q. 84. De gravitate peccatorum carnalium.	1b.
Q. 85. De reliquis attinentibus ad luxuriam.	196.
De septimo præcepto. Q. 86. Num bene tradatur:	197.
Q. 87. De furto.	198.
Q. 88. De rapina.	200.
Q. 89. Num furtum sit peccatum mortale?	1bid.
Q. 90. Num rapina sit peccatum mortale?	208.
Q. 91. De furto in loco sacro, vel rei sacræ.	209.
De restitutione Q. 92. quid sit restitutio?	1b.
Q. 93. Num sit de necessitate salutis?	210.
Q. 94. Num debeat restitui non ablatum?	212.
Q. 95. De personis quæ tenentur ad restitutionem.	214.
Q. 96. Cui sit facienda restitutio?	219.
Q. 97. quomodo sit facienda?	222.
Q. 98. quando sit facienda?	225.
Q. 99. De Contractibus.	225.
Q. 100. De emptione, & venditione.	1bi.
Q. 101. Num liceat carius vendere quàm emere?	229.
Q. 102. Num liceat emere triticum ad iterum vendendum?	1b.
Q. 103. Num liceat Clericis negotiari?	230.
Q. 104. De Monopolijs.	1bid.
Q. 105. De venditione rei defectuosæ.	233.
Q. 106. Retrovenditione.	232.
Q. 107. De Mutuo.	233.
Q. 108. De Commodato.	1b.
Q. 109. De emphyteosi.	1b.
Q. 110. De locatione.	234.
Q. 111. De contractu societatum.	235.
Q. 112. De censibus.	236.

q. 113. De cāmbijs.	237.
q. 114. De fidei iussione.	237.
q. 115. De Precario.	239.
q. 116. De contractu dotali.	<i>Ib.</i>
q. 117. De donatione.	241.
q. 118. De contractibus civilibus, vulgo, arrendacioni Sissa, Portazgos, derechos, Peage, &c.	242.
q. 119. De ludo.	246.
q. 120. De fraudibus ludorum.	248.
q. 121. De vsura	250.
q. 122. Num liceat pro pecunia mutuata aliquam aliam commoditatem expetere?	251.
q. 123. De multiplicitate vsurarum.	252.
q. 124. Num aliquando liceat ultra sortē accipere?	253.
q. 125. Num in affecuratione adsit vsuras	234.
q. 126. De reliquis ad vsuram pertinentibus.	255.
q. 127. De simonia.	259.
q. 128. De simonia in Sacramentis.	<i>Ib.</i>
q. 129. De simonia in spiritualibus actibus.	257.
q. 130. De simonia in annexis ad spiritualia.	259.
q. 131. De simonia in licentijs, scripturis circa spirit.	263.
q. 132. De simonia pro munere à lingua, & obsequio.	266.
q. 133. De pœnis simoniacorum.	267.
De octavo Præcepto q. 134. Nū bene tradatur?	272.
q. 135. De falso testimonio.	<i>Ib.</i>
q. 136. De falso iudicio in iudicatura juris.	275.
q. 137. De Reo.	278.
q. 138. Num liceat celare veritatem?	180.
q. 139. De secreto	281.
q. 140. De mendacio.	286.
q. 141. De detractione.	287.
q. 141. Num liceat manifestare alienos defectus?	288.
q. 143. De infamia in ordine ad tempus.	289.

q. 144. De infamia in ordine ad locum.	290.
q. 145. Num liceat narrare defectus Nativitatis.	292.
q. 146. Num liceat infamare se ipsum?	<i>Ibid.</i>
q. 147. De detractone levi respectu unius, gravi respectu alterius.	293.
q. 148. de audiente detractorem,	294.
q. 149. De restitutione famæ	295.
q. 150. De contumelia, convitio, & improprio.	297.
q. 151. Num quis teneatur sustinere iniurias?	298.
q. 152. De restitutione honoris.	299.
q. 153. De iudicio temerario.	<i>Ibid.</i>
De nono, & decimo Præc. q. 154. Nū bene tradātur?	303
<b>L</b> iber secundus. q. 1. De præceptis communibus Ecclesiæ.	304
q. 2. De auditione Missæ.	<i>Ib.</i>
q. 3. De Confessione annua.	306.
q. 4. Num per malam Communionem satisfiat.	308.
q. 5. De obligatione confitendi ex præcepto divino.	309.
q. 6. De Communionem Paschali.	310.
q. 7. De obligatione cōmunicandi ex præc. divino.	312.
q. 8. De dispositione ad communicandum.	314.
q. 9. De jeiunio	318.
q. 10. De Collatione.	321.
q. 11. De personis quæ tenentur jeiunare.	324.
q. 12. De his qui non tenentur jeiunare.	325.
q. 13. De diebus jeiunij.	334.
q. 14. De dispensatione jeiunij.	<i>Ibid.</i>
q. 15. De peccato fractionis jeiunij.	336.
q. 16. De jeiunio quadragesimæ.	337.
q. 17. De quinto præcepto Ecclesiæ.	341.
q. 18. Quibus debeantur decimæ?	343.
q. 19. Qui teneantur solvere decimas?	344.
q. 20. De Primitijs.	346.
q. 21. de oblationibus.	<i>Ibidem.</i>

- L**iber tertius de Sacramentis. Q. 1. Quid sit Sacramentum? 347
- q. 2. De necessitate Sacramentorum. 348
- q. 3. De Sacramentis novæ legis. 351
- q. 4. De Ministro Sacramentorum novæ legis. 356
- q. 5. De subiecto Sacramentorum. 357
- q. 6. De effectu Sacramentorum. 359
- q. 7. De numero Sacramentorum. *Ib.*
- q. 8. De necessitate Sacramentorum novæ legis. 361
- q. 9. De comparatione Sacramentorū inter se. 362
- q. 10. De nonnullis ad Sacramenta attinentibus. *Ib.*
- De Sacramento baptismi q. 11. Quid sit baptismus? 363
- q. 12. De Institutione baptismi. 364
- q. 13. Num aqua sit materia baptismi. 363
- q. 14. De forma baptismi. *Ib.*
- q. 15. Num sint tria baptismata? 367
- q. 16. De Ministro baptismi. 368
- q. 17. De subiecto suscipiente baptismum. 369
- q. 18. Num pueri infidelium invitis parentibus possint baptizari? 371
- q. 19. Num pueri in vtero Matris possint baptizari? 375
- q. 20. Num furiosi, & amentes debeant baptizari? *Ib.*
- q. 21. De nonnullis quibus conferendus, vel negandus est baptismus. 376
- q. 22. De modo baptizandi. 378
- q. 23. De Patrinis. 379
- q. 24. De effectibus baptismi. 380
- De Sacramento Confirmationis q. 25. Quid sit Confirmatio. *Ibid.*
- q. 26. De Institutione Confirmationis. 382
- q. 27. Num Chrisma sit Confirmationis materia. *Ib.*
- q. 28. De forma, & Ministro Confirmationis. 384
- q. 29. Num Confirmatio imprimat characterem. 385

- Q. 30. Nū omnibus sit exhibendū hoc sacramentū 386  
 Q. 31. De Patrino Confirmationis. 388  
 De Sacramento Eucharistiæ. Quæst. 32. Num Eucha-  
 ristia sit Sacramentum? 389  
 Q. 33. Num sit vnum, vel plura? 390  
 Q. 34. Num sit de necessitate salutis. 391  
 Q. 35. De Institutione Eucharistiæ. 393  
 Q. 36. De Materia Eucharistiæ. 1b. 399  
 Q. 37. Num aqua sit vino permiscenda? 399  
 Q. 38. De forma huius Sacramenti, 400  
 Q. 39. De conversione panis, & vini in corpus, & lan-  
 guinem Christi. 402  
 Q. 40. De modo quo Christus est in hoc Sacramēto. 403  
 Q. 41. De contentis sub hoc Sacramēto. 406  
 Q. 42. De accidentibus remanentibus. 409  
 Q. 43. De duratione Sacramenti. 411  
 Q. 44. De Ministro huius Sacramenti. 414  
 Q. 45. De dispositione Ministri. 414  
 Q. 46. Num non Sacerdos possit aliquando ministra-  
 re Eucharistiam? 420  
 Q. 47. De sumptione huius Sacramenti. 422  
 Q. 48. Num liceat sumere vnam speciē sine alia? 425  
 Q. 49. Num communio sub utraque specie conferat  
 maiorem gratiam? 426  
 Q. 50. Nū liceat omnino à consecratione cessare Sa-  
 cerdoti, & huic non conficienti, & laico Comm. 428  
 Q. 51. Num liceat ab Excommunicatis, Peccatoribus,  
 & huiusmodi sumere Eucharistiam, & eorum Mis-  
 sam audire? 430  
 Q. 52. De effectibus huius Sacramenti. 431  
 Q. 53. De Communionem infirmorum. 435  
 Q. 54. De Sacrificio Missæ. 437  
 Q. 56. Num sacrificiū Missæ sit verū, & propriū. 441



ERRATA SIC CORRIGE.

**F**ol. 2. lin. 11. constitit. corrige, consistit. fo. 3. lin. 8. septum, corrige, septim. ibid. lin. 12. & corri. ex. ibid. lin. 18. Inquisitionem, corr. Inquisitionem. ib. l. 32. humana, c. humana. f. 5. l. 15. In, se. corrige. secundum se. f. 7. l. 2. Machabai, c. Machabaz. f. 10. l. 17. et 18. superstitio. c. superstitio. f. 13. l. 9. superflnam. c. superfluum. 26. l. 22. conveniale. c. conventionale. fol. 30. l. 9. sexti. c. sexti. f. 31. l. 22. extetior c exterior. f. 33. l. 24. his. c. hic. f. 49. l. 2. notoribus. c. notioribus. f. 51. l. 1. redictis, c. relictis. f. 55. l. 10. pratorio. c. praterito. f. 61. l. 30. obligotio. c. obligatio. f. 67. l. 1. sumus. c. summus. f. 70. l. 6. sicut. c. sunt. ib. l. 8. sunt. c. sicut. f. 72. l. 21. licratores. c. juratores. f. 122. l. 15. ferem necessitatem. corri. fere necessitatum. f. 160. l. 10. post ly, plectenda est: adae. Qua vel vindicare neglexerit quod a suis improbe factum est. f. 233. l. 13. commodatio. c. commodato. c. 288. l. 3. tenet. c. tenetur. f. 297. l. 7. infansatum. c. infamatum. ib. l. 14. infamam. c. infamiam. f. 308. meminit peccata quorum. c. peccata quorum meminit. f. 342. l. 30. debeaa. c. debeat. ib. l. 32 rributa. c. tributa. 345. l. Oraro, c. Ordo. f. 396. l. 29. potabilem. c. potabile. f. 416. l. 11. confes. sine. c. contritione. ib. l. 17. consum. c. consci. m. f. 417. l. 26. Ego. c. Ergo. f. 419. l. 12. iudicium. c. iuracem. f. 426. l. 22. vnum. c. vinum. f. 457. l. 14 ab. c. ac. f. 467. l. 6. benediçtio. c. benediçto. f. 468. l. 17. tum c. tunc. 471. l. 4. gervitum. c. gemitum. f. 474. l. 5. pecca. c. peccata. ib. l. ultim. sacramenta. sacramento. f. 553 l. 8. casis. c. casibus. 557. l. 28 potij. c. potest. 559. l. 5. Papa. c. Papae. f. 567. l. 6. cxx. c. cxviii.

170  
Cicutaquis, O, in populo tuo spiritus Sancti,  
quo beatus Iulianus, confessor huius, atque  
Pontifici<sup>m</sup> revere donatus es, accede ut  
Cuius festivitatis celebramus per eius adle  
B exemplis gradamur per Pontifici<sup>m</sup> tra

